G² 108

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Library

MEDICINA PASTORALIS

IN USUM CONFESSARIORUM
ET CURIARUM ECCLESIASTICARUM

ACCEDUNT

" *TABULAE ANATOMICAE* „ EXPLICATIVAE

AUCTORE

IOSEPH ANTONELLI SACERDOTE

NATURALIUM SCIENTIARUM DOCTORE AC PROFESSORE

WITHDRAWN

Vol. II.

Complectens quaestiones: 1°. *De Sacramentis (de Baptismo et Matrimonio);* 2°. *De Praeceptis Ecclesiae (de abstinentia et ieiunio ecclesiastico);* 3°. *De iis, quae referuntur ad aegrotantes, moribundos et mortuos-* 4°. *De processibus conficiendis in causis matrimonialibus de impo; tentia et matrimonio non consummato.*

Editio altera

AUCTA ET EMENDATA

253.3
A634M3
v.2

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

FRIDERICUS PUSTET

PONTIFICALIS BIBLIOPOLA

ROMAE

RATISBONAE — NEO-EBORACI — CINCINNATI

1906

LIBRIS PROVINCIAE
STUDIIS THEOL.
S. S. CORDIS JESU

IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

ROMAE — EX TYPOGRAPHIA IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPHO

DE SACRAMENTIS

DE BAPTISMO.

1. Baptismi sacramentum, ut omnes noscunt, est necessarium, necessitate *medii*, ad salutem. Constat enim 1° ex verbis Christi: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei »[1]; et 2° ex Trident.: « Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit »[2].

2. Materia *remota* huius Sacramenti, *valida*, est tantum *aqua* naturalis et liquida; hinc *valida* est aqua fontium, puteorum, cisternarum, fluminum, rivulorum, lacuum, maris, paludum, stagnorum, ea quae ex nive, grandine et glacie resolvitur, quae ex vaporibus et rore colligitur, vel ex parietibus et foliis tempore nimboso habetur, aqua mineralis, qualis ex. gr. sulphurea, aqua chemice habita, aqua turbida et quae, iuxta hominum communem aestimationem et usum, aqua vere dicitur.

3. Materia *dubia* sunt iusculum valde tenue, coffoeum, lixivium, cerevisia tenuis, humores, qui e plantis fluunt naturaliter vel per incisionem et quaelibet alia, quae, iuxta communem hominum aestimationem et usum, vere dubitatur an aqua naturalis adhuc dici et esse possit.

4. Materia *invalida* demum sunt lac, sanguis, lacrimae, saliva, urina et omnes aliae aquosae materiae, quae nullo modo aqua censeri possunt.

5. Materia *licita*, extra casum necessitatis, est sola aqua benedicta seu consecrata et s. oleo catechumenorum et chrismate commixta, saltem in baptismo solemni.

---

[1] Ioann. III, 5.

[2] S. 6, c. 4, S. 7, c. 5.

504

6. In casu vero *necessitatis* seu periculo mortis, cum materia valida haberi non possit, potest, immo et debet adhiberi materia dubia, etiam cum minimo gradu probabilitatis de valore materiae; nam, in his adiunctis, cum baptismus tanti momenti sit ad salutem, succurrendum est proximo meliori modo, quo fieri potest. Quod si ita baptizatus vivat, baptismus denuo ei conferri debet sub conditione: « Si non es baptizatus » etc.

7. Materia *proxima* est *ablutio*, quae potest fieri per *immersionem*, per *infusionem* et per *aspersionem*, iuxta consuetudinem diversarum Ecclesiarum. Applicari debet in capite; si alia parte corporis applicatur, dubie validum habetur baptisma et sub conditione est postea repetendum.

8. *Forma* vero baptismi in Ecclesia latina est: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti »; in Ecclesia vero graeca aequivalens forma adhibetur: « Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris » etc. Quaecumque immutatio in prolatione formae, quae *substantialiter* vitiet eius sensum, reddit invalidum baptismum; secus non invalidat. Prolatio formae debet fieri eodem tempore, quo applicatur ab ipso conferente materia proxima, ut vere locum habeat quod per formam significatur. Expedit ut obstetrices et medici formam proferant vulgari et vernacula lingua, ad vitandos errores in prolatione.

9. In *casu necessitatis*, seu quoties infans vel adultus versantur in proximo periculo vitae, *quilibet*, sive vir, sive mulier, est minister *extraordinarius* huius Sacramenti et valide et licite sacramentum conficit, ex Florent. Decr. pro Armenis. Hoc tenet, si solus quis sit. Nam si plures sunt, ex Rit. Rom. (*De Sacram. bapt.* n. 13) habemus: « Si adsit Sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam, potius quam virum, baptizare infantem, non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi ». Pater vero et mater baptizandi postponendi sunt reliquis omnibus; et in periculo mortis, quando alius non reperiatur, qui baptizet, ipsi debent baptizare; et tunc nullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat. Ex *Rit. Rom.* n. 14.

10. His praemissis, agere debemus: *a) de baptismo conferendo fetibus in utero matris adhuc degentibus in periculo mortis; b) de baptismo ovorum abortivorum; c) de baptismo monstrorum.*

11. *a) De baptismo uterino.* — Certum est posse baptizari infantem in utero matris existentem, si certo constat aut valde timetur quod non possit vivus in lucem edi; cum enim infans iam homo viator existat, nil impedit quominus baptismum suscipere possit [1].

12. Controversia fit an validus censeri debeat baptismus hoc modo collatus. Rationes gravis momenti militant pro utraque opinione, etsi,

---

[1] S. Alphonsus, l. 6, tr. 2, 107.

ex mea sententia, fortiores sint, quae volunt baptismum ita collatum esse validum. At, cum quaestio adhuc sub iudice sit, talis baptismus ut dubius in praxi haberi debet, et infans, si vivus nascatur, est denuo sub conditione baptizandus, *si non es baptizatus, ego* etc.

13. Quod possit baptizari infans in utero matris, non obstat Rituale Romanum, quod ait (n. 16): « *Nemo in utero matris* **clausus** *baptizari debet* ». Nam Rit. supponit *clausum* uterum et baptismum conferri posse lavando corpus matris, ut contendebant Iulianus et alii haeretici, et non quod possit per aliquod instrumentum attingi aqua puerum, resecatis membranis fetum involventibus, ut late demonstrat S. Alphonsus [1].

14. Dein notetur, necesse esse ut aqua pertingat corpus infantis. Qua re certo invalidus est baptismus, si conferatur super membranam externam fetus, seu caducam (I, 238), quae nullo modo est originis fetalis, sed uterinae; tantum duae subiacientes, chorion et amnios, proveniunt ex ovo et ideo sunt originis ac partes fetus. Et hoc, modo speciali, notatum volo, quia non raro contrarium habetur in libris theologiae moralis, cum docetur membranas fetales considerari posse velut partes infantis.

15. Baptismus uterinus confertur per vaginam, in quam introducitur sypho plenus aqua. Vix addi oportet huiusmodi baptismum non debere conferri nisi a medico vel obstetrice et nullo modo convenire clerico, sive ob decentiam, sive ob periculum nocendi matri et fetui. Deficiente syphone, possunt adhiberi vel spongia aqua imbuta vel digiti madefacti aqua. Liquet oportere in primis abscindi involucra fetus et fieri emissionem liquidi amniotici (I, 238), si nondum fluxerit, et speciali modo curare ut aqua pertingat caput infantis; quod quidem in ordinariis casibus facile erit, cum *praesentatio capitis* habeatur, ad minus, nonagies super centies. Quod si aqua nonnisi reliquas fetus partes attingat, ex. gr., brachia, dorsum, pectus, etc., debet fetus iterum baptizari sub conditione « *si non es baptizatus* », cum dubie validum habeatur huiusmodi baptisma. Immo, cum dubius sit omnis baptismus in utero collatus, si infans vivus nascitur, est semper iterum baptizandus sub conditione, etsi in capite iam baptizatus fuerit, excepto tamen casu, quo infans baptizatus sit in capite *iam edito*, quamvis reliquum corpus nondum natum esset,

---

[1] S. Alphonsus, ibid.

prohibente hoc Rit. Romano, in quo habetur: « Si infans *caput emiserit* et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus ». Hac ratione item sequitur omnem baptismum uterinum debere conferri *sub conditione* de eius valore.

16. Quod si immineat abortus vel partus praematurus (I, 417), *ante* quintum mensem praegnationis perfectum, cum hoc tempore nonnisi rarissime nosci queat an fetus certo vivat, oportet non discindi membranas fetus ad conferendum baptismum; scissio enim membranarum ac fluxus liquidi amniotici augerent difficultatem partus et exponerent fetum et matrem gravibus periculis salutis; et cum hoc casu nosci nequeat an aliqua pars fetus abluta sit aqua, non videtur expedire, ob *dubium* effectum spiritualem, acceleranda esse pericula corporalia.

17. Quod si vero, etiam *ante* praedictum tempus, *certo* constare potest et *fetum vivere eiusque vitam minui*, abscindendae essent membranae ad conferendum baptismum, etiamsi praevideretur hanc scissionem et liquidi fluxum aliquid impedimentum partui allaturum; damnum enim, quod evenire posset matri et accelerata fetus mors cederent saluti aeternae infantis. Baptismus tamen semper dubie validus esset [1].

18. Notetur insuper baptismum collatum in *funiculo umbilicari* (I, 238), illicitum et invalidum esse, etsi funiculus umbilicaris sit originis fetus; non est enim pars permanens corporis fetus, sed potius transitoria ac ideo quasi-pars fetus ipsius.

19. Baptismus *uterinus* in omnibus illis casibus consulendus et conferendus est, in quibus, ob graves difficultates partus, sive proveniant ex parte matris, sive ex parte fetus, valde timetur aut probabiliter iudicatur fetum non posse vivum edi, aut mortuum iam esse; de quibus casibus medicus tantum iudex esse debet. Hinc frequentiores casus, qui haberi possunt, sunt: 1° si, ob vehementem difficultatem partus, non possit infans cito edi et grave adsit periculum ne pereat ob asphixiam in retardato et lento exitu; 2° si, tempore partus, graves veniant haemorrhagiae, quae in grave inducant discrimen vitam matris; 3° si scindatur vagina vel uterus tempore partus, quod quidem grave affert periculum vitae matris; 4° si

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 107.

praemature seiungatur placenta vel accedant convulsiones (eclampsia) cum gravi damno vitae matris et fetus; 5° si ob varias praesentationes fetus timeatur grave aliquod periculum; 6° si ob hydrocephaliam (I, 315) fetus vel ob nimiam augustiam pelvis maternae timeatur mors infantis, tempore partus; 7° si timeatur vomitus incoërcibiles vel vehementes haemorrhagias secum ferre abortum aut iudicetur oportere inducere partum praematurum; 8° si ad extrahendum fetum necessaria sit operatio caesarea vel partus praematurus, cum ob speciales circumstantias subiecti, nimis protrahenda esset operatio caesarea vel si, partu imminente, posset conferri baptisma in caput fetus, (si vero, iudicio medico constaret et operationem caesaream cito perfici et ex hac operatione fetum nil omnino mali recipere et vivum haberi, baptismus uterinus non erit conferendus, ut patet); 9° si, mortua praegnante, peragenda est operatio caesarea, necessaria item est baptismi uterini collatio, antequam operatio agatur, si iudicio medico constet vivum fetum haberi non posse; 10° item in praegnationibus ectopicis seu extra-uterinis (I, 244 et ss.) debet statim baptizari infans, cum cito moriatur [1]. Ratio est, quia in hisce casibus, si fetus ob operationem perit, perit saltem cum baptismo dubio.

20. *b*) *De ovis abortivis.* Praegnatio potest interrumpi et fieri abortus quocumque tempore praegnationis; in mulieribus nonnullis abortus fit habitualis, quum scilicet in praecedentibus praegnationibus et fere eodem tempore illum passae sunt. Abortus, primo tempore praegnationis, valde frequens est; in pluriparis frequentius habetur quam in primiparis. Causae, quae possunt inducere abortum, praeter superius notatas (I, 414), sunt nonnulla gravia symptomata morborum matris (febris, deficientia oxygeni in sanguine, anemia acuta), plures anomaliae genitalium internorum (uteri retroflexiones, tumores, cicatrices, quae impediunt augmentum uteri), nonnullae anomaliae ovi et eius membranarum, fortes emotiones, conatus abortus, laesiones et operationes in genitalibus, pavor, vomitus incoërcibiles, in quibus aliquando expellitur fetus cum morte certa matris [2]. In inflammationibus uterinis saepissime fit abortus fetus sani, at moribundi, quarto vel quinto mense praegnationis [3].

---

[1] Surbled, *La morale* etc. tom. 2. *La vie sexuelle*, pag. 271-275.

[2] Max Runge, *Op. cit.*, pag. 250.

[3] Schroeder, *Op. cit.*, pag. 450.

21. Ovum, quod per abortum expellitur, ordinarie membranis involutum expellitur et variam habet magnitudinem pro tempore evolutionis. Hinc necessarium ducimus notas characteristicas ovi in singulis mensibus praegnationis distributas praebere, ut facilius nosci possit fetus et an vivat. Totum tempus praegnationis dividimus, prout mos est in obstetritia, in decem menses, quorum singuli viginti octo dies complectuntur.

Paullo post initium *primi* mensis, cerebrum et medulla spinalis (**1**, 157 et 150), clausae sunt, cor formam habet tubi, quod probabiliter pulsat, abdomen et intestina sunt aperta, caput non est flexum; paullo serius caput ante flectitur, intestina clauduntur, embryon curvatur, apparent sulci cerebri et prima indicia hepatis; tertia hebdomada bene conspiciuntur rudimenta extremitatum, et embryon longitudinem retinet circit. quatuor mm.; in fine primi mensis longitudo est mm. 7-7 $^1/_2$ et ovulum magnitudinem habet nucis avellanaceae.

2° *Mense*. Caput embryonis est valde magnum; extremitates sunt perfecte articulatae et, post dimidium mensis, formam prae se fert omnino humanam. Longit. est mm. 13-16. Hoc tempore embryon dicitur *fetus*.

3° *Mense*. Forma corporis perfecta est; bene videntur digiti manuum et pedum; genitalia externa, iuxta sexum, immutari incipiunt; in intestinis apparent elementa bilis; longit. fetus est cm. 7-9; ovum magnitudinem habet ovi anatis communis.

4° *Mense*. Sexus facile conspicitur; tota pellis corporis lanugine obtegitur; fetus longit. est cm. 10-13.

5° *Mense*. In capite apparent capilli; si hoc tempore vivus editur, advertuntur pulsationes cordis ob eius ictum contra pectus; aliquando paullisper respirat, at *cito moritur;* longit. est cm. 13-27.

6° *Mense*. Palpebras habet apertas; pellis obtecta apparet quodam pigmento, quod oritur ex glandulis sebatis (**I**, 98, b), et subtus pellem conficitur adeps; hoc tempore fetus evidentiora signa vitae praebet; facit enim nonnullas inspirationes, movet extremitates; at *fere* cito moritur; longit. est cm. 28-34.

7° *Mense*. Pondus fetus est circit. gramm. 1000 et longitudo cm. 35-38; vivus editus clamat paullisper exili voce; plerumque obit; aliquando tamen, specialibus adhibitis curis, plures fetus servati fuere vivi.

8° *Mense*. Pondus est circit. gramm. 1500 et longit. cm. 40-43; forma corporis apparet magis rotunda; pellis est rubra, lanugine obducta et facies adhuc rugis consparsa. Hoc tempore nati *possunt* vivere, etsi plures moriantur primis horis vel diebus post ortum.

9° *Mense*. Pondus est circit. gramm. 2500 et longit. cm. 46-48. Maior est quantitas adipis sub pelle, quae nunc est aliquantum pallens. Hoc tempore nati *vivunt*, etsi eorum mortalitas non sit minima.

10° *Mense*. Pondus est gramm. 3000-3600 et longit. cm. 48-50. Cartilagines nasi et aurium sunt, initio huius mensis, valde molles; ungues augentur; lanugines decidunt et demum fetus praebet characteres, qui notantur in perfecta praegnatione [1].

---

[1] Max Runge, *Op. cit.*, pag. 19-21. Schroeder, *Op. cit.*, pag. 51 et ss.

22. Nonnulla insuper iuvat notare, valde utilia in praxi, de abortu, qui fit *primis tribus vel quatuor mensibus*, et *reliquo tempore* praegnationis. Primis *quatuor* mensibus *non semper abortus sequitur causam*, quae illum producit, et in involucris fetus nonnulli processus accedunt, qui ad abortum lente disponunt, quibus fit ut ovulum minuatur et fetus pereat; saepe in membranis, et praesertim in caduca serotina (I, 238), lacerantur vasa sanguinis, quae valde augent magnitudinem ovi, quod tunc efficit *molam sanguineam*, vel plus minus profunde illud immutant; cum vero hae haemorrhagiae membranarum factae fuerint iam a longo tempore et membranae appareant decoloratae, tunc habentur *molae carneae;* aliquando in membrana amniotica (I, 238) deest embryon, quia, post mortem, macerationem passus fuit; aliquando inveniuntur tantum eius parva vestigia, aliquando demum embryon perfecte conservatus remanet.

23. Cum vero abortus *sequitur causam abortus ipsius*, ovulum est perfecte conservatum.

24. Tempore expulsionis ovi, uterus contrahitur, vasa sanguinea lacerantur cum haemorrhagia, quae aufert ovum. *Haemorrhagia* igitur *signum evidentissimum est abortus* primis tribus aut quatuor mensibus.

25. Abortus, qui fit primis hebdomadis, formam prae se fert dolorosae ac abundantis menstruationis absque gravibus symptomatibus; quo fit ut mulieres eum patiantur, quin medicum advocent et quin advertant abortum ipsum. Secundo et tertio mense, symptomata valde graviora sunt [1]. In hac re oportet ut obstetrices et matres doceant praegnantes de decursu abortus, qui fieri potest, tum quia valeant baptismum conferre embryoni emisso, ut mox dicemus, tum quia removeri cito possint malae consequentiae, quae ex negligentia facile oriuntur.

26. Post *quartum* mensem, regulariter loquendo, haemorrhagia non habetur ante abortum, si excipias casum, quo separatur placenta (I, 238), vel habetur placenta *praevia* [2].

27. Fetus hoc tempore eduntur vivi vel macerationem iam passi,

---

[1] Max Runge, *Op. cit.*, pag. 251 et ss.

[2] Placenta dicitur *praevia*, cum adhaeret super os internum uteri aut prope hoc os. Hoc evenit, cum ovulum descendit usque ad os uteri, ibique evolvitur caduca serotina et dein placenta.

mortui vel in statu moriendi. Saepe ovum emittitur cum placenta et membranis illud involventibus [1].

28. Cum vero omnis embryo anima rationali polleat, iuxta communem in praesenti sententiam, quae nobis omnino certa est (I, 251 et ss.), statim ac fecundatio peracta fuit, patet omnem fetum abortivum esse baptizandum, dummodo vivat, vel non certo constet iam esse mortuum. Hinc inquirere debemus quae sint *indicia vitae* in fetu. Primum indicium certum est *motus cordis* seu eius pulsationes; cum enim cor pulsat, etiam minimis pulsationibus, agitur semper de vita. Probabilius in fetu cor pulsare incipit ante tertiam hebdomadam praegnationis; si non facile est advertere hasce pulsationes, sufficit notare an pulsationes sint in funiculo umbilicari. — Item notandi sunt *motus* fetus, qui in ovis abortivis comperti fuere fine tertii mensis. Si haec signa nequeunt percipi ab imperitis, quin tempus teratur in iis inquirendis, quod acceleraret mortem, omnes fetus abortivos, primis mensibus praegnationis, putandum est vivere, *dummodo* recentes sint, albi, nec prae se ferant in superficie pellis maculas coloratas, quae sunt indicium putrefactionis, nec emittant ingratum odorem [2]; ac ideo sunt sub conditione baptizandi. Quod si abortus fit prope *sextum* mensem, facilius et certius nosci potest vita fetus ac proinde tractandi sunt velut infantes, statuto tempore nati, etsi valde debiles et *cito* baptizandi sunt, cum paullo post moriantur. Si vero, etiam hoc tempore, non satis constat de vita fetus, nec ulla ratio inveniri potest, quae testetur de eius morte, (uti ex. gr., si liquidum amnioticum fluxerit pluribus diebus ante abortum, vel in casu placentae praeviae), item fetus erit sub conditione baptizandus [3].

29. Si fetus eiiciatur, membranis involutus, baptismus non debet conferri, ne sub conditione quidem, super involucrum externum, quia

---

[1] Max Runge, *Op. cit.*, pag. 257.

[2] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 116.

[3] Debreyne hortatur ut baptismus conferatur sub conditione: *si es capax*, super involucrum externum ovi et dein iterum, apertis membranis, baptizetur sub conditione: *si non es baptizatus*, ob rationem, quae includit contradictionem. Ipse enim ait: « Qu'on peut ici regarder en quelque sorte les membranes foetales, comme faisant une espèce de tout apparent et temporaire avec le foetus, *quoique dans le réalité cela ne soit pas* ». Debreyne-Ferrand, *La theolog. morale* etc., pag. 372-373. At, si re involucrum externum ovi non est pars fetus, ad quid collatio baptismi super hoc involucrum, cum sit certo, hac ratione, invalidum?

certo est invalidum, cum haec membrana sit originis maternae [1]; sed oportet per forfices incidere involucra, ac dein, quin teratur tempus inquirendo signa vitae, sub conditione « si vivis » baptizandus est per immersionem, si parvus est, scilicet primis quinque hebdomadis. Pro omnibus, qui imperiti sunt in hisce rebus, optimum erit sequi consilium Capellmann, in casibus ovorum minimorum, scilicet: « ut baptismum per immersionem conferant, et ita quidem, ut in vel sub aqua velamenta disrumpant, hisque disruptis, statim formam baptismi pronuntient: si vivis, ego etc. Apprehende igitur utriusque manus pollice et indice aliquam velamenti plicaturam atque ita disrumpe, ut materia ovi effluat, hoc est, ut aqua baptismalis integram ovi materiam bene alluat. Quod si ita fit, etiam vitabitur accedentis aëris appulsus in embryonem, quam nonnulli adeo timent ». [2] Ratio baptismi conferendi per immersionem est, quia certo hoc modo baptizatur fetus, cum valde periculosum sit vitae fetus ipsius inquirere ubi sit caput et hoc abluere.

30. *De baptismo monstrorum.* — De monstris baptizandis, haec habet Rituale Rom.: « In monstris vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est; de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat » (n. 18).

« Monstrum, quod humanam speciem non prae se ferat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo* etc. (n. 19).

« Illud vero, de quo dubium est, unane aut plures sint personae,

---

[1] Cfr. Von Olfers, *Pastoralmedicine*, Friburg 1892, pag. 26.

[2] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 115, nota. — Valde commendandum est consilium Debreyne circa res emissas a praegnante, quae supponitur pati abortum; scilicet oportet inspicere an, inter emissa, aliquis inveniatur embryo vel ovum, antequam removeantur, ut, si casus sit, baptismo donetur. Recte monet Roncaglia: « Quot fetus abortivos ex ignorantia obstetricum et matrum excipit latrina, quorum anima, si baptismo non fraudaretur, Deum in aeternum videret, et corpus, licet informe, esset decentius tumulandum! Sed quibus potissimum sub gravi culpa competit tunc expellere ignorantiam? Nonne parochis? » Debreyne-Ferrand, *Op. cit.*, pag. 173. Et recte quidem hoc advertit praedictus A.; Deus enim tantum scit quot fetus in latrina pereant annuatim, sive ob celandam praegnationem ex culpa, procurando abortum, sive ignorantia matrum, sive culpa obstetricum et medicorum, qui sunt saepe complices huius infamiae. Parochi igitur bene agent monendo obstetrices et medicos, qui vocantur causa alicuius abortus, ut baptismum statim embryoni conferant, nisi sit evidenter mortuus, etsi ipsae obstetrices et medici contrarii sint doctrinae catholicae et nullam fidem religiosam habeant, ut saepe accidit in praesenti, praesertim quoad medicos.

non baptizetur, donec id discernatur; discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti, et eo casu, singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo* etc. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Quam tamen formam in iis solum et in aliis similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias nunquam, licet adhibere » (n. 20).

« Quando vero non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita et duo pectora non habet distincta, tunc debent primum unus absolute baptizari et postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* » (n. 21).

31. Antiquitus longa controversia fuit, an ex concubitu hominis cum animalibus possibilis foret generatio, quam nonnulli admittebant, nonnulli negabant [1]. Causa eam admittendi erat fortasse factum, pluries observatum, scilicet fetuum, qui aliquam speciem vel similitudinem prae se ferebant cum nonnullis animalibus; cui opinioni certo magnum pondus addidere historiae minotauri et aliorum monstrorum similium paradoxorum, quae uti vera habebantur et nonnisi fabulae sunt. Ceterum crimen bestialitatis semper valde diffusum fuit, et nunquam compertum est quod tales concubitus fuerint fecundi; quapropter affirmare possumus nullum fetum procreari ex coitu hominis cum brutis; immo ex animalium historia noscimus congressum inter *genera* diversa, si fit, cum animalia hosce concubitus naturaliter horreant, esse omnino infecundum; et cum fecundatio inter proximas *species* fiat, fructus generatus est omnino vel fere cito infecundus; a fortiori vero, cum res est non tantum inter individuos diversi generis, sed etiam diversi *ordinis*, ut est casus hominis relate ad animalia; qua re dicendum est quidquid generatur a muliere nonnisi hominem esse. Ratio monstruositatum est tota embryologica, quam veteres omnino ignorabant; et, etsi embryologia nobis non praebeat *causam* monstrorum, tradit tamen *modum*

[1] Cfr. Zacchiam, *Quaestiones medico-legales*, l. 7, tit. 1, q. 3.

eorum formationis. Hac consideratione ducti, patet, quod editur a muliere, quamcumque formam externam prae se ferat, esse baptizandum; an vero absolute vel conditionate, in singulis casibus iudicandum est, dummodo non agatur de casibus, in quibus certo constet non agi de homine ex. gr. quoad molas, vel quod emissum fuit, esse certo mortuum.

32. Hinc quoad spectat monstra *simplicia, acrania, cyclopia, polydactylia, amela, phocomela, sympodia et hydrocephalia* (I. 308 et ss.). sunt absolute baptizanda. Ratio patet. — Res difficilior est, cum agitur de *acardiacis.* Monstrum acardiacum semper editur cum alio fetu bene evoluto, eiusdem sexus; uterque ortum ducit ex *uno* ovo et commune habet corion (I, 238); in partu primus editur fetus bene evolutus et postea, etiam plures post horas, acardiacus. Hic, cum non habeat relationem cum utero, per funiculum umbilicarem nutritur sanguine alterius fetus ac ideo eius existentia pendet omnino ab altero gemino. Cum vero acardiacus in lucem edatur semper post fetum bene evolutum, liquet semper edi iam mortuum. Etiam cum acardiacus habet cor, quod raro accidit, hoc organum est semper atrophicum et non potest proprias functiones explere [1]. Hac ratione acardiacus non debet baptizari. Edito vero fetu bene evoluto, cum nosci nequeat an acardiacus, qui adhuc intus manet, habeat rudimentum cordis, quod per aliquot minuta *aliqualem* saltem vitam servare possit, putamus bene esse illum baptizare baptismo uterino, sub conditione « si vivis » etc.

33. De monstris *duplicibus aequalibus* (I, 317 et ss.), *syncephalia*, etsi habeant ordinarie capita et truncum coniuncta, sunt duo homines et absolute baptizandum est monstrum in capite; cum vero in hoc casu, non possit facile discerni utrum cum capite pectus baptizatum sit, cum habeatur tantum *unum* caput, erit baptizandum utrumque pectus sub conditione « si non es baptizatus [2] ». Cum vero utrumque caput perfecte distinctum sit et sequatur evidenter truncum, utrumque caput absotute baptizandum est tantum.

34. Quoad monstra *thoracopaga* (I, 319), cum capita sint distincta, habenda sunt ut duo homines et ideo utrumque caput absolute est baptizandum, etsi unum cor tantum adsit, quod haberi potest ut

---

1 Guinard, *Précis de teratologie* etc. pag. 344 et 400; Schroeder, *Op. cit.*, p. 614.
2 Capellmann, *Op. cit.*, pag. 116.

fusio duorum cordium. In casu *unius* cordis, Capellmann iudicat unum caput absolute baptizandum, alterum vero sub conditione « si non es baptizatus », quia putat *probabilius* tantum dici posse esse duos homines; at duplex caput bene evolutum mihi certo indicat agi de duobus distinctis hominibus. Ob reverentiam tamen Sacramenti, in praxi melius erit sequi sententiam Capellmann. Quod quidem tenendum et pro *diprosopis*. (I, 320).

35. *Ischiopaga*, cum sint coniuncta per ossa pelvis, duo homines sunt et singula capita sunt absolute baptizanda; quod dicendum et pro *craniopagis* et *pygopagis* (I, 320).

36. Quum vero res est de monstris *inaequalibus* duplicibus seu *parasitariis* (I, 322 B), autosita erit semper absolute baptizandus, parasita vero sub conditione « si vivis et capax es » etc.

37. Fetibus *papiraceis* (I, 322), utpote iam mortuis, ob compressionem alterius fetus valde evoluti, non est conferendus baptismus, excepto casu, quo ad extrahendum fetum valde evolutum necessaria sit operatio, ex. gr. caesarea; tunc papiraceus baptizandus esset sub conditione « si vivis et es capax », cum probabile sit *possit* vivere aliquot tempus per vasa alterius fetus.

38. In casu monstri *epignati* tumor nullo modo erit baptizandus, cum constet tantum fragmentis alterius fetus (I, ibid.).

39. Etsi hic plura egimus de baptismo monstrorum, tamen in praxi difficultates plurimae accidere possunt, quae valde perturbant modum conferendi baptismum. At, hisce casibus, oportet ad mentem revocare Sacramentum baptismi necessarium esse de necessitate medii et Sacramenta esse propter homines; et ideo, quoties res obscura est, conferatur baptismum sub conditione et nullum patiatur fetum mori absque baptismo, saltem conditionato. — Tantum molae carneae non sunt baptizandae.

40. Quoad *infantes natos*, hi baptizari debent in Ecclesia et numquam, « necessitate excepta » [1] in privatis locis. Quae sit haec necessitas, paucis verbis complectitur Capellmann, aiens: « Nisi rationabiliter timendum sit, ne ex hoc aditu Ecclesiae grave periculum infanti adducatur. Etiam quilibet morbus *acutus* rationabilis esset

---

[1] Rit. Rom. n. 29.

causa, cur domi infans baptizaretur, nisi forte mox convaliturus praevideretur » [1].

Attamen oportet cavere ut, tempore hiemali, aër Ecclesiae et aqua baptismalis aliquantisper calefiant, ne sanitas infantis aliquid patiatur.

41. Hic, aliam quaestionem addendam censemus. Si Parochus vel Sacerdos aliquis vocetur ad confessionem excipiendam puellae graviter aegrotantis, et, ex confessione, noscit ipsam esse ex crimine gravidam, nemine hoc sciente, quomodo se gerere debeat, quoad baptismum fetus, cum rituale Roman. dicat n. 17: « Si mater praegnans mortua fuerit, fetus quamprimum caute extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur? » — Praemittimus omnes teneri meliori quo possunt modo suam famam et honorem apud alios servare; hoc in casu in collisionem veniunt ius ad honorem et bonam famam matris et ius ad bonum spirituale fetus; hoc ius spiritualis boni fetus certo multo maius et excellentius est fama ac honore matris; agitur enim de vita aeterna. Hinc cum Aa. respond.: Si morbus non sit mortalis, Confessarius suadeat puellam ut nihil agat contra vitam spiritualem et temporalem fetus. Quod si promiserit, excepta confessione, absolvat, quia iam rite ad absolutionem est disposita.

Si vero mors immineat, inducat puellam bonis ac aptis verbis ut rem aliquo modo aperiat extra confessionem, quod potest obtineri:

1° exarando ipsa litteras, si potest, in quibus praegnationem patefaciat et voluntatem significet, ut, post mortem, incidatur ad baptizandum fetum. Litterae subsignatae et clausae tradantur personae suae fiduciae, quas aperire debet, si mors sequatur, restituere, si mors non sequatur. Si vero puella, ob morbum scribere integras litteras non valeat, ipse Confessarius scribat, et, ut supra, ab ea subscriptas eidem personae tradat.

2° Si vero res litteris consignari gravi de causa nequeat, puella ipsa, si potest adhuc loqui, vel Confessarius, ex licentia ab ipsa data coram persona proba, huic rem patefaciat, ut, post mortem, crimine indicato, puella incidatur ad baptizandum fetum. Persona ipsa admoneatur, etiamsi mors non sequitur, ad strictissimum secretum custodiendum se teneri. Si postremo puella, nulli confessarii consilio obtemperare vult, tamquam indisposita iudicanda est.

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 118.

Notandum tamen, monitionem, in hisce casibus, omittendam esse cum Confessarius vel Parochus satis rationabiliter timeat, ut ex particularibus circumstantiis puellae nosci poterit, se numquam illam accepturam esse et in bona fide versari, ne formaliter peccet et aeterne pereat. Eoque magis monitio omittenda, si tempus mortis ita instet, ut ne confessio quidem integra recipi possit.

DE MATRIMONIO

DE NATURA ET VI IMPOTENTIAE ET STERILITATIS.

CAPUT I.

QUID SIT « FIERI UNAM CARNEM » SEU « CONSUMMARE MATRIMONIUM »

42. Ex impedimentis dirimentibus matrimonium, impotentia est, procul dubio, maximi momenti, maxime difficilis et, in praesenti, valde frequens in curiis ecclesiasticis. Plurima volumina de hoc impedimento conscripta reperiuntur apud veteres et recentes, tum theologos, tum medico-legales. Praetergredientes, hic et nunc, a quaestionibus medico-legalibus, de quibus infra sermo erit, maximum discrimen habemus inter doctrinam a veteribus traditam et eam, quam tradunt nonnulli moderni. Apud veteres doctrina, quae nititur iure naturali et pontificio, recte et solide traditur; apud recentes nonnullos, theologos et canonistas, alia omnino habetur doctrina, a communi veterum ita discrepans, ut illam omnino subvertat. Quod quidem oritur ex eo quod praefati recentes scriptores negligunt veterum doctrinam funditus pervolvere, et, accepta aliqua eorum definitione, sit haec bona nec ne, minime eorum interesse videtur, putant hoc modo communem et certam doctrinam comparasse, quam postea publice tradunt. Studium impedimenti impotentiae non est tantum canonice et theologice tractandum, quatenus scilicet versatur circa eius naturam, sed et physiologice et anatomice, quatenus principia et doctrina impotentiae applicantur factis, quae sunt sub dominio physiologiae et anatomiae.

Quod quidem facile eruitur ex natura ipsa impedimenti et ex praxi omnium scriptorum, qui de hoc argumento tractarunt. Qua re, si volumus rectam habere doctrinam et principia certa huius impedimenti, in primis oportet attente et diligenter inquirere fontes iuris naturalis et pontificii ac dein doctrinam, quam scriptores optimae notae nobis, decursu temporis, constanter tradiderunt. At bene advertatur, cum quaestiones de impotentia semper referantur ad facta physiologica et anatomica, quae tantum nostro aevo scientifice cognita sunt et quorum notiones apud veteres deerant vel in pluribus erroneae et falsae habebantur, in studio historico huius impedimenti, necesse omnino esse doctrinam certam et principia utriusque iuris a factis male notis separare, eamdemque doctrinam et principia recentibus factis scientifice probatis applicare; quod quidem efficiet, ut solutiones certae omnino habeantur una cum communi et constanti doctrina. In tanta colluvie librorum de re morali et canonica, quae fere quotidie in lucem prodeunt, plures nil aliud exponunt, nisi nimis superficialem doctrinam, quae plerumque etiam ad litteram ab aliis secundariis tractatibus transcribunt; et eorum Aa. putant omne punctum se retulisse, cum modernos nonnullos auctores sequuntur, qui aliquam prae se ferunt novitatem, nil curantes an novitas cohaereat cum certa et communi doctrina; quo fit ut tales novitates plures asseclas inveniant, et ut probabiles opiniones cito habeantur, saltem ob auctoritatem extrinsecam. At probabilitas alicuius doctrinae non est mensuranda auctoritate et numero illam propugnantium, sed praecipue ex rationibus, quibus illa nititur; si hae rationes contrariae sunt doctrinae communi et certae, quam semper doctores et Ecclesia nobis tradiderunt, opinio falsa est dicenda. Praeterea in modernis pluribus operibus de re morali et canonica, ad quaestiones actuales resolvendas non adhibentur amplius principia certa, ut debet fieri in qualibet scientia, sed nova principia proponuntur, quae communibus et certis principiis evidentissime adversantur et solutiones erroneae hac ratione procedunt. Quae omnia adeo vera sunt, ut passim occurrant penes recentes plures auctores, cum de impotentia et rebus affinibus rem agunt. Et vere valde dolet animus, aspiciendo quantam studiorum levitatem, negligentiam in veteribus auctoribus pervolvendis et intelligendis et tenacitatem in opinionibus erroneis tuendis, prae se ferant. Quilibet studio vacans, prae omnibus debet veritatem curare et tantum veritatem totam, integramque patefacere. Ita tan-

tum agendo, magnum commodum veritas ipsa retrahet, nec in quaestionibus tanti momenti dissensus erunt possibiles.

43. Eo magis vero haec ratio studendi impedimento impotentiae est necessaria, quia, ut ait Schmalzgrueber, impotentia « curiarum ecclesiasticarum praesidibus saepe magnas creat molestias, cum illius ratio, etiam medicorum auxilio, aliquoties vix deprehendi possit; ex quo non raro contingit, ut necesse sit retractare sententias, quacumque circumspectione super eadem latas, et matrimonia, quae prius ob existimationem impotentiae fuerunt dissoluta, iterum reunire, aut e contrario ea, quae putabantur ob ignorantiam latentis impotentiae esse valida, hoc impedimento detecto, dissolvere » [1].

44. Cum vero hoc opere non possimus funditus hoc argumentum tractare, quod alibi iam egimus [2], nobis satis erit nonnulla hic recolere et quaedam alia adiicere. Et in primis inquiremus quae sit *natura* et *vis* huius impedimenti et quanam ratione distinguitur a *sterilitate*, cum qua a pluribus auctoribus facile confunditur. Et, ut evidens sit conceptus impotentiae et sterilitatis omnibus, sincera mente et absque ideis praeconceptis inquirentibus veritatem, ita progrediemur: primo ad memoriam revocabimus *institutionem matrimonii*, dein scrutabimur *ius canonicum* et *praxim Ecclesiae* de hac materia, demum referemus *doctrinam ecclesiasticorum doctorum*.

45. Notum est matrimonium, ut contractus, divino iure ante omnem civilem societatem institutum et firmatum fuisse [3] ante lapsum, ut constat ex Gen. I, 27, 28: « *Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini* ». His verbis clare patet, utrumque sexum Deum creasse ad multiplicationem generis humani. Et cum haec multiplicatio fiat naturali lege per copulam, evidens est illos tantum posse tale matrimonium contrahere, qui valent ita copulari, ut ex eorum commixtione proles sequi possit. Item notum est, in paradiso terrestri, contractum initum fuisse, cum Deus adduxit Evam ad Adam, qui spiritu prophetico, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae;*

---

[1] Schmalzgrueber, *Ius ecclesiasticum univ., in tit. De Frigid. et Malef.*

[2] Antonelli Ios., *De Conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium.* Pustet, Romae 1900; cuius altera editio mox prodibit.

[3] Pius VI, Epist. ad Episc. Agriensem, 11 iul. 1789.

et erunt duo in carne una » [1]. Qua re Christus: « *Itaque iam non sunt duo, sed una caro* »; et « *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* » [2]. Ex quibus verbis sequitur etiam indissolubilitas vinculi, docente Conc. Trid.: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Quamobrem* etc. » [3].

46. Ex hac institutione sequitur: 1° matrimoniali contractui rem *essentialem* esse generationem; si enim generatio non extitisset, Deus coniugium non instituisset, cum non esset a natura requisitum; 2° matrimonium esse *indissolubile, cum coniuges effecti sint una caro,* scilicet cum *matrimonium consummarint;* matrimonium enim non consummatum, scilicet ratum tantum, multiplici causa dissolvi posse a R. Pontifice omnibus compertum est.

47. Tota igitur quaestio ad hoc reducitur, scilicet quid significant illa verba *fieri unam carnem,* seu quandonam coniuges dicendum est *consummare matrimonium.* Verba Gen., supra relata, referuntur ad institutionem matrimonii causa generationis tantum, ac proinde debent intelligi relate ad generationem, etsi ipsis verbis etiam tota includatur legislatio matrimonii, scilicet mutuus amor, educatio prolis etc. Qua re, considerando verba ipsa « *et erunt duo in carne una* », clare liquet ex dualitate personarum, hic expressa, debere confici aliquid unicum; et cum haec dualitas personarum evidenter innuatur statuta ad prolem habendam per copulam, usquedum hoc unum ex copula coniugum non oriatur, una caro coniuges, *re* seu *de facto,* non fiunt. Iam hoc unum, h. e. caro, quae de duobus coniugibus consistit, haberi non potest ex simplici coniunctione organorum generationis utriusque sexus, cum in huiusmodi coniunctione uterque sexus perfecte individualis et distinctus remaneat; sed opus est ut aliquid uterque praebeat, ex quo unum efficiatur ab ipsis distinctum. Cum ergo dicitur coniuges fieri unam carnem in copula ob generationem (ad quam tantum ab initio institutum constat matrimonium), certo statuitur, quod ex duorum copula novus homo oriri debeat; et cum hoc obtinetur, coniuges re seu de facto una caro effecti sunt, quia

---

[1] Gen. II, 23, 24.
[2] Matth. XIX, 6.
[3] Sess. 24, *De Matrim.*, c. unic.

unum, quod ex duobus resultat, vere partem retinet utriusque coniugis, utpote ex utroque proveniens. Id confirmatur ex iis, quae Dominus Iesus respondit Pharisaeis, quaerentibus utrum viro liceret quacumque ex causa dimittere uxorem; respondit enim: « Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una? » [1]. Quae verba Christus retulit ex Moyse (Gen. I, 27 et II, 23-24).

Ad quid alias Deus creasset hominem ab initio masculum et feminam, nisi intuitu generationis per ipsos obtinendae? Ergo esse duos in carne una significat necessitatem praebendi omnia ea, quae ad generationem prolis et educationem, ob quam institutum fuit matrimonium, requiruntur.

48. Ex hominis vero physiologia plene docemur *quoluplici* modo coniuges possint fieri una caro; vir enim quocumque tempore potest mulieri coniungi cum emissione seminis, cum hoc in vesiculis adservetur, et mulier nonnisi semel in mense decisionem ovuli patiatur; hinc, cum uterque coniux copulatur et sit capax generandi, matrimonium semper est consummatum; et in hac capacitate generandi seu consummationis, *duo* occurrere possunt, scilicet vel copulam habitam sequitur generatio, vel copulam habitam non sequitur *actualis* generatio, sive quia ovulum nondum decidit, sive ob particularem statum genitalium viri vel mulieris, qui prohibet *actualem* generationem; hinc consummatio matrimonii potest haberi *re*, ob generationem *actu* sequutam, vel *potentialiter*, quia proles sequi posset ob potentiam suppositam generandi [2]. Ex quo sequitur: 1° omnes et illos solos posse consummare matrimonium, qui habent capacitatem generandi; 2° solos illos non valere consummare, cum certum sit in perpetuum non posse generare ob defectum substantialem, puta ob carentiam organorum necessariorum ad generationem; 3° capacitatem generandi seu conficiendi unam carnem esse de essentia seu natura matrimonii; 4° omnes, quos certum est non posse in perpetuum per se generare, nec ope aliqua humana posse effici ad generationem aptos, non posse contrahere, cum careant re matrimonio essentiali;

---

[1] Matth. xix, 4-5.

[2] Cfr. Antonelli, *De Conceptu* etc. nn. 7-9, et *Pro Conceptu impotentiae et sterilitatis* etc., et *De mulieris excisae impotentia ad matrimonium* passim.

5° obiectum essentiale contractus matrimonii esse iuris traditionem mutuam in corpus coniugum physice aptum ad generandum; 6° illos, qui non habent corpus physice aptum ad generandum, a natura ipsa arceri a matrimonio; in hoc *consistit impedimentum impotentiae*, quod, hac ratione, *naturale* est.

49. Post Adae peccatum vero, magnum malorum agmen ortum est, ex quibus concupiscentia carnis, quae adversus spiritum pugnat; et cum antea procreatio prolis ratione dirigi debebat, post lapsum motus rationis concupiscentia perturbantur; et ad compescendam libidinem, quae est, ut ait S. Alphonsus [1], *medium* ad obtinendam generationem, Deus non instituit novum aliud matrimonium, sed, ut docet Catalanus, « illud idem matrimonium, quod fuit in officium naturae ad generationem humanam multiplicandam, transiit *etiam* in remedium concupiscientiae » [2].

50. Concupiscentia, post lapsum, maxime est causa impellens multiplicationis humanae. Nam, remota concupiscentia, in actuali statu naturae, quis matrimonium iniret, cum multae angustiae, gravia incommoda, magnae calamitates, non paucae aerumnae et aegritudines plerumque matrimonia comitentur? Quid esset de humana specie? Fortasse iam evanuisset. Qua re Deus voluit, ut assecutio finis essentialis et unici matrimonii, h. e. soboles gignenda, per sedationem concupiscentiae obtineretur, ne voluntas divina de homine multiplicando in vacuum iret; ex quo factum est, ut fini matrimonii, unico et essentiali, accederet *per accidens* sedatio concupiscentiae; *per accidens*, quia in libera potestate hominis erat peccatum; hac ratione sedatio concupiscentiae facta est *alter* finis seu *secundarius* et *accidentalis* contractus matrimonialis. Hinc patet, iuxta naturae rationem et finem primitivum matrimonii, qui adhuc et semper immutatus manet, non posse aliquod existere matrimonium, nisi saltem aliqua sit spes generandi, et nullo modo posse contrahi matrimonium ob sedandam tantum concupiscentiam, cum certum sit utrumque coniugem vel alterutrum esse *in perpetuum* et *per se* inhabilem ad generandum, cum ad hunc finem non possit inservire nisi matrimonium, quale a Deo institutum fuit ab initio.

51. Quod vero ita intelligi debeant illa verba « *fieri unam car-*

---

[1] S. Alphonsus, lib. VI, n. 912.

[2] Catalanus, *Univ. iur. theol. mor., De Matrim.*, P. III, q. XI, c. 2, n. 1.

nem, vel *consummare matrimonium* » et non aliter, constat 1° ex *iure canonico*, 2° ex *sensu unanimi* et *constanti* theologorum et canonistarum et 3° ex *praxi*, quam tenet Ecclesia in causis matrimonialibus.

Quum triplex hoc caput magis diffuse pertractaverim in alio opere [1], hic nonnulla tantum dicam et lectorem ad illud remitto.

52. Quod attinet ad *ius ecclesiasticum* habemus magisterium Ecclesiae, quae illa verba sensu praefato intelligit. Certum est enim RR. Pontifices illa verba semper accepisse relate ad copulam carnalem, qualis requiritur ad generandum, et hoc sensu et nos debemus illa accipere. In iure canonico enim et praesertim lib. IV, tit. V, *De Condit. appos.*, tit. VII. IX, XI, XIII, XIV, et toto XV, *De frig. et Malef.*, complura sunt capita, in quibus, ad cognoscendum utrum copula possibilis fuerit nec ne et an in copula necessaria elementa ad prolem obtinendam concurrerint nec ne, nonnulli adhibentur dicendi modi, inter se *omnino aequivalentes*, qui omnes idem significant quod *cognoscere* feminas in SS. Scripturis; quod verbum semper ibi adhibetur ad significandam fecundationem mulieris ac ideo relate tantum ad generationem. Locutiones huiusmodi enim in iure sunt, ex. gr. *virum cognoscere feminam seu uxorem, carnaliter commisceri cum femina, per carnis copulam unam carnem fieri, subsequi carnalem commixtionem inter marem et feminam, consummare matrimonium* etc. In tit. *De Frig. et Malef*, cap. VII, *Litterae*, dicitur: « Muliere autem requirente divortium, quod *mater esse volebat et filios procreare;* proponente vero viro, quod paratus erat stare consilio Ecclesiae, iniunxistis eisdem, ut agerent poenitentiam de commissis et sic forte placeret Deo, qui matrimonii fuit institutor et auctor, ut opus matrimonii *consummarent*, qui post plurimos terminos ad vestram reversi praesentiam consona voce dixerunt, quod non poterant *carnaliter commisceri*. Quocirca mandamus, quatenus, si ita est, et constiterit vobis, praefatum virum et mulierem infra praedictos octo annos... se *commisceri carnaliter* nequivisse, proferatis divortii sententiam inter eos »; item c. VI, *Fraternitatis:* « cum quo per multos annos morata non potuit *carnaliter* ab ipso *cognosci* etc. ». Huiusmodi locutiones, penitus inter se aequivalentes, passim occurrunt

---

[1] Antonelli, *De Conceptu* etc., pag. 17-76: cfr. etiam *Pro Conceptu* et *De Mulieris excisae* etc. passim.

et in aliis capitibus iuris pontificii; et ex industria putandum est RR. PP. has locutiones, unum et idem significantes, indifferenter adhibuisse, quia universae Ecclesiae notus erat sensus τοῦ *cognoscere* mulierem in SS. Scripturis, quum in hisce, post cognitionem feminae, indicatur conceptio secuta et partus; ita, ex. gr. Gen. IV, 1: « Adam *cognovit* uxorem suam Hevam, quae *concepit* et *peperit* Cain »; ibid. 17: « *Cognovit* autem Cain uxorem suam, quae *concepit* et *peperit* Henoch »; ibid. 25: « *Cognovit* quoque adhuc Adam uxorem suam et *peperit* filium, vocavitque etc. ». Item I Reg. I, 19-20: « *Cognovit* autem Elcana Annam uxorem suam... et *concepit* Anna et *peperit* filium etc. ». Cum Virgo Maria, ab Angelo annuntiata, intellexit se concepturam esse in utero et parituram filium (Luc. I, 31), respondit: « *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ». Et ita respondit, quia nunquam matrimonium cum S. Ioseph consummaverat, ac ideo, nihil egerat de iis, quae ad generandos filios necessaria sunt.

53. Ad haec accedit Can. Decreti *Lex Divina*, caus. 27, q. 2, Papae Benedicti, qui, etsi a nonnullis, praesertim post Benedictum XIV, ut apocryphus habeatur, quia continetur in collectione Gratiani quodque nonnisi mera *opinio* est, continet tamen doctrinam a canonistis et theologis communiter receptam, et hic canon semper adhibitus fuit a canonistis et theologis in tractanda hac materia, quod facit contrariam opinionem non minus probabilem. Papa respondet Patriarchae Gradensi et docet sponsalia sola non constituere impedimentum affinitatis, et quid significat « fieri unam carnem » hisce verbis: « Protoplasta ille... prophetico spiritu inter alia protulit: propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Quibus verbis innotuit, non aliter *virum et mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohaereant.* Qui enim nequaquam *mixtus est extraneae mulieri foedere nuptiali,* quo pacto per nuda sponsionis verba possunt fieri una caro, nullatenus valemus intueri. Propinquitas enim carnis verbis dicitur, non verbis efficitur, sed neque osculum *parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem* ». Hisce verbis Papa docet propinquitatem seu affinitatem oriri neque per verba, neque per oscula, sed tantum cum coniuges per copulam sibi cohaereant ad efficiendam commixtionem sanguinis, ex qua fiunt una caro.

54. Ad quem canonem classicus *Perez*, haec habet: « Quibus verbis duo decernit. Primo requiri sanguinis commixtionem viri et feminae, ut inde oriatur affinitas; *absque ea commixtione virum et*

feminam non fieri unam carnem et unum sanguinem, atque ideo consanguineos unius non fieri alteri affines. Igitur non sufficit, ad rationem affinitatis producendae, vasis penetratio, nisi adsit seminis intra vas receptio, qua fit permixtio sanguinis et una caro. Secundo *certum est,* in quo *etiam omnes conveniunt,* ad affinitatem non sufficere *quamcumque sanguinum commixtionem,* sed **requiri eam, quae ex se sit sufficiens ad generationem, seu formationem unius carnis et prolis.** Ratio est manifesta, quia absque ea commixtione, qui aliter commiscentur, non fiunt una caro et unus sanguis. **Patet, quia fieri unam carnem seu unum sanguinem est fieri principium ex se sufficiens unius carnis et prolis** » [1]. Ibidem ipse A. docet: « *Semen, quod honestiori nomine* dicitur *sanguis* ». — Idem docet *Pichler,* qui ait ad affinitatem non tantum requiri « ut talis sit copula, per quam vir et femina sint duo in carne una, sed etiam fiat *sanguinis commixtio, scilicet seminis utriusque,* cum commixtio non fiat, seminante tantum uno... Recentiores et moderni medici *admittunt ovula in feminis et hinc generationem explicant aliter et non improbabiliter* » [2]. Et Ballerini-Palmieri clarissime idem tradunt: « Quod autem veteres *femineum semen* vocabant, ex cuius coniunctione seu mixtione cum semine virili fecundatio oritur et conceptio, *est reapse ovulum,* ut recentiora studia docuerunt. Porro, mixtione facta ovuli et seminis virilis, illud habetur, quod requiritur et sufficit ut generatio existat » [3]. Dein addunt praedicti Aa.: « Cum veteres ignorarent existentiam ovuli in feminis, ex quo, per semen virile fecundato, procreatur novus homo, loqui de eo nequibant; aliquid tamen et a femina active praestari plures saltem non ignorabant; inde est illa locutio: *commixtio sanguinum.* Huic nunc substituenda altera clara et certa, commixtio seminis virilis cum ovulo feminae » [4].

55. Qua re dicendum est illas locutiones: *cognoscere uxorem, consummare matrimonium, fieri unam carnem* et similes dicendi modos, nil aliud significare, nisi copulam habere, qualis requiritur ad generationem humanam. Nec exigi debet RR. PP. clariora verba adhibere debuisse, quae in praesenti scientifice adhibentur, tum quia scientificae notiones de facto generationis sunt tantum nostri aevi,

---

[1] Perez, *De Matrim.,* d. 31. sect. 1, n. 1.

[2] Pichler, *Summa iurisprudentiae,* l. 4, tit. XIII, n. 2.

[3] Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.,* 3ª edit., vol. 6, n. 672.

[4] Idem., ibid., n. 865, nota.

tum quia Ecclesia iam habebat verba seu expressiones aptas ad significandam suam mentem, et circa quas nullum dubium apud fideles oriri poterat. Ceterum et nos, cum idem factum pudice exponere volumus, iisdem verbis utimur et omnes bene intelligunt de qua re sit sermo.

56. Quod attinet vero ad *ecclesiasticos doctores* et *scriptores* de re morali et canonica de hoc argumento, praemittendum est omnes *indiscriminatim* admisisse quod fieri unam carnem, consummare matrimonium et similes locutiones significant habere copulam, ex qua sequi possit generatio, ut mox ex dicendis evidenter apparebit, et studuisse, iuxta sui temporis cognitiones scientificas, explicare factum physiologicum generationis humanae relate ad impotentiam. Qua re *omnino* necessarium est, si veram doctrinam eorum intelligere cupimus, statum scientificum de generatione humana apud veteres cognoscere, sine quo non pauci nec minimi momenti errores de hac materia proponuntur ut absolutae veritates, ut pluribus nostri aevi auctoribus infeliciter occurrit, et quos plures auctores, fere pecudum more, transcribunt et palam docent, cum gravi detrimento scientiae canonicae et theologicae et Sacramenti matrimonii.

57. Penes *antiquos* nil aliud certo noscebatur de necessariis ad humanam generationem praeter semen emissum a viro et testes viriles, qui illud conficiunt, cum res sint visibiles de facto, et quia castrati viri nullum amplius conficiunt et expellunt semen, nec amplius valent in perpetuum generare. Quoad mulierem vero nihil omnino certi noscebatur, cum ovaria sint interna corpori et ovula, ab ovariis confecta, nonnisi per microscopium videri possint. Quod certum tamen exstabat apud omnes, erat mulieres menstrua periodice pati et earum plures, in actu copulae et extra copulam, excernere quemdam mucum, aliquando instar pollutionis. Quapropter factum est, ut illi, qui tuebantur mulierem habere semen necessarium ad generationem, putaverint hoc semen esse vel menstrua ipsa vel mucum praedictum. At plerique medici veteres parum aut nihil curabant anatomiam et physiologiam et studebant potius incumbere morbis empirice curandis, quam quaerere progressum anatomiae et physiologiae. Philosophi vero antiqui putabant omnes quaestiones, cuiuscumque generis, deberi philosophice tractari et iuxta principia philosophica tantum resolvi. Hac ratione invenimus quaestionem de generatione humana praecipue a philosophis agi et resolvi. Etsi Empedocles et Hippocrates admiserint necessitatem seminis ex parte

maris et feminae ut habeatur generatio, Aristoteles, eis posterior, cum observasset nonnullas feminas generasse, quin aliquid muci emisissent in copula [1] vel aliquam expertae fuissent voluptatem, negavit omnino mulieres debere habere semen, et pluribus philosophicis rationibus nisus est probare, ad generationem sufficere *debere* tantum semen virile [2]. Cuius doctrinam lucide exponit Zacchia: « Licet phi-

---

[1] Quam sententiam exponit uti certam Reiffenstuel, affirmans ad generationem sufficere seminationem viri, cum ita sentiant communiter dd. cum Aristotele, Avicenna, Sanchez, etc. Cuius sententiae valorem sequenti argumento corroborat; ait enim: « Confirmatur etiam ex experientia et confessione plurimarum honestarum et piarum, fideque dignissimarum feminarum, de quibus fertur, eas omnino assecurasse quod *sine ulla propria seminatione* et solo mariti semine conceperint ». (Lib. IV Decret., tit. XIV, § 9, n. 43). Quae quidem sententia est haeresis scientifica.

[2] Aristotelis, *De generatione animalium*, l. 1, c. 19 et 20. Ita Aristoteles docet: « Secretionem quoque illam sanguineam feminae excrementum esse necesse est. Talis enim eiectio est eorum, quae menstrua appellantur. Menstrua igitur excrementum esse et proportione, ut maribus genitarum, sic feminis menstrua provenire apertum est. Recte autem ita dici indicant ea, quae in iis ipsis eveniunt; eadem enim aetate maribus genitura fieri incipit et secerni; feminis autem menstrua erumpunt; vox etiam mutatur et mammae intumescunt. Necnon desinente aetate aboletur maribus generandi facultas; feminis menstruorum confluvium... Sed cum menstrua sint quod feminis fiat perinde ut maribus genitura; nec fieri possint ut duae simul secretiones seminales agantur, ideo semen a femina non conferri ad generationem apertum est. Nam si semen esset, menstrua non essent; nunc ideo illud deest, quia haec sunt. Sed menstrua esse excrementum ut semen explicatum iam est... Indicio autem est non tale semen a femina emitti, quale a mare, nec amborum mixtura generari, ut aliqui volunt, quod saepenumero feminae concipiunt sine ea, quae per coitum fit, voluptate. Rursusque cum ea ipsa voluptate, parique concursu profusionis utriusque nihilo magis concipitur, nisi menstruorum humor sit modice temperatus. Quamobrem nec nullis omnino vicibus menstruorum femina generat, neque cum effluunt, magna ex parte, sed a purgatione. Vis enim, quae in maris genitura continetur, aut caret alimento et materia, ex qua instituat, aut nimia copia semen cum humore eluitur; sed ubi effluxerint, satis, quod remanet, consistit. Quae autem nullis menstruorum vicibus concipiunt, aut interea dum agitantur et effluunt, non post, earum alterius causa est, quod tantum humoris contineat, quantum prolificis remanet a purgatione: quamvis non ita suppetat ut effluere possit; alteris quod a purgatione os uteri comprimatur. Cum igitur multum quidem effluxit, sed adhuc effluit, tamen non tantum ut semen elabatur, tunc concipiunt. Nec vero absurdum quidquam, si a conceptu item effluunt menstrua; nam vel post aliquamdiu prodeunt, quamquam parce, nec semper; sed id morbidum est: quamobrem paucis et raro accidit. Quae autem magna ex parte fiunt, ea maxime secundum naturam sunt. A femina igitur conferri ad generationem materiam, quae in menstruorum constitutione sit, menstrua autem ipsa esse excrementum, apertum iam est ». Aristotelis, *Op. omnia* graece et latine. Parisiis 1654, tom. II; *De gen. anim.*, l. 1. c. 19.

« Quod autem semen conferri a femina per coitum nonnulli existimant, propterea quod interdum simili voluptate afficiatur, ut mas, simulque aliquid humoris secernat: id non humor seminalis est, sed loci proprius. Uteri enim excretio est, quae aliis evenit,

losophi nonnulli, ante et post Aristotelem, negaverint feminas semen habere, aut quid ad generationem illud conferre, ipse tamen Aristoteles, prae ceteris, hanc opinionem secutus est, eamque, multis in medium productis rationibus, pro viribus tueri studuit; nam non solum negavit feminas semen habere, sed probavit etiam, nonnullis argumentis, non debuisse habere, dicens: Si semen esset, menstrua non essent; nunc

---

aliis non. Evenit (quod plurimum dixerim) iis, quae nitidae faeminalesque sunt; non evenit iis, quae fuscae aut viragines. Copia vero quibus evenit, non pro seminis emissione interdum est, sed multo excedit; tum etiam ciborum diversa ratio plurimum facit, ut plus minusve huius humoris excernatur, ut quaedam acris saporis augent plane excernendi modum. Voluptas autem, quae per coitum sentitur, non solum semine exeunte accidit, sed etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur. Quod patet tum adolescentulis, qui nondum emittere queunt, tum in viris genituraе expertibus. Voluptas enim iis omnibus scalpendo excitatur, et quorum depravata est generatio, alvus interdum solvitur, propterea quod excrementum eo secedit, quod concoqui atque effici semen non possit. Forma etiam similis mulieris et adolescentuli est et mulier quasi mas inseminis est. Impotentia enim quadam femina est, eo quod semen ex ultimo alimento concoquere nequeat; quod alimentum aut sanguis est, aut sanguinis proportionale in iis, quae sanguine carent, propter naturae frigiditatem. Ut igitur in alvo profluvium accidit cruditate, sic in venis, tum cetera profluvia sanguinis, tum menstrua veniunt; nam ea quoque sanguinis profluvium sunt; sed illa morbo citantur, hoc naturale est. Sunt enim menstrua semen non purum sed indigens confectionis...

« Indicio etiam est semen non emitti a femina, quod cum per coitum feminis voluptas contrectatione loci eiusdem atque maribus veniat, tamen humor ille non hac emittitur. Item non omnibus feminis id excernitur, sed sanguineis tantum; iisque non omnibus, sed quibus uterus non ad septum transversum est, nec partus ex ovo. Ad haec, iis quae non sanguinem, sed proportionale sanguinis habent, non emittitur ille humor. Ut enim in aliis sanguis, sic in his alia inest miscella. Causa autem ne aut his aut supra dictis sanguineis fiat purgatio, siccitas corporis est, quae parum excrementi relinquit, quantumque satis dumtaxat ad generationem sit, non ut etiam aliquid foras mittatur... Evenit porro quod ex recta ratione est ut cum mas formam et principium motus praebeat, foemina corpus atque materiam (quemadmodum in lactis concretione corpus lac ipsum est, succus ante coagulum principium spissandi cogendique obtinet), sic quod a mare in femina distinguitur, intelligi debeat. Cur in plura pauciorave partiatur, aut singulare instituat, alia ratio est. Sed quia non differat forum quod dividitur, si modo se habeat modice ad materiam, ut neque minus sit, ut concoquere densareque nequeat, neque amplius, ut exsiccare possit, fit ob eam rem ut plura generentur. Ceterum ex eo quod primum constitit, ex uno iam unum tantum procreatur. Sed genituram a femina non conferri ad generandum, tamen aliquid conferri, idque esse menstruorum constitutionem, aut proportionale in genere exangui, tum ex supra dictis, tum etiam ratione universalique indagatione constat. Esse enim quod generet et ex quo generet necesse est. Idque, quamvis unum, forma quidem differre et rationis diversitate oportet. At vero in iis, quae distinctas eas potentias obtinent, corpus etiam et naturam diversam esse agentis et patientis. Quod si mas est ut movens et agens, foemina, qua foemina, ut patiens, sequitur ut, ad maris genituram, foemina non genituram, sed materiam conferat. Quod et fieri ita videtur; natura enim menstruorum pro prima materia est ». — Ibid., l. 1, c. 20.

autem ideo menstrua sunt, quia semen non est. Quod vero a feminis in coitu cum voluptate excernitur, non esse semen, sed crudam quamdam materiam credidit partis ipsius propriam, cum semen contra sit quid maxime concoctum. Neque debere feminas habere semen, ulterius probavit; quia, si haberent, vel concurreret ad generationem ut agens, vel ut materia; non ut agens, quia, cum agens in generatione sit semen maris, disconveniens est uni materiae et uni effectui respondere duo agentia; neque ut materia; superfluum enim est, menstruis pro materia existentibus. Nullo ergo modo semen femineum concurrere debuit ad generationem. Frustra ergo natura illud in femina procreasset, quod non est affirmandum ».

« Praeterea, si semen femineum ad generationem necessario concurreret, nunquam fieret generatio absque feminae voluptate; cum neque semen absque voluptate emittatur, neque generatio absque semine succedat; sed generatio succedit sine ea voluptate, quae ex seminis expulsione fit; ergo succedit etiam sine semine. Adde feminam, semen habentem activitate dotatum, omnino ex se generare posse; nam, non deficiente agente, neque loco ad id apto, neque materia, quid impedimento est, quominus femina ex se suo proprio semine generare possit? » [1].

58. Adde etiam plures philosophos, qui secuti sunt Aristotelem, alias rationes adduxisse, quibus fortius evincere putabant feminas non debere habere semen, aut, si haberent, non debere esse proprie dictum semen, nec debere ad generationem esse necessarium; ex quibus argumentis, proferam quae Scaliger tuebatur: « Species rerum non miscentur, et ex duobus entibus per se non potest unum ens per se fieri. At vero, concurrente utroque semine maris et feminae active ad generationem, et species miscerentur et ex duobus entibus per se fieret unum, quod repugnat. Ex quibus elicitur, aut feminam semen non habere, aut, si habeat quidem, improprie semen dici, quod ad generationem nihil conferat, aut ad summum active non concurrat » [2].

59. Galenus vero, secutus Empedoclem et Hippocratem, docebat et mulierem habere semen simile semini virili et illud esse necessarium ad generationem et debere commisceri cum spermate viri;

---

1 Zacchia, *Quaestiones medico-legales*, l. 7, tit. 3, q. 1, n. 17-18.

2 Apud Zacchiam, ibid., n. 19.

immo, ut iam dixi, perfecte ipse distinguit ovaria feminae, quae *testes* appellat. Ait enim: « Mulierum testiculi duo sunt, quorum unus sub dextro rene, alter sub sinistro tenetur, qui fundo matricis coniuncti per singulos ex se procedentes, incitata venere, ad cellulas eiusdem sperma ministrant. Quod si simul cum viri spermate conveniat, vel modicum ante, vel post, priusquam praelatum frigescat, unitur » [1]. « Cum ergo utrumque sperma, viri scilicet et mulieris, in matricem convenerint... nulla impediente concipiet qualitate » [2].

60. Hae vero opiniones de modo generationis habitae fuere usque ad saeculum XVIII, cum scilicet Lazzarus Spallanzani italus veritatem generationis scientifice ostendit et veteras theorias funditus evertit, etsi, ante ipsum, aliqui medici, per experientias nonnullas, Galeni et Hippocratis sententiam confirmaverint.

61. Cum talis igitur fuerit, per tot saecula, status cognitionum de generatione humana, omnibus, qui volebant de hac pertractare, necesse erat tueri vel sententiam Hippocratis et Galeni vel sententiam Aristotelis. Cum vero Aristotelis auctoritas tanta semper exstiterit apud omnes, eius opiniones auctores fere omnes, tum theologi, tum canonistae, speciali modo sequuti sunt, ita tamen (et hoc bene notetur) ut Aristotelis sententia de generatione humana non ut *certa* tuerentur ac praeberent, sed tantum ut *probabiliorem*, cum sententia Galeni et Hippocratis pro ipsis esset solum *probabilis*. Qua re factum est, ut primus, qui diffuse et rationali methodo de matrimonio egerit, scilicet Sanchez, probabiliorem Aristotelis sententiam amplexus sit, et postea fere omnes auctores, qui eamdem materiam pertractarunt, Sanchezii sententiam probabiliorem, relate ad matrimonium, fere in omnibus secuti sint, quia, quando agitur de valore sacramenti, non licet uti opinioni *probabili*, relicta *probabiliore*.

62. Quas ob rationes, quicumque cupit sincere ecclesiasticorum auctorum doctrinam de impotentia perfecte cognoscere, statum scientificum eorum temporum debet prae oculis habere, et in ipsis Aa. recte discernere doctrinam, quae nititur iuri naturali et pontificio, quae semper eadem est et immutabilis, et doctrinam physiologicam de generatione humana, quae progressu temporis et valde tarde, bene co-

---

[1] Hippocratis et Galeni, *Opera*. Lutetiae Parisiorum 1679, tom. V. *De compagine membrorum*, c. XII.

[2] Idem, ibid., c. XIII.

gnita fuit, cum impotentia respiciat facta physiologica, quibus applicari oportet principia certa iuris naturalis et canonici. Quam methodum si sequamur, clare apparebit ad *essentiam* matrimonii semper omnes auctores requisivisse aptitudinem generandi, et *fieri unam carnem, consummare matrimonium* et similes dicendi modos nil aliud importare, nisi possibilitatem exercendi talem copulam, *ex qua possit sequi generatio*. Sententiae vero auctorum, qui, ad explicandam generationem humanam admittunt sufficere semen viri, quin aliquid necessarium praebeat mulier, iuxta Aristotelis doctrinam, sunt omnino reiiciendae, quia evidentissime adversantur veritati scientificae, pluribus experientiis certo in praesenti comprobatae. Quae doctrina respicit etiam impedimentum affinitatis. Quam viam summarie ingredimur in hac tractatione..

63. Ad probandam primam partem, scilicet quod « *fieri unam carnem* » vel « *matrim. consummare* » et de *essentia matrimonii,* iuxta communem Aa. doctrinam, requiritur *capacitas generandi*, quaeque etiam requiritur pro affinitate contrahenda, praecipuos hic auctores referemus et alios videre lector poterit in citatis meis opusculis.

64. *S. Antoninus* clare docet: « Tertio est affectio eius, ad quam ordinatur, quia *erunt duo in carne una*, idest ad istud opus, scilicet ad *generandam prolem* »[1]. Et « *erunt duo in carne una,* idest ad procreandam unam carnem, *idest filium* »[2].

65. *S. Bonaventura :* « dicuntur (coniuges) *una fieri caro, quando per commixtionem seminum* fit consummatio illius operis (seu generationis prolis) »[3]. « Et affinitas generaliter contrahitur per omnem coitum, in quo est *commixtio seminum*. Et ratio huius est, quia affinitas non contrahitur, nisi ratione unionis: tunc autem dicuntur *una caro fieri, quum per commixtionem seminum* fit consummatio illius operis »[4].

66. *S. Thomas :* « vir et mulier *efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum ;* unde quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequa-

---

1. S. Antoninus, *Summa theologica,* tit. I, c. 2.
2. Idem, ibid., tit. XIV, c. 9, § 1.
3. S. Bonaventura, *Op. omnia,* tom. V, lib. IV, dist. 41, q. 1, *c.*
4. Idem, ibid., 1 resp.

tur, non contrahitur ex hoc affinitas »[1]. Quod vero S. Thomas, sicut S. Bonaventura, per verba « commixtio seminum » intelligat de necessariis ad generationem, ipse testatur, aiens: « Dicendum, quod concubitus contra naturam non habet *commixtionem seminum, quae possit esse* **causa generationis,** et ideo *ex tali concubitu non causatur affinitas* »[2]; et idem D. l. c., docet affinitatem oriri « in qualibet carnali copula, ubi est *commixtio seminum, quia ex tali copula potest proles produci* ». Notum est, ut habeatur affinitas, necessariam esse huiusmodi copulam, quae ideo dicitur *perfecta*, quaeque est quae consummat matrimonium, qua coniuges fiunt una caro, brevi, ex qua sequi possit generatio.

67. *Sanchez:* « *copula requiritur ad consummationem apta ad generandum* »[3]. Item ait: « *Eam solam copulam consummare, quae ad generandum sufficit* »[4]; et: « **Substantia matrimonii consistit** in consensu ad societatem coniugalem, sub quo tacite includitur ad perpetuam societatem, ad fidem mutuo sibi servandam, **prolemque suscipiendam** »[5]; et: « **potentiam generandi necessariam esse ad matrimonii valorem** »[6]. Item « Ad affinitatem ea copula desideratur, *ex qua apta nata est sequi generatio* »[7]. Idem A., praemisso principio quo, ad inducendam affinitatem, requiritur copula apta ad generandum, docet; « Primo non contrahi affinitatem ex copula, in qua sola femina seminat, quia *ea non satis est ad prolis generationem*... Secundo deducitur, ex congressu spadonum consummantium inter legitimum vas, minime oriri affinitatem. Quod non verum semen emittant, *ex quo generatio subsequi possit*... Quarto infertur, ex copula sodomitica non oriri affinitatem, *quia ex ea non potest sequi generatio*... Quinto infertur, sat esse ad affinitatem contrahendam copulam extra vas, si virile semen quacumque arte vel matrice feminea illud attrahente, in vas femineum subintret, *quia id ad prolis generationem sufficit* »[8]. Tota ratio vero, qua ex tali copula, apta ad generandum, oritur affinitas, est « quod per eam vir

---

[1] S. Thomas, *IV Sent.*, dist. 41, quaest. 1, art. 1, quaestiunc. IV, et *Suppl.* q. 55 a. 4 ad 2.

[2] Idem, *Summa* q. 55, a. 3. ad 3.

[3] Sanchez, *De S. Matrim. Sacram.*, lib. II, disp. 21, n. 5, prob. I, n. 2.

[4] Idem. ibid., prob. II.

[5] Idem, ibid., l. 5, d. 9, n. 3.

[6] Idem, ibid., l 7, d. 104, n. 4.

[7] Idem, ibid., l. 7, d. 64, n. 8.

[8] Idem, ibid., n. 10, 11, 13, 15.

et femina *una caro* efficiantur, ac proinde consanguinei unius fiunt affines alterius; at non efficiuntur una caro, *nisi per copulam perfectam ac sufficientem ad prolis generationem* » [1].

68. *Perez:* « certum est, *in quo omnes doctores conveniunt*, per nullam copulam matrimonium vere consummari... nisi ipsam ita (coniuges) habeant, ut *possit ex ea sequi legitima generatio;* omnis autem talis sufficit, quia *per hanc solam coniuges fiunt una caro* » [2].

69. *Castrus Palaus:* « quippe matrimonium ad generationem ordinatur, *debet ergo consummari copula generationi apta* » [3].

70. *Pichler:* « *consummatum* (matrimonium) quod non solo consensu contractum, sed etiam *copula carnali eaque perfecta*... seu *per se sufficiente ad generationem prolis* et faciente ut coniuges *per commixtionem seminis efficiantur una caro*, completum et perfectum est » [4]; et « *Copula perfecta* est illa, quae *de se apta est ad generationem prolis*, licet forte *per accidens*, ut in sterilibus, senibus etc., impediatur **actualis** *generatio; in quo conveniunt facile omnes* » [5].

71. *Tancredi:* « Non est sufficiens ad consummationem, si solus vir seminavit, sed requiritur feminae seminatio, quia semen mulieris est necessarium ad generationem, secundum Hippocratem et Galenum. *Unde, si absque mulieris semine non potest sequi generatio*, nec poterit esse matrimonium *consummatum* » [6].

72. *Illsung* docet: Affinitatem contrahi « per copulam *perfectam* seu *aptam ad generationem prolis* ». [7].

73. *Sylvius* idem tradit, scilicet affinitatem oriri per concubitum, « modo sit talis, *ex quo proles apta sit generari; quia vir et mulier... fiunt una caro tamquam unum principium generationis* » [8].

74. *Escobar* « ad matrimonii *consummationem requiritur copula*, **ex qua sequi possit generatio** » [9].

75. *Salmanticenses* idem habent: « Per illam copulam (scilicet ex qua sequi possit generatio) et non aliam *consummatur matrimo-*

---

[1] Sanchez, ibid., n. 8.

[2] Perez, *De Matrimonio*, disp. XX, sect. VI. n. 1.

[3] Castrus Palaus, *Op. moral.*, P. V, disp. IV, punct. VIII, n. 2.

[4] Pichler, *Summa iurisprudentiae*, lib. IV, tit. I, n. 75.

[5] Idem, ibid., tit. XIII, n. 2.

[6] Tancredi, *De Matrim.*, Panormi 1648, tom. I, l. 1, disp. 21, n. 3.

[7] Illsung, *Theol. pract. univers.*, Venetiis 1600, tract. VI, d. 9, q. 3, a. 2, n. 109.

[8] Sylvius, *Comment in S. Thomam*, Antuerpiae 1667, q. 55, a 3.

[9] Escobar, *Univ. Theol. Mor.*, Lugduni 1652, *De Matrim.*, sect. II, l. 25, dub. 43.

nium, per quam coniuges *fiunt una caro* et resultat affinitas cum consanguineis ; sed etiamsi vir claustra pudoris penetrat, nisi **utriusque seminis commixtio sequatur,** neque sequitur affinitas, nec coniuges fiunt una caro. Ergo, nisi *feminae seminatio cum seminatione viri intra vas femineum coniungatur, non consummatur matrimonium* » [1].

Ad quaestionem vero utrum ad consummationem sufficiat penetratio viri absque emissione seminis, praefati Aa. respondent : « *Matrimonium consummatur per copulam, qua coniuges fiunt una caro* c. 2 de convers. coniug. ; sed non fit una caro per solam penetrationem... nisi detur effusio seminis inter *vas aptum ad generationem*, in c. Lex. 27, q. 2, **quia debet esse copula apta ad generationem illa,** *per quam coniuges fiunt una caro* (inchoative videlicet, quia **in una carne prolis adunantur**), qualis non est illa, in qua vir semen non emittit intra vas femineum » [2].

Contra illos demum, qui asserebant mulierem nullum semen praestare debere ad generationem, praedicti Aa aiunt : « Respondetur, quod licet **ad consummationem matrimonii copula apta ad generationem requiratur,** non tamen sufficit, nisi sanguis seu **semen unius** cum alterius sanguine seu **semine commisceatur ;** unde enim affinitas resultat, inde verificatur fieri utrumque unam carnem, quod ad consummationem matrimonii requiritur » [3].

Ratio vero, qua, ad consummandum matrimonium, requiritur copula, ex qua possit sequi generatio, est quia « de **essentia matrimonii** est obligatio ad reddendum debitum et ius ad petendum, ac proinde **traditio corporum cum potentia ad generandum** » [4].

76. *Billuart* habet : matrimonium « *consummatum*, est quod per carnalem copulam maritalem et *commixtionem seminum* completur ; quia *tunc coniuges fiunt una caro* et perfecte significat inseparabilem Christi unionem cum Ecclesia per incarnationem. Dixi *ex commixtione seminum ;* quia neque per solam penetrationem vasis sine seminatione, neque *per solam viri sine seminatione mulieris consummatur matrimonium* in foro conscientiae, licet consummatum

---

[1] Salmanticenses, *Cursus theol. mor.*, tract. 9, c. 4, punct. 1, n. 5.
[2] Idem, ibid., n. 2.
[3] Idem, ibid., n. 6.
[4] Idem, ibid., c. 12, punct. 10. n. 111.

praesumatur in foro exteriori; quia *sine commixtione seminum, apta generationi, non fiunt una caro* inchoative, quae inchoatio *completur per prolem, in cuius una carne* complete adunantur » [1].

77. *Paulus Zacchia*, peritissimus medicus saec. XVII, qui, praeter scientiam medico-legalem, scientia theologica optime pollebat, idem expresse habet in pluribus locis sui operis. « Certum autem est (ait) *coniuges fieri una caro*, quod est de essentia matrimonii, non per penetrationem vasorum, sed *per commixtionem seminum ex parte utriusque effusorum* » [2]. Item: « necessarium est ad valorem matrimonii, *ut vir et uxor efficiantur una caro*, quod non fit per simplicem copulam carnalem, sed *per copulam aptam ad generationem* » [3] Etiam clarius: « requiritur, ait, in *consumnatione matrimonii potentia ad generandum, quia per generationem, quae ex miscela utriusque seminis in unum succedit, vir et uxor efficiuntur una caro*, iuxta illud Gen. II, 24 *et erunt duo in carne una;* nam quod illud est, virum et uxorem effici unam carnem? Num simplex utriusque coniunctio per membra generationis? Nequaquam; nam frustratoria est ista coniunctio, *nisi ex ea sequi possit generatio*, aut *semina utriusque decisa non commisceantur ad concipiendum fetum*... Ubi ergo ex coitu *nulla est spes generationis*, ex eo quod semina coniugum simul non concurrant, neque uniantur... *non possunt vir et uxor effici una caro, et sic non possunt matrimonium consummare* » [4].

78. *Gonzalez Tellez* docet: « Ut affinitas contrahatur, tantum desideratur quod *copula habita apta sit ad generationem* » [5] Hac copula coniuges fiunt una caro.

79. *Ballerini-Palmieri:* « Vir et mulier efficiuntur una caro *per mixtionem seminum*... Porro, *mixtione facta ovuli et seminis virilis*, illud habetur quod requiritur et sufficit ut generatio existat » [6].

80. *Scavini:* Matrimonium consummatum « est ipsum matrimonium legitimum seu ratum, in quo carnalis copula intercessit *ad ipsam generationem sufficiens* » [7].

---

1 Billuart, *Summa S. Thomae*, edit. nova, Paris 1895, tom. X, pag. 161.
2 Zacchia, P., *Quaestiones medico-legales. Consilior.* 72, n. 11.
3 Idem, ibid., lib. IX, tit. 3, q. 2, n. 5.
4 Idem, ibid., q. VII, n. 2-3.
5 Gonzalez Tellez, *Comment. perpet. in sing. text. decret.* t. IV, l. 14, n. 5.
6 Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.* edit. 2ª, vol. 6º, n. 1031, 3º.
7 Scavini, *Theol. mor. univ.*, ed. 9, vol. 2, n. 762, ad. II.

81. *Haine* habet: « *Consummatum* dicitur utrumque matrimonium tum legitimum infidelium, tum ratum fidelium, quando per copulam carnalem *ad generationem aptam* extrinsece completur... Ut tamen dici queat consummatum » requiritur « ut carnalis copula sit *perfecta et sufficiens ad generationem,* adeo ut coniuges *effecti simul fuerint una caro* » [1].

82. *Bucceroni:* « Ad consummationem matrimonii requiritur ut coniunctio carnalis sit *perfecta et sufficiens ad generationem* » [2].

83. *De Luca:* « Talis copula requiritur ut vir et mulier *fiant una caro* et perfecte habetur illa, *quae de se apta est ad generationem prolis,* scilicet **ex qua sequi possit generatio**... *Apta autem ad generationem,* habetur in qua membrum virile penetrat vas mulieris scilicet uterum et ovaria habentis » [3].

84. *Cardin. Caietanus* optimum habet de hac quaestione commentarium, quem valde interest integrum referre. « Erunt duo in carne una; itaque iam non sunt duo, sed una caro, difficultas occurrit ex duplice capite. Primo de qua carne est sermo, an scilicet de carne coniugum inter se, an de carne coniugum in sua prole. Nam contra primum sensum militat veritas; quia *non est una numero caro coniugum, sed,* quantumcumque invocantur, *semper remanent duae;* quoniam non continuantur, sed solo tactu iunguntur. Contra secundum vero militat requisita sufficientia; quia licet verum sit, quod coniuges sunt duo in una carne prolis, tunc tamen non sufficit ad verificandam Domini sententiam; nam ad verificandam rationem Domini inferentis: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet: exigitur illius carnis unitas, ex qua sufficienter infertur inseparabilitas coniugum. Constat autem quod ex unitate carnis prolis non sufficienter infertur inseparabilitas coniugum, quoniam coniuges non habent hanc unitatem, antequam uxor sit gravida, ut patet, ac per hoc separabiles essent coniuges steriles, et etiam antequam non sit gravida; quia non sunt adhuc duo in carne una prolis. Secundo de quali unitate est sermo, an de unitate coniugali, an de unitate carnali. Nam si de carnali intelligitur, sequeretur quod etiam fornicantes essent inseparabiles, quia effecti sunt caro una carnaliter. Si autem de coniugali

---

[4] Haine, *Theol. mor. ex S. Thoma* etc., 1899, ed. 4ª, tom. 4, pag. 62.

[5] Bucceroni, *Instit. theol. mor.*, 4ª ed.. vol. 2. n. 958.

[6] De Luca M.. *Summa praelectionum in lib. Decretal. seu de Sponsalibus et Matrim.*, Prati 1904. n. 496.

est sermo, obstat Apost. II ad Corinth. VI, ubi ex allegato testimonio Gen. erunt, inquit, duo in carne una, dicit: qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur.

« Ad hoc dicitur quod sermo est de *carne ipsorum coniugum et de unitate numerali carnalis generationis principii perfecti ac iusti;* ita quod sensus est, quod erunt duo in carne una; hoc est, *in uno carnalis generationis perfecto iustoque principio.* Et quidem quod interveniat hic *unum carnale generationis principium* perfectum clare patet; nam licet mulieris et viri sint duae carnes, et singulae sint duo partialia principia generationis, *ambae tamen concurrunt ad integrandum unum numero completum generationis principium.* Quod vero hoc unum carnale perfectum principium sit etiam iustum in coniunctionem coniugum, ex eo patet quod inter coniuges et fornicarios haec est differentia, quod in fornicarie se commiscentibus invenitur hoc tantum, scilicet quod integrant unum completum generationis principium, sed non invenitur alia conditio, scilicet quod iustitia, hoc est quod illud principium sit non solum completum, sed iustum; in coniugibus autem coniunctio fit ad integrandum non solum unum perfectum, sed etiam iustum generationis principium. Unde et in Gen. ubi primo ponantur haec verba praemittitur: adhaerebit uxori suae, et subiungitur: erunt duo in carne una per nominatam uxorem, significans quod de iusta unitate loquebatur, dicendo: erunt duo in carne una. Ita Dominus tam Math. XXI, quam Marci X, intulit in neutro genere: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, et non in masculino genere: Quos ergo Deus coniunxit; per illud enim denotavit unum iustum generationis principium, quod Deus coniunxit in coniugio. Propter quod signanter ponitur Deus auctor coniunctionis istius. Coniunctio siquidem viri et mulieris, quatenus iusta, a Deo est singulariter, tamquam ab institutore ipsius. Et quidem in plantis perfectum generationis principium unum natura coniunxit, faciens in una planta virtutes utriusque sexus, in animalibus vero unum generationis completum principium appetitus carnalis coniunxit, trahens ad commixtionem maris et feminae. In hominibus quoque unum generationis principium perfectum appetitus carnalis facit, ut patet in fornicariis, adulterinis et incestuosis commixtionibus. Sed quod completum generationis principium unum sit etiam iustum, fecit Deus instituendo in humano genere coniugium, et propterea infertur quod ergo Deus coniunxit homo non separet. Et per hoc patet responsio ad utrumque ambiguitatis caput, et solu-

tio omnium obiectorum, nisi obiectionis allatae ex Apostolo. Ad quam dicitur quod Apostolus ibi usus est illa auctoritate, quantum ad id quod est materiale in unitate coniugii, h. e. quantum ad ipsam corporum commixtionem, qua fit *unum perfectum generationis carnalis principium;* hoc enim sufficiebat suo proposito et non quantum ad totum quod in illis verbis Gen. comprehenditur. Unde non obstat integritati totius sensus » [1].

85. Ex his auctoribus igitur pluribusque aliis, qui addi possent, nihil est clarius et certius, quod vis expressionum « coniuges fieri unam carnem, consummare matrimonium » et aliarum similium, est: *ut coniuges habeant talem copulam, ex qua sequi possit generatio. At copula, ex qua sequi possit generatio prolis, requirit necessario et essentialiter semen ex parte viri et ovaria cum ovulis et uterum ex parte feminae,* ac proinde possibilitas fusionis et compenetrationis nemaspermatum cum ovulis, ut supra diximus.

86. Cum vero auctores ecclesiastici inquirunt *modum scientificum* generationis humanae et applicant conceptum consummationis, quem hucusque vidimus, ex iure naturali et canonico acceptum, genesi humanae seu formationi prolis, tunc *errant,* quia tuentur *probabilius,* ex Aristotelis auctoritate, sufficere ad generationem semen virile, quin mulier aliquod semen praebeat necessarium ad generationem, etsi sententia contraria pro ipsis probabilis sit. Et intelligitur etiam qua ratione aristotelicam sententiam defendant prae altera; erat enim illa, iuxta ipsos *probabilior,* et, cum agitur de valore Sacramenti, tutiorem partem eligere debuerunt ut supra innuimus.

Quod res *vere* ita sit, sufficiat sequentes Auctores classicos audire.

87. *Sanchez* quaerit: « Utrum censeatur matrimonium *consummatum,* si solus vir intra vas naturale feminae seminat? ». Respondet: « *Communis sententia affirmat, eoque innititur fundamento, quod semen femineum ad generationem necessarium non sit,* **teste Philosopho** etc.; cum ergo **copula generationi sufficiens consummet matrimonium,** ut late probavi n. 5, et *talis sit ubi vir solus intra vas femineum seminat, illa consummabit* ». Et haec est sententia, quam semper sequitur Sanchex in toto suo opere.

At haec sententia est-ne habenda ut certa? Respondet idem San-

---

[1] Ferraris, *Promptae bibliothecae,* tom. 9, ed. a P. Bucceroni, ad vocem *unum.*

chez: « Sed, quamvis haec sententia communior et probabilior sit, **non tamen est adeo certa,** ut quidam ex eius defensoribus existimant, cum innitatur **illi soli principio philosophico,** *quod semen femineum non sit necessarium ad generationem, et* **illud non est certum;** quia *satis probabiliter multi tenent contrarium*, ut Hippocrates et multi alii; cum ergo **fundamentum non est certum, ita nec opinio illi innitens...** Quare concludo *esse probabile non consummari matrimonium, nisi etiam femina seminat.* Probo, **quia ad matrimonii consummationem requiritur copula, ex qua sequi potest generatio...** ut clare colligitur ex ceteris DD., cum inde probent consummari matrimonium absque femineo semine, quod non sit ad generationem necessarium; sed probabile est, nisi femina seminet, *non posse ex ea copula sequi generationem*, ut probavi; ergo similiter habet eamdem probabilitatem **non esse consummatum matrimonium, viro solo seminante** » [1]. — At, in praesenti, certum est aristotelicam sententiam esse falsam, cum, ut habeatur generatio, requirantur ovaria cum ovulis et uterus ex parte feminae, et ovula sint verum semen mulieris; ergo sententia aristotelica est omnino reiicienda; ergo, iuxta veritatem scientificam, ut consummetur matrimonium, ut coniuges fiant una caro etc., requiritur, praeter semen viri, ex parte feminae capacitas generandi, quae habetur per praesentiam praedictorum organorum et tantum copula, his conditionibus praedita, est talis, ex qua sequi potest generatio.

88. Ex loco allato Sanchezii, clare liquet quaestionem de consummatione matrimonii esse stricte connexam cum facto generationis humanae, a quo praescindi nullo modo potest; idem dici debet de affinitate, impotentia et similibus, in quibus requiritur copula perfecta seu apta ad generationem prolis. Ex hoc etiam eruitur, in his quaestionibus, sedulo distinguenda esse (ut pluries innuimus) principia certa, quae nituntur iuri naturali et pontificio, et facta physiologica, quibus illa principia applicantur. Iam, in auctoribus, qui Sanchezium sunt sequuti, principia iuris semper eadem sunt, scilicet ad consummationem matrimonii, ad conficiendam unam carnem ex parte coniugum, ad affinitatem contrahendam, ne sit impotentia etc., requiritur copula, ex qua sequi possit generatio; dein ad quaestionem: an ad generationem necessarium sit aliquid ex parte feminae, ne-

---

[1] Sanchez, *Op. cit.*, l. 2, d. 21, nn. 10-11.

gant fere omnes praedicti Auctores, et, iuxta doctrinam Aristotelis et Sanchez, tuentur in praefatis quaestionibus sufficere semen virile immissum in vas femineum, quia hoc sufficit ad generationem; quod falsum est. Quod res ita sit, audiantur nonnulli classici auctores.

89. *Bonacina,* ad quaesitum, quid requiratur ut consummetur matrimonium et habeatur impedimentum affinitatis, respondet: « requiri copulam cum seminis emissione intra claustrum feminae. Ita Sanchez, l. 7, d. 64, n. 11. Ratio est, quia ad contrahendam affinitatem requiritur **ea copula, quae sit sufficiens ad generationem,** seu **qua vir et femina efficiuntur una caro,** c. *Fraternitatis* 35, q. 1, seu qua efficiatur sanguinis commixtio, c. *Lex divina* 27, q. 2. Sed vir et femina non efficiuntur una caro, nisi adsit seminis emissio intra vas feminae; ergo ad contrahendam affinitatem requiritur seminis emissio intra vas feminae. Hinc sequitur primo non oriri affinitatem, quando sola femina semen emittit; nam illius semen non est sufficiens ad generationem et ad sanguinis commixtionem; **emissio vero seminis virilis sufficit, quia semen viri est sufficiens ad generationem,** *cum memoriae proditum sit aliquas feminas concepisse sine congressu et coitu viri, recepto alia ratione semine.* Ita Sanchez l. 7, d. 64, n. 1, contra nonnullos existimantes requiri etiam semen feminae » [1]. — Etiam hic habemus: 1° principium *certum,* quod ad habendam affinitatem, ad consummandum matrimonium etc. requiritur *copula, quae sit sufficiens ad generationem;* 2° factum physiologicum *falsum,* quod scilicet ad habendam generationem sufficiat tantum semen viri, quin mulier aliquid necessarii praebeat.

90. *Leander,* ad quaestionem, an ad contrahendam affinitatem requiratur etiam seminatio mulieris, respondet: « Affirmant Innocent. in c. *Fraternitatis, de eo qui cognov. consang.,* Archidiaconus Bellamera, quos refert Sanchez l. 7, d. 64, n. 21. Quibus addi possunt disp. 20, dis. 7. n. 5, et Diana 4 part., tract. 2, resol. 43, per haec verba: dico igitur esse sententiam probabilem et satis tutam in praxi asserere, quod ad contrahendam affinitatem, non sufficit seminatio viri in feminae matricem, in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiritur seminatio feminae; et ita docet Hurtado *de Matrim.* d. 20, dif. 3. n. 5. Qui citat Innocentium

---

[1] Bonacina, *Op. omnia,* tom. 1, q. 3, punct. 12, prop. 3, nn. 12-13.

et Lopez. Et hanc sententiam probabilem esse putant Praeposit., Sanchez... Unde stante *probabilitate* huius sententiae, qui habuit copulam cum consanguinea vel affine uxoris, si illa non seminavit, non contraxit ullum impedimentum. Sed *probabilius* respondeo: non requiri, sed *sufficere seminationem viri in matricem feminae,* in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, *quia ex eorum commixtione vir et femina fiunt una caro;* **huiusmodi copula est perfecta et sufficiens ad generationem.** Sic **Sanchez** l. 7, d. 64, n. 21 » [1]. — Atqui ea copula, in qua habetur commixtio seminis viri cum menstruo feminae, nullo modo est *sufficiens ad generationem;* ergo non consummat matrimonium et non gignit affinitatem; cum vero ad generationem necessario requirantur ovulum et uterus ex parte feminae et semen ex parte viri; ergo tantum copula habita in his conditionibus est *perfecta et sufficiens ad generandum,* ac ideo ad consummandum matrimonium, ad affinitatem inducendam etc.

91. *Pirhing* docet: « Ad affinitatem contrahendam requiritur *copula carnalis perfecta seu consummata;* adeoque non sufficit claustri virginalis reseratio, seu penetratio vasis feminei, sed requiritur etiam seminatio, *saltem viri,* seu ut semen virile intra vas naturale feminae, quacumque tandem ratione, sit receptum, *Sanchez,* l. 7, d. 64, n. 8. Ratio est, quia ad *affinitatem requiritur talis copula, per quam vir et femina fiunt una caro,* ut colligitur ex *c. fraternitati:...* at *non fiunt una caro, nisi per copulam perfectam* et **sufficientem ad prolis generationem,** *qualis est* **sola** *illa, in qua semen virile recipitur intra vas femineum,* ut constat ex *c. Lex divina* causa, 27 q. 17 etc. Porro, quia, secundum communiorem sententiam medicorum, *sola seminatio viri requiritur et sufficit ad generationem prolis,* ideo si sola femina seminet, affinitas non contrahitur. *Sanchez,* l. c. d. 64, n. 22. Quia tamen secundum *probabilem* sententiam aliorum, etiam semen femineum ad prolis generationem requiritur; ideo probabile est etiam seminationem feminae requiri ad contrahendam affinitatem » [2]. Hinc sequitur impotentiam, pro eodem A., dirimere matrimonium, cum habeamus « impotentiam ad copulam carnalem perfectam, *per quam* scilicet *cum penetratione vasis feminei, intra illud semen emittitur.* **Sanchez,** l. 7, d. 92, n. 1 » [3].

---

[1] Leander, *Quaest. moral.*, tract. 9, d. 20, q. 4.

[2] Pirhing, *Iuris canon. method.*, lib. IV, tit. XIV, sect. 2, n. 2.

[3] Idem, ibid., tit. XV, (de frig. et malef.).

— Atqui falsum est illam **solam** copulam, in qua semen virile recipitur intra vas femineum, esse sufficientem ad prolis generationem, nisi femina ovula et uterum habeat. Ergo.

92. *Tamburini:* « Quoniam copula radix est praedictae affinitatis, ideo maxime hic explicari solet, qualis esse debeat copula, ut ex illa certo affinitas oriatur. Dico hac in re unum esse certum, incerta duo. Certum est nequaquam sufficere actus quantumcumque turpes, sed requiri copulam consummatam intra vas feminae, ubi effundatur semen [1].

« Iam vero incertum est: 1°, An oriatur affinitas si semen emittitur extra vas, sed illud sibi matrix attrahat, vel si tandem aliqua arte, etiam ope demonis, intra vas mulieris intromittatur. Negat Pontius...; affirmat cum communi Sanchez, l. 7, d. 65, n. 15... et merito, *iam enim sic adest verissima seminum commixtio* [2].

« Incertum est 2°, an praedicta affinitas oriatur, intromisso semine viri, *mulier suum semen femineum non emittat,* quod aliquando in femina frigidiore fertur posse contingere? Resp.: quamvis debeat semper praesumi, feminam etiam et ipsam seminasse, unde, nisi evidentissime contrarium constet in praxi, tum in foro fori, tum in foro conscientiae, esse pronunciandum affinitatem esse contractam; tamen pro *eo raro casu,* qui posset contingere, duae sunt sententiae [3].

« Non oriri tunc affinitatem docet Perez (et alii). Ratio principalior est, quia, ex medicorum sententia, *ad generationem requiritur necessario semen femineum.* Quando igitur hoc abest, *cum vir et mulier non possint fieri unum principium generationis,* quod est radix affinitatis, ipsa affinitas oriri non potest [4].

« Oriri tunc affinitatem docet Sanchez, l. c. n. 20, Pontius, aliique, quia hi probabilius putant *non esse necessarium ad generationem femineum semen,* esto adiuvet. Quare sine hoc poterunt vir et mulier fieri unum principium generationis. — Utraque sententia est probabilis, ut fatetur idem **Sanchez,** l. c. n. 19 [5] ».

Atqui, ut vir et mulier *possint fieri unum principium genera-*

---

[1] Tamburini, *Moralis explicat.,* lib. VII, *de Matrim.,* tract. 1, c. 12, § IV, n. 1.
[2] Idem, ibid., n. 5.
[3] Idem, ibid., n. 6.
[4] Idem, ibid., n. 7.
[5] Idem, ibid., n. 8-9

tionis, necessario requiruntur ex parte feminae organa necessaria ad generationem, scilicet ovaria et uterus; ergo falsa est sententia Sanchezii, ex Aristotile accepta.

93. *Reiffenstuel* tradit, quod copula, quae inducit affinitatem, « debet esse *perfecta et talis, quae sufficit ad generationem prolis, ita ut saltem vir intra vas feminae seminet,* Sanchez, l. 7, d. 64, n. 8... Ratio est, quia ideo ex copula carnali consurgit affinitas, quod ob illam vir et femina fiant una caro... atqui non fiunt una caro, nisi copula sit *perfecta et talis, quae sufficiat ad generationem prolis, qualis est* **sola,** *qua saltem vir intra vas feminae seminet...,* amplius probat *Sanchez,* l. 1, d. 21, n. 5 [1].

« Dicitur autem notanter in conclusione: *ita ut saltem vir intra vas feminae seminet,* quia hoc ad contrahendam affinitatem sufficit, nec requiritur ut etiam femina seminet, prout cum communiori et probabiliori aliorum recte docet *Sanchez,* l. 7, d. 64, n. 21... et alii a Sanchez citati. Ratio est, quia per dicta n. 37 et concordem aliorum etiam adversariorum *requiritur et sufficit talis copula, ex qua possit fieri generatio prolis;* atqui *ad huius generationem non requiritur, quod etiam seminet femina, sed sufficit sola seminatio viri intra vas mulieris* [2].

« Nec dicas, contrariam sententiam dicentem, quod etiam seminatio feminae requiratur ad inducendam affinitatem esse probabilem, hoc ipso, quod secundum probabilem sententiam ad generationem prolis tam feminae, quam viri requiratur seminatio, prout pluribus relatis aliis ipse etiam Sanchez probabile censet l. 2, d. 21, n. 14; ergo etiam haec sententia saltem in foro interno practicari poterit, praesertim cum serviat pro multorum poenitentium consolatione, et liceat sequi sententiam probabilem, relicta probabiliori. Resp. transmisso *Ant.,* negando *Consequent.,* quia etsi, dato non concesso, etiam haec sententia foret probabilis, tamen si nostra est *probabilior,* prout revera est, uti fatentur etiam plures ex adversariis, neutiquam licebit illam probabilem sequi, *eo quod agatur de valore Sacramenti* matrimonii, utpote quod per affinitatem dirimitur et invalidum evadit; quando autem agitur de valore Sacramenti, *nullatenus licet sequi sententiam probabilem relicta probabiliori* » [3].

---

1 Reiffenstuel *Ius canonicum universum,* tom. IV, lib. 4, tit. XIV, § 9, n. 37.
2 Idem, ibid., n. 43.
3 Idem, ibid., n. 45.

Atqui, ut copula sit talis, ut *ex ea possit fieri generatio prolis,* requiruntur necessario ovaria et uterus in muliere; ergo falsa est Sanchezii sententia, quam Reiffenstuel tuetur.

94. *Schmalzgrueber* docet, ut contrahatur affinitas, « opus esse, ut copula sit perfecta, *immisso et recepto semine, saltem virili, intra vas naturale feminae* ». Ex auctoribus citat **Sanchez,** l. 6, d. 64, n. 8. « Ratio est, quia ad affinitatem contrahendam requiritur talis copula, per quam vir et mulier fiunt una caro; atqui *non fiunt una caro,* nisi *per copulam perfectam et sufficientem ad generationem prolis,* qualis est **sola illa**, in *qua semen virile* recipitur intra vas femineum » [1].

Atqui copula, per quam immittitur semen virile intra vas naturale feminae, nullo modo est perfecta et sufficiens ad generationem prolis, nisi femina elementa sibi propria generationi subministret; ergo illa copula *non gignit affinitatem* et *physiologice est falsa.*

95. *Sporer:* Ad affinitatem « requiritur *copula carnalis perfecta,* per se sufficiens ad generationem; nimirum cum immissione et receptione seminis intra vas naturale femineum, iuxta communissimam DD. Ex c. *Fraternit. De eo qui cognovit.* Ratio est quia per omnem et solam talem copulam vir et femina fiunt una caro, *unumque principium generationis,* in qua unitate fundatur propinquitas affinitatis [2].

« An eadem affinitas oriatur, si solus vir seminet intra vas, mulier vero suum semen non emittat, quod aliquando in femina frigidiori fertur posse contingere. Certe semper praesumi debet, etiam feminam ipsam seminasse, nisi evidentissime contrarium constet; ideoque affinitatem esse contractam; tamen pro raro casu duplex est sententia. Oriri tunc affinitatem docet Sanchez, Bonacina et alii, ex eo quod in communi sententia Aristot., Avicennae... theologorum ac philosophorum *semen femineum non sit necessarium ad generationem,* esto adiuvet; quare hoc solo viri semine recepto, *vir et mulier fiunt unum principium generationis.* Contra, non oriri tunc affinitatem docent etiam gravissimi DD., ex eo quod ex Hippocratis et medicorum communi sensu *censeat etiam semen femineum necessarium esse ad generationem.* Quando ergo hoc non adest, vir

---

[1] Schmalzgrueber. *Ius ecclesiastic. univers.* tom. IV, P. III, tit. XIV, n. 71.
[2] Sporer, *Theol. moral.*, Pars IV, c. I, sect. I, § XI. n. 72.

et mulier *non poterunt fieri unum principium generationis*, quod est radix affinitatis, consequenter nec ipsa affinitas orietur » [1].

Atqui, semen mulieris, necessarium ad generationem, est ovulum, quod requiritur ut cum semine viri *unum principium generationis* fiat; ergo ovulum mulieris est necessarium ad affinitatem habendam; ergo opinio philosophica, quae requirit tantum semen viri ad efficiendum *unum principium generationis*, est falsa et reiicienda.

96. *Escobar* idem tenet: « Coniuges non efficiuntur una caro, nisi *per copulam perfectam ac sufficientem ad prolis generationem, qualis est* **illa sola,** in qua virile semen intra vas femineum recipitur, sive fiat matrice feminea semen attrahente, sive daemonis ministerio, sive quacumque arte, sive casu, sive sponte, sive vi, absque vasis etiam penetratione, quia *id ad prolis generationem sufficit* » [2]. Et ratio est, « quia, ait, probabilius reputo, non requiri femineum semen *ad fetus procreationem* » [3].

Atqui, *ad prolis generationem* seu *ad fetus procreationem*, non sufficit sola immissio seminis virilis in vas femineum, nisi femina praebeat ovulum etc.; ergo tali copula coniuges non fiunt una caro, non consummant matrimonium etc. Ergo conceptus copulae, iuxta Escobar sententiam, quae est Aristotelis et Sanchezi, est falsa et ideo reiicienda.

97. *Pichler* utramque sententiam exponit et testatur se accedere ad sententiam, quae requirit etiam elementa mulieris ad generationem. Ait enim: « Cum affinitas nulla oriatur, nisi ex *copula perfecta*, ideo necesse est, ut, tum ad hanc *affinitatis*, tum ad alias materias adulterii, *impotentiae, consummationis matrimonii* etc. rite intelligendas, aliquando explicetur *quid si copula perfecta*... Igitur *copula perfecta est illa, quae de se apta est ad generationem prolis*, licet forte *per accidens*, ut in sterilibus, senibus etc., impediatur *actualis* generatio; in quo *conveniunt facile omnes;* apta autem ad generationem est *illa tantum*, in qua membrum virile penetrat vas muliebre ac intra uterum effundit verum semen. Paulus Zacchia, peritissimus medicus, in *QQ. medic. leg.* l. 9, tit. 10, q. 1, a. n. 7. Videri etiam potest Sanchez, l. 2, d. 21, et Gobat tr. 9, n. 390.

---

[1] Sporer, ibid., n. 75.

[2] Escobar, *Univ. Theolog. moral.*. Lugduni 1652, *De Matrim.*. Sect. I. l. 27. c. 13, n. 74.

[3] Idem, ibid., Sect. II, dub. 112.

Utrum vero necesse quoque sit, ut femina seminet, disputant DD. Negat S. Thom. (S. Thom. contrarium dicit) Aristot... et plerique theologi; affirmant medici, et inter hos P. Zacchia. l. 7, tit. 3, q. 1, a. n. 16 ex principiis medicinae fuse probat, oppositam sententiam vocans haeresim medicam, Perez... S. Thomas.. qui etiam in *Supplem.* q. 56, 2 in C. sic loquitur: affinitas non contrahitur *nisi facta commixtione seminum, ex qua potest sequi generatio carnalis*, et alii canonistae, *quibus et ego accedo* propter text. in can. cit. *(de eo qui cognov.)*, ubi non tantum requiritur ut talis sit copula, per quam vir et femina sint duo in carne una, sed etiam fiat *sanguinis commixtio*, scilicet *seminis utriusque*, cum commixtio non fiat, seminante tantum uno... Recentiores et moderni medici admittunt *ovula in feminis, et hinc generationem explicant aliter et non improbabiliter* » [1].

Atqui, commixtio seminum, *ex qua potest sequi generatio carnalis*, est **tantum** *commixtio seminis viri cum ovulo feminae;* ergo haec tantum inducit affinitatem etc. In praesenti vero non est amplius probabilis *explicatio* generationis per ovula feminarum, sed scientifice et omnino **certa.**

98. *S. Alfonsus* item eadem docet in quaestione, an, ut contrahatur affinitas, requiratur copula consummata ex parte viri et ex parte feminae. « Certum est, ait, requiri seminationem viri; an autem requiratur etiam seminatio feminae, negant Pontius, Palaus etc... Ratio, quia *ad generationem non est necessarium semen femineum*, iuxta plurimorum sententiam. Secunda sententia vero etiam probabilis affirmat, et hanc tenet S. Bonav. Innocent. etc... Ratio, tum quia, iuxta aliorum plurium sententiam, *etiam semen feminae requiritur ad generationem*, tum quia (et haec ratio fortius urget) non contrahitur affinitas, *nisi coëuntes fiant una caro; at non fiunt una caro, nisi semina commisceantur.* Et haec sententia valde firmatur ex auctoritate d. Thomae... (qui) expresse docet exigi seminationem tam maris quam feminae ut affinitas contrahatur » [2].

Atqui, commixtio seminum, ex qua fiat *generatio*, est tantum commixtio ovuli cum semine virili; ergo haec tantum copula inducit affinitatem etc.

---

[1] Pichler, *Summa Iurisprudentiae*, tit. XIII, n. 2.
[2] S. Alf., *Theol. mor.*, vol. II, l. 6. tr. 6, n. 1075.

Plures alios auctores possem hic referre; sed relati sufficiant et lectorem remitto ad mea opuscula supra citata, si velit ceterorum doctorum doctrinam magis diffuse cognoscere.

99. Neque obiiciat quis, quod praefati auctores nomine seminationis femineae intelligunt mucum vulvo-vaginalem, aut menstrua, aut aliquid simile; nam, uti mox vidimus, omnes indiscriminatim agunt semper et solum de semine, quale requiritur ad *generationem humanam* et *nonnisi ad generationem humanam,* et nullo modo agunt quaestionem an semen mulieris sit menstruum, mucus aut quaecumque alia materia. Dein, cum veteres, qui admittebant semen mulieris necessarium ad generationem, noscerent tantum menstrua et mucum praedictum et ignorarent ovaria et ovula, quomodo aliter debebant hanc doctrinam exponere? At remanet semper principium *certum, immutabile,* ab ipsis ex iure firmissime statutum, quod, ad consummandum matrimonium, ad affinitatem contrahendam, ad conficiendam unam carnem, ne sit impotentia etc., requiritur, ut ait Sanchez et omnes cum illo, « copula, ex qua sequi potest generatio » [1].

100. Notetur insuper, *nonnullos* auctores, cum loquuntur de co-

---

[1] Sanchez. *De Matrim.*, l. II, d. 21, n. 11. — Hinc non recte opinatur cum nonnullis modernis Aa., Gasparri, cum docet: « quando veteres scriptores loquuntur de *semine femineo, de commixtione seminum,* vel *sanguinum,* de *foeminae seminatione* etc., immerito eorum verba intelligeres de ovulo femineo, de unione spermatis virilis cum ovulo, de separatione ovuli feminei ab ovariis etc., sed eorum verba referuntur ad illud pseudo-semen, quod indicavimus » (Gasparri, *Tractatus canonicus de Matrim.* Edit. 3, vol. I, n. 570). Et paullo inferius idem A. (n. 573) ait: « Pariter DD. passim tradunt partes fieri unam carnem *per commixtionem corporum, per commixtionem seminum, per commixtionem carnalem* etc., quae expressiones *aequivalent* phrasi scripturali et canonicae: *cognoscere mulierem* ». Et bene quidem; at, si *aequivalent* dictae expressiones huic phrasi, cum hae phrases in Scripturis semper indicent copulam, fecundationem et partum secutum, ut supra ostendi, patet etiam praefatas expressiones idem significare debere, scilicet saltem possibilitatem generationis; aliter enim quomodo possent illi phrasi aequivalere? Pergit ibidem ipse A.: « Et revera per carnis copulam corpora seu carnes ita commiscentur ut membra unius sint *velut* membra alterius et unius corporis *quasi* duo membra ». Non recte ita dicitur; nam, per hanc copulam *mechanicam* copulantes manent perfecte distincti et numquam possunt unum efficere; et textus non dicit « erunt duo *velut* in carne una », sed absolute « erunt duo in carne una »; quod quidem nonnisi per generationem verificatur actu, si generatio sequitur, vel virtualiter, si generatio actualis non sequitur, sed tamen partes sunt aptae ad generandum; dein notandum, dicta verba prolata fuisse statim ac institutum fuit matrimonium ad propagandam tantum speciem humanam; ac proinde sunt intelligenda relate ad generationem. (Confr. Comment. Card. Caietani et Aa. supra relat. n. 84).

pula perfecta, scilicet ex qua possit fieri generatio, in casu affinitatis, consummationis etc., uti his verbis « copula *per se* apta ad generationem, *de se* sufficiens ad generationem, *natura sua* apta ad generandum etc. », remanet ut explicetur vis illorum *per se, de se, natura sua* etc. In primis oportet rite cognoscere qui sit *finis* copulae physiologicae seu iuxta naturae rationem et quae elementa *essentialiter* illam constituant. Cum matrimonium ab initio institutum sit tantum causa multiplicandi homines et haec multiplicatio nonnisi per copulam *ordinarie* fieri possit, patet copulam, iuxta intentionem naturae, inservire *per se* et *immediate* ad generationem habendam. Nam, in copula vir emittit semen in vaginam et nemaspermata fecundant ovulum, ex quo facto novus procreatur homo. Et hoc tam verum et certum est, ut copulam quis licite exercere nequeat nisi in matrimonio, quod ordinatum est ad prolem habendam. Id colligitur etiam ex eo, quod fere omnes animalium species per copulam multiplicantur. Si generatio non adesset, nec copula quidem adesset. *Finis* ergo naturalis, physiologicus copulae est tantum procreatio. Hinc S. Thomas docet: « ad *generationis utilitatem* coitus ordinatur » [1] ; et « illa actio dicitur esse contra legem naturae, quae non est conveniens *fini debito,* sive quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, sive quia de se est improportionata fini illi. **Finis autem, quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda et educanda**... Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem, quae in ipso est, non referendo ad *finem* a natura intentum, contra naturam facit; et *similiter etiam nisi sit talis concubitus, qui ad illum finem convenienter ordinari potest* » [2] . Item S. D. docet: « *Habet hoc ratio naturalis, quod homo utatur generationis actu secundum quod convenit generationi et educationi filiorum* » [3] . Et, re quidem vera, ad quid inserviunt semen, ovulum et uterus, nisi intuitu generationis tantum? Si finem generationis excludis, ad nil aliud inservire possunt. Hac ratione omnis emissio seminis, quae non sit ob finem generationis, mediate vel immediate, est peccatum consummatum contra naturam. « Naturalis enim ordo talis actus debet esse eiusmodi, ut ex illo sequi

---

[1] S. Thomas, *Contra Gentil.*, l. 3, c. 122.
[2] Idem, *In lib. sent.*, d. 33, q. 1, quaestiunc. 3, sol. 1.
[3] Idem, *In Epist. I ad Corinth.*, c. VII, lect. 1.

possit hominis generatio; haec enim est *finis* illius; si ergo non possit sequi, erit talis actus contra ordinem naturalem; ideoque dicetur peccatum contra naturam » [1]; et « semen humanum a natura *ordinatur* ad generationem » [2]. Copula ergo, iuxta naturae rationem est *medium* et tantum *medium* ad assequendum finem a natura intentum, et, hac ratione, medium non potest seiungi ab eius fine; medium enim necessario supponit finem, saltem possibilem; qua re sequitur medium non posse adhiberi, nisi intuitu eius finis naturalis, saltem possibilis. Ut copula vero assequatur suum naturalem finem seu generationem, necessario et essentialiter requirit semen ex parte viri et ovulum et uterum ex parte mulieris; per haec enim elementa essentialia tantum generatio fit possibilis [3].

101. His praemissis, copula, quae exercetur a coniugibus, habentibus mox praedicta elementa, erit quae sufficit ad generationem humanam, etiamsi *actualis* generatio non sequatur. Multae enim sunt causae, ut infra videbimus, quae possunt impedire actualem generationem, praesertim in femina et valde frequentes, quales ex. gr. aciditas muci vulvo-vaginalis, in praesenti adeo communis, qui nemaspermata occidit, os uteri, quod non sit in medio axis vaginalis, absentia proprietatis localis, deviationes plures uteri etc.; quae causae nonnisi *accidentaliter* prohibent generationem, cum organa generationis subministrent necessaria ad prolem et causae possint etiam removeri. Copula vero eunuchi et mulieris carentis ovariis et utero vel utrisque simul, est *per se* et *necessario* et *in perpetuum* infecunda, quia defectus praedicti sunt irremediabiles, et ob eorum causam nullo modo possunt haberi elementa necessaria ad generationem. Cum igitur copulantes tales sunt, qui valeant elementa generationis subministrare, etsi actualiter non generent, eorum copula

---

[1] Filliuccius apud Gury-Ballerini, *Theol. mor.*, vol. I, n. 429.

[2] Elbel apud Gury-Ballerini, ibid.

[3] Hac ratione sophisma sapit, quod affirmat Gasparri cum nonnullis modernis Aa., scilicet: « In humana generatione esse actionem humanam et actionem naturae. Actio humana concluditur penetratione membri virilis in vaginam et effusione veri seminis in eadem; deinde incipit actio naturae » (Gasparri, *op. cit.*, n. 571), nempe formatio hominis, ut inde concludat, copulam ita habitam, etiam cum mulier sit penitus castrata, esse copulam, quae consummat matrimonium, inducit affinitatem etc. Etsi enim *theoretice* fat sit considerare separatim actionem humanam et actionem naturae, *in re* tamen non potest; prima enim est medium, altera est finis; ibi evidenter confunditur medium cum fine, ad quem non tantum copula, sed et totus genitalis mulieris apparatus, immo mulier ipsa tota physica et moralis a natura ordinatur.

dicenda est *per se, natura sua, de se* apta ad generandum, quia possibilis semper evadit generatio aut non deest, nisi per accidens; dum copula, in casibus praecedentibus castrationis, ex qua nunquam et in perpetuum possit haberi generatio, quia desunt elementa necessaria, dicenda est *de se, natura sua, per se* omnino *non apta* ad generandum. Quod vero talis debeat esse sensus illius *per se* etc. penes Auctores, patet etiam ex hoc, quod ipsi semper includunt in definitione conceptum generationis, cum dicunt copula per se, de se, natura sua *apta ad generationem;* si in conceptu copulae ipsi voluissent excludere generationem, inutile prorsus fuisset semper dicere *apta ad generationem;* satis erat dicere simpliciter *copula* aut quid simile; qui quidem conceptus naturalis, magis obvius, a sensu etiam communi statuitur. Hinc etiam sequitur defectus, qui impediunt generationem, nonnullos esse *accidentales*, quia reddunt possibilem generationem, quique constituunt *sterilitatem*, nonnullos vero esse *substantiales,* quia reddunt prolem perpetuo impossibilem, puta ob defectum vel atrophiam organorum generationi necessariorum, qui quidem defectus constituunt *impotentiam.* Communem hanc doctrinam clarissime tradunt Ballerini-Palmieri: « Utrumque sane elementum (semen viri et ovulum feminae) ex aequo necessarium est ad generationem; ideoque, quemadmodum non est copula apta ad generationem ea, in qua deesset semen virile (qualis illa foret, quam eunuchus haberet), ita pariter apta non est ad generationem copula, ubi desit *ovum* feminae, quod merito et ipsum vocandum esset semen... Quocirca, *copula per se apta generationi,* quae requiritur, ne sit impotentia, *postulat utrumque elementum* et *praeterea postulat ut per se sit possibilis coniunctio utriusque.* Secus haberi poterit potestas ad copulam, sed non ad copulam aptam generationi; illa gaudent etiam eunuchi, atque feminae carentes ovariis et utero, hanc non habent mares carentes spermate ac feminae carentes ovis. Porro *actus matrimonialis, quo fiunt coniuges una caro, est copula apta generationi;* ad quam copulam proinde etiam S. Thomas requirit commixtionem sanguinum; *finis enim matrimonii proprius et principalis est procreatio prolis, ita ut finis quoque secundarius,* qui est sedatio concupiscentiae, *per copulam tantum idoneam generationi sit obtinendus* ».

« Cum dixerimus copulam aptam *per se* generationi, explicanda est illa particula *per se:* dicitur copula *per se* apta, quae instructa est omnibus elementis, quae natura tamquam necessaria praestituit generationi obtinendae; haec autem sunt *sperma virile, ovulum fe-*

minae, aditus pervius spermatis ad ovulum, ut illud attingat, sine qua locum non habet fecundatio; *uno ex his deficiente, deest potestas ad copulam aptam generationi et adest impotentia.* Si eadem elementa existant quidem, sed *quodam vitio laborant, vel causa aliqua ipsis extrinseca impediatur ne agant,* habetur impotentia *per accidens, atque haec vocatur* **sterilitas.** Diximus tertio *aditum pervium* etc.; moderni autem physiologi pressius rem definiunt postulantes *uterum,* in quo ovum fecundatum evolvitur et maturescit; etsi enim occurrant foetus extrauterini, ii tamen numquam habent locum deficiente utero » [1].

102. Haec explicatio praedictorum *per se, de se, sua natura* etc. non placet Gasparri et paucis nonnullis modernis Aa. Ipse tradit omnem copulam *per se, de se, natura sua* esse aptam ad generationem, dummodo vir emittat semen in vaginam; quidquid vero fiat post emissionem, sive proles sequatur, sive non, etiam in casu mulieris castratae, hoc fieri per accidens, quia nonnulli Aa. veteres docent immissionem seminis in vas feminae *per se* satis esse ad generationem. Quod ita intelligi debeat sensus illarum particularum, has rationes adducit Gasparri (n. 582): « *a*) quia hic intellectus respondet nativae verborum *per se, per accidens* vi et communi loquendi usui; *b*) nec facile admitti debet contradictio inter tantos auctores; *c*) tandem nonnulli mentem suam explicant. Ita Sanchez, l. IV, tit. XIV, n. 71. « Ad affinitatem contrahendam requiritur talis copula, per quam vir et mulier fiunt una caro; atqui non fiunt una caro, nisi per copulam perfectam, sufficientem ad generationem, qualis est sola illa, in qua semen virile recipitur intra vas femineum ». Et Sanchez l. VII, d. LXIV, n. 8: « Non efficiuntur una caro (vir et mulier), nisi per copulam perfectam ac sufficientem ad prolis generationem, qualis est sola illa in qua virile semen intra vas femineum recipitur ».

103. Antequam ad singulas rationes respondeamus, praemittendum nobis est: 1° conceptum copulae, iuxta intentionem naturae, non posse separari ab eius fine, ad quam copula ipsa ordinatur, ut probavimus; 2° praedictos Aa., in definitionibus de consummatione, affinitate etc. semper coniungere conceptum copulae cum eius fine naturali seu generatione; 3° plurimos eorum, cum agitur de facto

---

[1] Ballerini-Palmieri. *Op. cit.*, vol. VI, n. 865, nota. Cfr. mea opuscula *Pro Conceptu*, nn. 55-56; *De Mulieris excisae* etc., n. 6; *De Conceptu*, nn. 96-98.

physiologico generationis, tueri opinionem *probabiliorem* Aristotelis et Sanchezii, quae docet ad generationem sufficere semen virile, quin aliquid mulier praebeat necessarium. — His praemissis, ad *a*) respondeo, sensum illarum particularum non posse accipi eo modo, quo contendit Gasparri cum nonnullis aliis, quia conceptus copulae non inspicitur iuxta intentionem naturae, cum natura copulam instituerit, ut *medium*, ad habendam generationem, quae est *finis* copulae. Si enim generatio non exstitisset, ne copula quidem haberetur; quapropter copula debet considerari relate ad finem, ad quem naturaliter ordinatur. — Ad *b*): si inspicimus *opiniones probabiles vel probabiliores*, quas defendunt plures veteres Aa. circa factum physiologicum generationis, minime invenimus in eis contradictiones; si vero inspicimus *veritatem scientificam* de facto physiologico generationis, maximam invenimus in eis contradictionem et falsitatem. — Ad *c*): Nonnulli explicant mentem suam non iuxta *veritatem physiologicam*, sed iuxta *opinionem probabiliorem* sui aevi, quae in praesenti amplius sustineri nequit; quam opinionem *debebant* tueri, prae opposita tantum ipsis *probabili*, cum agatur de valore Sacramenti. Quare, si loquimur iuxta *probabiliorem* Aristotelis sententiam, illa copula, in qua emittitur *tantum* semen virile in vaginam, quin mulier aliquid necessarii praebeat, sufficit ad generationem; si vero iuxta *veritatem scientificam* loquimur, dicta copula *non sufficit* ad generationem, nec unquam sufficiet, si mulier ovula et uterum non habeat. Aristotelicam sententiam nunc temporis sustinere, magna haeresis scientifica est et risum et commiserationem maximam lectorum movet. Hac ratione, supra diximus, in veteribus Aa., sedulo distinguenda esse principia certa iuris naturalis et pontificii, quae immutata manent, ab explicatione physiologica, quae apud illos falsa est, et praedicta principia factis certis physiologicis applicanda; nisi ita fiat, maximi errores docentur et propagantur. Si inspicimus modum, quo tradunt *omnes Aa.* principia certa iuris, invenimus *certitudinem absolutam, universalem*, et nunquam illa exponunt cum maiori vel minori probabilitate, quae tantum habetur cum praedicta principia commiscent factis male notis; ex. gr. Sanchez absolute docet esse « *potentiam generandi necessariam ad matrimonii valorem* » [1]; et « *ad matrimoni valorem requiritur copula, ex qua sequi potest gene-*

[1] Sanchez, *De Matrim.*, l. 7, d. 104, n. 4.

ratio »[1]; et « *copula requiritur ad consummationem* **apta ad generandum** »[2]; Escobar: « *ad matrimonii consummationem requiritur copula,* **ex qua sequi possit generatio** »[3]; Zacchia: « requiritur in consummatione matrimonii **potentia ad generandum,** quia **per generationem,** quae ex miscela utriusque seminis succedit, *vir et uxor efficiuntur una caro,* iuxta illud Gen. 11, 24, *et erunt duo in carne una;* nam quid illud est, virum et uxorem effici unam carnem? Num simplex utriusque coniunctio per membra generationis? Nequaquam; nam frustratoria est haec coniunctio, *nisi ex ea sequi possit generatio,* aut semina utriusque decisa non commisceantur ad **concipiendum fetum** »[4]; S. Thomas item docet affinitatem oriri « in qualibet carnali copula, *ubi est commixtio seminum, quia ex tali copula potest proles produci* », et « *concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum, quae possit esse causa generationis;* et ideo ex tali concubitu non causatur affinitas »[5]; idem Tournely: « Observa affinitatem non contrahi, nisi ex copula perfecta, et *qualis ad generationem requiritur* »[6]; Sanchez ipse loquens de copula, quae inducit affinitatem et quae requiritur ad valorem matrimonii, docet: « Ad affinitatem ea copula desideratur, ex qua *apta nata est sequi generatio* »[7]; et « affinitas petit virum et feminam sic copulari, *ut inde possit subsequi generatio* »[8].

His principiis certis admissis, videat Gasparri utrum copula cum muliere excisa consummetur matrimonium, induci possit affinitas, excludi impotentia, et sufficiat ad valorem matrimonii.

104. Ceterum non omnes Aa. adhibent verba *per se, sua natura* etc. quoad copulam relate ad impotentiam, affinitatem etc.; sed etiam *absolute* adhibent verba: *copulam aptam ad generandum, ex qua sequi potest generatio, quae sit causa generationis, apta ad concipiendum fetum, ex qua potest proles produci,* uti nuper et supra vidimus Quae quidem expressiones, si conferantur cum aliis,

---

1 Sanchez ibid., l. II, d. 21, n. 11.
2 Idem, ibid., l. II, d. 21, n. 5.
3 Escobar, *Univ. theol. moralis,* Lugduni 1652, *De Matrim.,* Sect., II, l. 25, dub. 42.
4 Zacchia, *QQ. medico-legales,* l. 9, tit. 3, q. 7, nn. 2-3.
5 S. Thomas, *Suppl.,* q. 55, a. 3.
6 Tournely, *Praelectiones theol., De Sacram. Matrim.,* Neapoli 1765, tom. 12, pag. 264.
7 Sanchez, *Op. cit.,* l. 7, d 67, n. 8.
8 Idem, ibid., n. 19.

quas supra retulimus, certissime indicant semper et exclusive possibilitatem generandi. Et sane, quidem; ipsi enim Aa. ex historia et quotidiana experientia certo sciebant non in singulis matrimoniis, etiam post repetitas copulas, coniuges habere prolem, et aliquando nonnisi post plures annos sterilitatis; ut declararent ergo has copulas secum ferre omnes consequentias copulae aptae ad generandum, scilicet consummationem, affinitatem etc., hoc indicarunt per verba *per se, natura sua*, etc., quia scilicet, si *accidentales* illae causae, quae defectum prolis adduxerunt, non adfuissent, proles de facto sequuta esset, sicut in pluribus lapsu temporis prodiit. Alias, exclusa scilicet evidenter capacitate perpetua, absoluta, ob defectum, puta, organorum essentialium, quomodo possent talia matrimonia dici valida, iuxta principia iuris, quae tam lucide ipsi Aa. semper unanimiter tradiderunt? Et quomodo potest dici verum matrimonium cum excisa, cui absolute et perpetuo ablata est potentia generandi, cum omne matrimomium debeat esse illud ipsum matrimonium primitus institutum tantum ad prolem multiplicandam?...

105. Quoad *tertium* circa τοῦ *fieri unam carnem* etc., scilicet quoad praxim Ecclesiae, habemus quatuor recentes causas, quas sufficit meminisse, propositas S. C. C., hisce ultimis annis, nempe *Salernitana* (21 Mart. 1863), *Verulana* (24 Ian. et 22 Iun. 1871), *Albiganen* (7 Septemb. 1875) et *Monasterien.* (19 Maii 1900), in quibus mulieres, quae iam matrimonium contraxerant, habebant *absentiam uteri* et *vaginam plus minus brevem et informem.* Matrimonia fuere declarata nulla, quia, adstantibus hisce anomaliis, etsi mulieres potuissent recipere ac partem seminis retinere, impossibile erat consummare matrimomium ob impossibilitatem generandi, causa defectus uteri [1].

106. Ex praemissis ergo patet, locutiones « consummare matrimonium, fieri unam carnem, cognoscere uxorem » et similes, significare capacitatem habendi copulam, ex qua sequi potest prolis generatio.

---

[1] Cfr. mea opusc. *De Conceptu* etc., nn. 60-61 et *De Mulieris excisae* etc., nn. 110-115, in quibus referuntur extensae praedictae causae et obiectiones adversariorum refutantur.

CAPUT II.

DE NATURA COPULAE PRO VALORE MATRIMONII

107. Etsi matrimonium sit propter generationem, tamen ad eius *essentiam* certum est non pertinere actum copulae coniugalis, seu eius usum, sed tantum potentiam ad actum copulae aptae ad generandum, per quam scilicet provideri possit generationi. Quae quidem veritas probatur: 1° Matrimonium Adam fuit verum matrimonium, etsi illud nonnisi post expulsionem e Paradiso consummatum fuerit; 2° Beata Virgo Maria verum matrimonium inivit cum D. Ioseph, etsi numquam cognita fuerit ab Eo; 3° Plures Sancti viri inviolatam reliquerunt suam uxorem post verum matrimonium initum, ut constat ex S. Eduardo, rege Angliae [1], S. Henrico [2] etc. Hinc, S. Thomas docet: « Quod, quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen *potentia ad actum est de eius essentia*, quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulae » [3]. Quae verba S. Thomae ita explicat Haine: « Quamvis enim ad matrimonii essentiam minime pertineat ut illud consummetur, *potentia tamen ad eius consummationem seu ad copulam generationi aptam, ita necessario requiritur, ut sine ea matrimonium consistere nequeat;* matrimonialis enim contractus traditionem importat in mutua corpora, et quidem ad eum usum, quo vir et mulier fiant una caro » [4].

---

[1] In lect. Brev. 13 Octob.
[2] Ibid., 15 Iulii.
[3] S. Thomas, *Suppl.*, q. 58, a. 1 ad 1.
[4] Haine, *Op. cit., vol. cit.*, c. 8, n. 41 ad 3.

108. Quod vero *potentia generandi* ita sit *de essentia* seu *ratione matrimonii,* ut, illa perpetuo *substantialiter* ablata, nullum matrimonium validum fas sit contrahi, probatur: 1° *ex natura ipsius matrimonii seu ex eius bonis vel proprietatibus;* 2° *ex doctrina Ecclesiae;* 3° *ex doctrina unanimi canonistarum et theologorum.*

109. Quoad *primum.* — Certum est matrimonium institutum fuisse tantum causa generationis, cui non licet vacare nisi in matrimonio ipso; hac ratione finis prolis est de natura seu essentia matrimonii; ob causam vero prolis suscipiendae, alendae, educandae ac instruendae ad cultum Dei, necessario sequitur, quod uterque coniux nequeat alias personas cognoscere, neque alia coniugia inire; quod constituit necessitatem et debitum, pro utraque parte, servandi sibi invicem fidelitatem seu fidem coniugalem. Demum matrimonium, quod vetere lege erat tantum civilis contractus, Christus evexit ad dignitatem Sacramenti, quo conferuntur speciales gratiae coniugibus, et significatur unio Christi cum Ecclesia. Quae proprietates matrimonii constituunt eius *bona* [1], quae, ut patet, sunt ipsi matrimonio ita intrinseca, ut in singulis matrimoniis necessario, quoad obligationem, inveniri debeant.

110. Cui doctrinae certae respondet doctrina Ecclesiae, quae in Conc. Florentino sub Eugenio IV, an. 1459, docet: « Assignatur autem triplex bonum matrimonii. *Primum* est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. *Secundum* est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. *Tertium* indivisibilitas matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae » [2].

111. Hinc Aa. semper eamdem tradunt doctrinam, ex quibus sequentes referimus:

S. Thomas habet: « *Ista bona,* quae matrimonium honestant, *sunt de ratione matrimonii;* et ideo non indiget eis quasi exterioribus quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem, quae ei secundum se competit » [3]. Dein, iuxta prae-

---

[1] Non recte hinc docet Gasparri, cum ait: « Hanc theoriam trium matrimonii bonorum *primus proposuit* S. Augustinus (can. 10, caus. 27, q. in 2. in Decreto), quam postea canonistae et theologi passim sequuti sunt » (*Op. cit.,* vol. I, n. 10, nota). Nam S. Augustinus non proposuit *theoriam,* sed tantum *has proprietates,* intrinsecas matrimonio, cum sint ex eius natura, nomine eius *bonorum* vocavit.

[2] Apud Billuart, *Summ. S. Thomae,* edit. nova, Parisiis 1895, vol. 10, pag. 93.

[3] S. Thomas, *Suppl.,* q. 49, a. 1 ad 2.

fatam doctrinam, S. D. docet actum coniugalem esse illicitum, scilicet non posse excusari, sine his bonis. Ad quaestionem enim, utrum actus coniugalis excusari possit absque praefatis bonis, respondet: « Remota causa, removetur effectus; sed *causa honestatis* actus matrimonialis sunt matrimonii *bona;* ergo sine eis non potest actus matrimonialis excusari. Praeterea non differt actus praedictus ab actu fornicario, nisi in praedictis bonis; sed concubitus fornicarius semper est malus; ergo, si non excusatur praedictis bonis, etiam matrimonialis actus semper erit malus » [1].

112. *Sanchez:* « *Substantia matrimonii consistit* in consensum ad societatem coniugalem, sub quo tacite includitur ad perpetuam societatem, ad fidem mutuo sibi servandam, *prolemque suscipiendam, quae sunt tria bona matrimonii* » [2]; et « **haec bona tantum** *pertinent ad eius essentiam, quoad obligationem,* non vero quoad exsecutionem » [3]. Quod autem haec bona sint *vere intrinseca* matrimonio, iterum docet Sanchez: « *Haec bona* non adveniunt matrimonio ab extrinseco, sed *sunt de ratione matrimonii,* quare non indiget eis, quasi quibusdam extrinsecis ad illud honestandum, sed quasi causantibus in ipso intrinsecam honestatem; nam **bonum prolis** et **fidei,** idest ut ordinetur ad prolem et mutuam fidem servandam, sitque vinculum indissolubile, **ex sua natura habet;** et ut sit Sacramentum, habet in quantum est elevatum a Christo ad hoc » [4]. Hinc docet, bonum fidei et prolis fuisse etiam in statu innocentiae et in matrimonio B. Virginis, cum sint intrinseca matrimonio, non quidem ut bona excusantia seu cohonestantia matrimonium, cum deficerent detrimenta, ob quae bona excusantia requiruntur [5].

113. *Mastrius de Meldula* docens conditionem contrariam substantiae matrimonii reddere hoc invalidum, has rationes affert: « *quia,* ait, **tria** *sunt bona matrimonii;* primum perpetuitas et indissolubilitas matrimonii; secundum susceptio et educatio prolis; tertium fides seu fidelitas inter ipsos coniuges... et dicuntur *esse de substantia matrimonii, nempe quantum ad obligationem,* licet non omnia quantum ad effectum... *quia matrimonii* **substantia in illis tribus bonis**

---

[1] S. Thomas, ibid., a. 5.
[2] Sanchez, *De Matrim.,* l. 5, d. 9. n. 3
[3] Idem., ibid., n. 6.
[4] Idem, ibid., l. 2, d. 29, n. 5.
[5] Idem, ibid., n. 7.

consistit, in consensu scilicet et obligatione ad societatem coniugalem, ad fidem mutuo servandam et prolem suscipiendam; cum igitur praedictae conditiones his tribus repugnent bonis, sequitur matrimonii naturam et essentiam per illas conditiones appositas omnino destrui » [1].

114. *Ioannes de Friburgo:* « Haec tria bona coniugio sunt *substantialia, non accidentalia* » [2].

115. *S. Bonaventura*, expositis causis seu rationibus trium matrimonii bonorum, tradit: « Ex his patet obiecta, quia connumerantur non quaecumque bona, sed quae communia sunt statui naturae corruptae; ideo nec pax, nec obsequium, nec bonum, quod accipitur in quantum est remedium, inter haec bona connumerantur, *sed haec tria bona solum* » [3].

116. *Estius:* « *Tria sunt matrimonii bona*, proles, fides, sacramentum, *per quae matrimonium ipsum excusari dicitur* » [4].

117. *Filliuccius:* « *Illa* (tria) *bona, quoad obligationem, sunt de essentia matrimonii;* quoad executionem solum bonum Sacramenti est de essentia, alii duo minime, ut pluribus Sanchez » [5].

118. *Rosset:* « Tria sunt bona, ad quae *suapte natura* tendit matrimonium, nempe *fides, proles* et *Sacramentum* » [6]. Et: « Qui contrahit matrimonium, tenetur nullum ex tribus praedictis bonis excludere in sua intentione, alioquin certe peccaret mortaliter, *immo invalide contraheret*, si suum consensum tali exclusioni alligasset; *nam esset conditio contra substantiam matrimonii* » [7].

119. *Ballerini-Palmieri:* « Adverte fines istos, in quibus consistunt bona (ut dici solent) matrimonii, non advenire ab extrinseco, prout ab extrinseco sunt fines operantis, quibus operans cohonestat

---

[1] Barth. Mastr. de Meldula, in IV Sent., q. 1, a. 1, 161.

[2] Ioannes de Friburgo *Summa Confessarii, De Matrim.*, tit. 12, l. 4, q. 53. — « Matrimonium institutum fuit, cum Adam inspiratus dixit: « propter hoc relinquet etc.» Ex quibus verbis ostendit tria bona matrimonii, scilicet bonum Sacramenti sive inseparabilitatis, quando dixit « propter hoc relinquet homo patrem et matrem », idest cohabitationem patris et matris. Et bonum fidei, quando dixit « et adhaerebit uxori suae, idest non alienae. Et bonum prolis, quando dixit « et erunt duo in carne una » scilicet unius pueri procreandi ». (Idem, ibid, tit. II, l. 4, q. 22).

[3] S. Bonaventura, l. 4, d. 31, q. 2 resolv.

[4] Estius, In IV Sent., d. 31, § 1.

[5] Filliuccius, *De Sacram. Matrim.*, P. I. c. 3, n. 74.

[6] Rosset *De Sacram Matrim.*, 1892, vol. I. n. 410.

[7] Idem, ibid., n. 420.

actionem per se indifferentem, *sed esse de ratione matrimonii;* ergo non indiget matrimonium iis quasi quibusdam extrinsecis ad ipsum cohonestandum, sed propter eos *sibi et naturae suae intrinsecos* habet per se honestatem. Quippe *ad naturam ipsam contractus matrimonii* pertinet 1° ut *ordinetur ad prolem,* 2° ut ordinetur ad mutuam fidem servandam et 3° ut sit vinculum indissolubile; quibus 4° ex Cristi institutione accedit ratio Sacramenti ad coniugum sanctificationem » [1].

120. *Bucceroni:* « Ex omnium catholicorum doctorum et praesertim Angelici Doctoris sententia *tria* sunt et nonnisi *tria* sunt (bona matrim.) *proles, fides, bonum Sacramenti,* ita ut sine ipsis matrimonium haberi non possit, eaque omnia et sola requirantur et sufficiant, ut matrimonium habeatur... *bona* eaque esse *prolem, fidem* et *bonum Sacramenti,* sic probat A. D. etc. (Suppl. q. 41, n. 2) » [2].

121. *De Luca* docet: « *haec tria tantum bona dari in matrimonio* et horum *praecipuum esse bonum prolis*... Porro, si haec tria bona tantum pertinent ad essentiam eius quoad obligationem, omne matrimonium debet habere triplex hoc bonum, ita ut valide non possit contrahi quod caret aliquo ex illis bonis » [3].

122. *P. Wernz,* exposita natura et vi trium bonorum matrimonii, tradit: « Ex hisce tribus bonis *substantialibus* evidenter, *ratione dignitatis,* primum locum occupat bonum Sacramenti; est enim in ordine supernaturali gratiae; bona autem prolis et fidei pertinent ad matrimonium in officium naturae. At, cum ea, quae spectant ad naturam, *magis essentialia* sint quam gratia, ideo *bona prolis* et fidei *matrimonio magis essentialia* sunt, quam Sacramentum » [4].

123. Idem docemur doctrina Ecclesiae. Cum enim agitur de conditionibus appositis contra substantiam matrimonii, scilicet contra praedicta bona, aperte Ecclesia docet, matrimonium, ita initum, invalidum esse: « Si conditiones *contra substantiam* coniugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contraho tecum, *si generationem prolis evites*... matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret ef-

---

[1] Ballerini-Palmieri, *Op. cit.,* vol. VI, n. 226.

[2] Bucceroni, *Casus Conscientiae,* edit. 2, Romae, 1904, vol. 2. p. 213.

[3] De Luca, *Summa praelectionum in lib. Decretal,* etc., seu *De Sponsalibus et Matrimonio.* Prati 1904, n. 23 bis.

[4] Wernz, *Ius decretalium,* vol. 4°, *Ius Matrim. Ecclesiae Cathol.,* Romae 1904 n. 52, p. 79.

fectu » [1]. Hic, ut patet, exemplum affertur de vitanda prole, quae est unum ex bonis intrinsecis et essentialibus matrimonii.

124. Idem confirmatur ex Const. Sixti V de matrimonio eunuchorum, diei 28 Iunii 1587. Tunc temporis in Hispania frequentissima erant coniugia eunuchorum cum mulieribus scientibus aut ignorantibus eorum defectum, ob quae matrimonia non paucae oriebantur lites et controversiae; qua re Episcopus Navariensis postulat a S. Pontifice, quid sentiendum sit de huiusmodi connubiis. Papa respondet:

« Cum frequenter in istis regionibus Eunuchi quidam et Spado-
« nes, qui utroque teste carent, et **ideo certum ac manifestum est,**
« **eos verum semen emittere non posse,** quia impura carnis tentigine,
« atque immundis complexibus *cum mulieribus se commiscent*, et
« humorem forsan quemdam similem semini, **licet ad generationem**
« **et ad matrimonii causam minime aptum effundunt,** matrimonia cum
« mulieribus, praesertim hunc ipsum eorum defectum scientibus, con-
« trahere praesumant, idque sibi licere pertinaciter contendant, et
« super hoc diversae lites et controversiae ad tuum et Ecclesiasticum
« forum deducantur, requisivit a Nobis fraternitas tua, quid de huius-
« modi connubiis sit statuendum.

« Nos igitur attendentes, quod *secundum canonicas sanctiones*
« *et naturae rationem,* qui frigidae naturae sunt et impotentes,
« iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur; quod
« praedicti Eunuchi aut Spadones, quas tamquam uxores habere non
« possunt, easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet,
« tam ipsos, dum *se potentes ad coeundum iactitant,* quam mu-
« lieres, quae eis nubunt, non ut caste vivant, sed *ut carnaliter*
« *invicem coniungantur prava et libidinosa intentione, sub prae-*
« *textu et in figura matrimonii turpes huiusmodi commixtiones*
« *affectare,* quae cum peccati et scandali occasionem praebeant,
« *et in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecctesia Dei*
« *prorsus exterminandae.* Et insuper considerantes, quod ex Spado-
« num huiusmodi et Eunuchorum coniugiis *nulla utilitas provenit,*
« *sed potius tentationes illecebrae et incentiva libidinis oriuntur,*
« eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus
« ut *coniugia* per *dictos et alios quoscumque Eunuchos et Spado-*
« *nes, utroque teste carentes,* cum quibusvis mulieribus, defectum

---

[1] Decret. l. 4, De *Condit. appos.*, c. 7.

« praedictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus, *contrahi pro-*
« *hibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda*
« *inhabiles Auctoritate Nostra declares,* et tam locorum Ordinariis,
« ne huiusmodi coniunctiones de cetero fieri quoquomodo permit-
« tant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonia con-
« traxerint, *separari cures,* et *matrimonia ipsa, sic de facto con-*
« *tracta, nulla, irrita et invalida esse decernas* ».

125. Ut clariora pateant doctrina et consectaria huius Constit., liceat eam ad analysim in primis revocare. Hac Constit.:

1° S. Pontifex incipit adducendo *rationem facti*, quae est *basis* Constitutionis, scilicet agi de eunuchis, utroque teste privatis, in quibus « *certum ac manifestum est eos verum semen emittere non posse* » et, etsi forsan quemdam humorem, similem semini, « *licet ad generationem et ad matrimonii causam minime aptum effundunt* », praesumunt contrahere etc. Hic docet Sixtus V *semen necessarium esse ad generationem, et ad causam matrimonii.* Causa vero matrimonii, ut omnibus liquet « est ad quam matrimonium est de se ordinatum, et haec semper bona est, scilicet *procreatio prolis* et *vitatio fornicationis* » [1], vel « est *sobolis procreatio et educatio* finis primarius matrimonii, et mutuum vitae adiutorium finis secundarius, GEN. I, 28. Post Adae peccatum, remedium etiam concupiscentiae, alius matrimonii finis secundarius » [2]. Ergo S. Pontifex docet *semen* requiri in matrimonio ad finem primarium et ad omnes secundarios assequendos; atqui eunuchi, privati utroque testiculo, carent semine; ergo, ut mox dicetur, nullum possunt consequi finem matrimonii, ac ideo nequeunt contrahere.

2° Docet, *iuxta canonicas sanctiones et naturae rationem,* duplex esse caput, ex quo matrimonium quis contrahere prohibetur, scilicet 1° ex *frigida natura* et 2° ex *impotentia.*

3° Docet eunuchos laborare non impedimento frigiditatis, sed *impotentiae;* nam Constit. ipsa dicit tales eunuchos contrahere matrimonium « *ut carnaliter coniungantur prava et libidinosa intentione* », cum se ipsos iactarent « *potentes ad coëundum* ». Impotentia vero coëundi, quae matrimonium dirimit, est « *impotentia et inhabilitas ad exercendam copulam carnalem ad humanam*

1 S. THOMAS, Suppl., q. 48, a. 2.
2 BUCCERONI, *Instit. theol. mor.*, vol. 2. n. 959.

generationem necessariam... sive hoc se teneat ex parte viri, sive ex parte mulieris »[1]. *Frigiditas* autem *naturae* est inhabilitas physica seu mechanica penetrandi ob defectum erectionis; quae quidem frigiditas, in casu eunuchorum, ab ipsa Constit. evidenter excluditur.

4° Docet tales coniunctiones esse occasionem peccati et scandali et damnationis animarum ac proinde esse exterminandas ab Ecclesia Dei. Et re quidem vera, cum eunuchi nequeant generare et ideo careant re *substantiali* matrimonii, idest *bono prolis*, quam ob causam ne ceteros fines assequi possunt, patet eorum connubia nonnisi fomitem peccatorum evadere et causam ruinae spiritualis et ob id prorsus exterminanda.

5° Omnibus his rationibus allatis, quae in impotentia fundantur iure naturali et ecclesiastico, docet eunuchorum matrimonia iam, contracta esse separanda et futura prohibenda, quia sunt « *nulla, irrita et invalida* ».

126. *Consectaria* vero analysis huius Constit. sunt:

1° Sixtus V, hac Const., non creavit novum ius, sed tantum *declaravit* ius naturae et Ecclesiae;

2° In viro semen requiritur *ad valorem matrimonii*, cum semen sit *necessarium ad generationem et ad causam matrimonii*;

3° Eunuchi non possunt contrahere, ne ob fines quidem matrimonii secundarios, cum, et ad hos consequendos, non requiritur copula quaecumque, sed copula, ex qua sequi possit generatio, seu quae sit apta ad generandum, qua perpetuo carent eunuchi ob defectum substantialem seminis.

4° Ad sedandam concupiscentiam, etiam propriam, requiritur copula apta ed generandum.

127. Sedulo vero notetur omnes has consequentias oriri tantum, ea ratione, quia eunuchorum matrimonia adversantur **bono prolis,** quod est essentiale matrimonio.

Hinc sequitur, ex ipsa Constit., *capacitatem generandi*, ex iure naturae et Ecclesiae, esse necessariam *ad validitatem matrimonii* pro viro. Idem vero ius *necessitatem* capacitatis generandi requirit etiam pro femina, cum et ipsa necessario active concurrat ad gene-

---

[1] Mastrius de Meldula, *Theol. mor.*, De *Matrim.*, d. 20, a. 4, n. 114.

rationem; quam necessitatem requirit non Constit. ipsa, quae de eunuchis loquitur, sed summa principiorum iuris, quae ibi continentur.

128. *Quoad vero auctores, tum theologos tum canonistas*, qui eamdem doctrinam tradunt, scilicet capacitatem generandi esse necessariam ad valorem matrimonii, sufficiat sequentes referre, cum iam plures superius retulerimus:

129. *S. Thomas* ad rem docet: « Quod quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen *potentia ad actum* est de eius essentia, quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulae » [1]. Quae S. Thomae verba ita explicat Haine: « Quamvis enim ad matrimonii essentiam minime pertineat, ut illud consummetur, *potentia tamen ad eius consummationem seu ad copulam ad generationem aptam ita necessario requiritur, ut sine ea matrimonium consistere nequeat; matrimonialis enim contractus traditionem importat in mutua corpora et quidem ad eum usum, quo vir et femina fiunt una caro* » [2].

130. *Sylvius:* « *De ratione matrimonii* est traditio potestatis ad copulam carnalem; haec autem copula fieri non potest, *nisi possint commisceri semina* seu *quae sunt loco seminis* » [3].

131. *Sanchez* docet esse « **potentiam generandi necessariam ad matrimonii valorem** » [4]. Et « *Substantia matrimonii consistit* in consensu ad societatem coniugalem, sub quo tacite includitur ad perpetuam societatem, ad fidem sibi mutuo servandam, *prolemque suscipiendam* » [5].

132. *Paulus Zacchia:* « *Certum autem est* coniuges fieri unam carnem, **quod est de essentia matrimonii,** non per penetrationem vasorum, sed ex commixtione seminum ex parte utriusque effusorum » [6]. Item: « *Necessarium est ad valorem matrimonii,* ut vir et uxor efficiantur una caro, quod non fit per simplicem copulam carnalem, sed *per copulam aptam ad generationem* » [7].

---

1 S. Thomas, *Supplem.*, q. 58, a. 1 ad 1, et in IV, d. 34, q. unic., a. 2 ad 1.
2 Haine, *Theolog. moral. Elem. ex. S. Thoma* etc. 1899, edit. 4, tom. IV. c. 8, n. 41 ad 3.
3 Sylvius, *In Supplem.*, quaest. 58, a. 1, quaerit. 1.
4 Sanchez, *Op. cit.*, l. 7, d. 104, n. 4.
5 Idem, *Op. cit.*, l. 5, d. 9, n. 3.
6 Zacchia, P. *Op. cit. Consilior.* 72, n. 11.
7 Idem, ibidem., l. 9. tit. 3, q. 2, n. 15.

133. *Salmanticenses:* « De **essentia matrimonii** est obligatio ad reddendum debitum et ius ad petendum ac *proinde* **traditio corporum cum potentia ad generandum** » [1].

134. *Conninck* docet contrahentes *necessario* consentire debere « in obligationem reddendi debitum non quocumque modo, sed cum debite exigitur. Item in obligationem, quandiu matrimonium durabit, nullam aliam a coniuge cognoscendi *et non impediendi generationem et prolem, si nascatur, christiane educandi,* **quia eiusmodi obligatio necessario cum essentia matrimonii coniuncta est** » [2].

135. *Billuart:* « *Essentia matrimonii* consistit in mutua traditione corporum, quantum *ad usum coniugalem necessarium fecundationi uxoris* » [3]

136. *Gonzalez Tellez*: « *Ad valorem matrimonii* desideratur ut coniuges possint fieri una caro... Nam... matrimonium requirit obligationem saltem radicalem *ad copulam aptam generationi,* per se loquendo » [4].

137. *S. Alfonsus:* « Matrimonium *consistit in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem,* sive in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem » [5].

138. *Lehmkuhl:* « Obiectum vero *essentiale* mutui consensus (in matrim.) est ius et obligatio mutua *in ordine ad generandam educandamque prolem,* eaque individua et perpetua » [6]. Et matrimonium, iuxta suam naturam et essentiam, est « individua maris et feminae consociatio, *qua mutuo complentur ad constituendum iure unum generationis principium* » (n. 678). « His *verbis* recte exprimitur primarius finis, ad quem haec societas proxime tendit, vid. « ut contrahentes compleantur iure *tamquam unum generationis* principium ». Natura enim distinctiva diversarum consociationum *essentialiter* pendet a proximo eius fine, quae in definitione illa necessario exprimendus est » (n. 679).

139. *Bucceroni:* « *Substantialia contractus* (matrimon.) sunt res, causa, consensus [7]. Res est quod mutuo datur et accipitur *po-*

---

[1] Salmanticenses, *Op. cit.*, tract. 9, c. 4, punct. 1, n. 5.
[2] Conninck, *De Sacramentis* d. 24, dub. 4, n. 40.
[3] Billuart, *Op. cit.*. vol. X, pag. 155.
[4] Gonzalez-Tellez, *Comment perp. in sing. text. decret.*, tit. 15, n. 9.
[5] S. Alfonsus, *De Matrim.*, n. 1045.
[6] Lehmkuhl, *Theol. mor.*, ed. 9, vol. II, n. 688.
[7] Bucceroni G., *Institut. theol. mor.*, edit. 3, vol. 2, n. 944.

testas seu *ius in corpus ad coëundum in ordine ad generationem* » [1].

« *Ius reale*, quod per matrimonium contractum acquiritur, *aliud non est, quam ius utendi corpore coniugis ad usum generationis* », ut docet Laymann [2].

140. Ex hucusque dictis ergo concludendum, tum iuxta naturae rationem et doctrinam Ecclesiae, tum iuxta Auctores omnes theologos et canonistas, *certum esse consummare matrimonium importare capacitatem generandi, et capacitatem generandi adeo esse de essentia matrimoni, ut, hac in perpetuum substantialiter ablata, matrimonium validum contrahi non possit.*

141. His praemissis, facilis et certus eruitur conceptus *impotentiae* et *sterilitatis. Impotentia* tunc adest, cum non potest haberi copula, ex qua sequi possit generatio, sive quia desunt organa necessaria, sive quia ipsa sunt atrophica, sive quia plures etiam aliae causae sunt, quae reddunt prolem *perpetuo* et *substantialiter* impossibilem. *Sterilitas* vero tunc locum habet, cum copula in talibus circumstantiis exercetur, in quibus coniuges elementa necessaria ad generationem habent quidem vel habere possunt, at vel quia ovulum fecundatum cito emittitur, inscia muliere, ut frequenter fit, vel aliquid aliud accidentale obstat ex parte alterutrius vel utriusque, quominus *actualis* generatio sequatur. Evidenter in primo casu copula est *per se* infecunda, in altero vero tantum *per accidens.*

142. Notetur attente: 1° veram impotentiam, de qua agimus, et quae impedit vel dirimit matrimonium, auctores passim vocare *impotentiam coëundi,* et simplicem *sterilitatem* dicere *impotentiam generandi.* Huiusmodi appellationes aptissimae sunt ad gignendam confusionem, ut videri potest penes plures modernos auctores, qui putant impotentiam coëundi esse tantum incapacitatem penetrandi vas femineum et impotentiam generandi esse impotentiam; quae quidem non parva confusio effecit ut plures errores de hac re in praesenti apud nonnullos recentes auctores irrepserint. Quod vero *impotentia coëundi* apud veteres omnes sit *vera impotentia* et *impotentia generandi* sit simplex *sterilitas,* ex sequentibus clarissime apparebit. Interea, ut vitetur quaelibet confusionis causa, pro-

---

[1] Bucceroni, ibid., n. 959.

[2] Laymann, *Theol. mor.* l. 5, tr. 10, P. II, c. 1, n. 1

ponimus ut impotentia coëundi Auctorum *impotentia* simpliciter appelletur et impotentia generandi tantum *sterilitas* dicatur. — Notetur 2° plures veteres Aa. cum loquuntur de impotentia (sicut de consummatione, affinitate etc.), tueri semper probabiliorem sententiam de sufficientia seminis virilis ad habendam generationem, excluso scilicet quolibet feminae semine necessario ad generationem, ac proinde eorum definitiones esse corrigendas, si volumus etiam iuxta ipsa eorumdem certa principia veritatem exponere.

143. His praeiactis, nonnullos Aa. afferemus, ex quibus clare patebit conceptus impotentiae et sterilitatis, qui est ut nuper exposuimus.

144. *Laymann* docet: « Impotentia alia est ad prolem generandam, quae *sterilitas* dicitur, et haec, si sola sit, nullum matrimonio impedimentum adfert. Alia vero est impotentia ad copulam carnalem, de qua haec assertio sit: *impotentia ad copulam* **perfectam** *dirimit matrimonium subsequens* » [1].

« Nota quod dixi *ad copulam perfectam*, idest, quae fit cum missione veri seminis in vas muliebre, *Sanchez*, l. 7, d. 92, n. 17 » [2]. — At Sanchez, loco cit., tenet, iuxta Aristotelem, *ad generationem sufficere tantum semen virile*, quod falsum est.

145. Quod vero Laymann nomine *copulae perfectae* intelligat copulam physiologicam seu ex qua sit possibilis generatio, habetur ex ipsa doctrina, quam tradit, scilicet:

« *Ius reale*, quod per matrimonium contractum acquiritur, *aliud non est, quam ius utendi corpore coniugis ad usum generationis* » [3].

Item: « *Extra controversiam est, quod prolis generatio praecipuus finis sit actus coniugalis, quem proinde coniuges excludere nunquam debent, sed impliciter saltem ac virtualiter intendere, nisi* **per accidens** *ob senectutem vel sterilitatem desperetur proles* » [4].

Agens vero quaestionem de senibus morti proximis, ait: « Si vero accidit *ipsam generandi potentiam*, vi morbi, secundum se,

---

[1] Laymann, *Theol. mor.*, l. 5, tract. 10, P. 4, c. 11, n. 1.
[2] Idem, ibid., n. 4.
[3] Idem, *Op. cit.*, P. 2, c. 8, n. 9.
[4] Idem, ibid., P. III, c. 4, n. 1.

destructam esse, tunc impotens homo censeri debet matrimonii contrahendi » [1]. Item : « *Si potentia generandi,* vi morbi, secundum se ac simpliciter, *destructa esset,* ut *nulla humana arte restaurari posset,* etsi hominem diutius vivere contingat (quod in dubio praesumi non debet), *tunc matrimonium valide contrahi non posse. Idemque sentiendum de viris senibus, quorum vires adeo exhaustae sunt, ut nullo humano remedio iuvari possint ad copulam perficiendam* » [2].

Ergo, iuxta Laymann, potentia generandi est necessaria ad valorem matrimonii, et qui carent hac potentia nequeunt contrahere, quia sunt impotentes.

146. *Salmanticenses* docent de sterilibus : « Illi vero qui *potentiam habent coëundi,* sed sunt *steriles,* vel a natura, vel ratione senectutis, vere contrahunt matrimonium.., quia *vere* possunt copulam maritalem habere et sic se ad illam obligare, quia licet ex eo semine nequeat generatio evenire, **hoc non est ex natura seminis,** quod est eiusdem speciei cum aliis, sed ex speciali qualitate et temperamento ; et *sic non frustratur per se prolis generatio,* **quae finis est matrimonii,** *sed per accidens* » [3]. Ergo, si steriles et senes valide contrahunt, habent quod est *de essentia matrimonii.* Nam « **de essentia matrimonii,** iuxta eosdem Aa., est obligatio ad reddendum debitum et ius ad petendum, ac **proinde traditio corporum cum potentia ad generationem** » [4]. Ergo, si ipsi non generant, est tantum per accidens.

Cum iidem Aa. loquuntur de senibus, qui nullo modo possunt adiuvari ad consummandum et ideo ad generandum, docent non posse contrahere, « quia impotentia perpetua, etiamsi ex accidenti proveniat, impedit matrimonium. — Etiamsi (hi senes) possint vas feminae penetrare si non seminare intra illud, nec ulla arte ad id adiuvari, *inhabiles sunt ad matrimonium,* quia utrumque requiritur ad consummationem matrimonii, *ut coniuges fiant una caro* » [5]. Et « **debet esse copula apta ad generationem illa, per quam coniuges fiunt una caro** » [6].

---

[1] Laymann, ibid., P. 4, c. 11, n. 6.
[2] Idem, ibid., n. 7.
[3] Salmanticenses, *Op. cit.,* n. 114.
[4] Idem, ibid., c. 12, punct. 19, n. 116.
[5] Idem, ibid., punct. 11, n. 127.
[6] Idem, ibid., c. 4, punct. 1, n. 2.

Item: « Moribundus, quantumvis in extremis constitutus, si est rationis compos, valide contrahit matrimonium, *quia veram potentiam generandi habet*, quamvis pro illo tempore impeditam, et talis impotentia non est ex genere suo et modo perpetua, nisi per morbum penitus fuisset ablata, quod non creditur, nisi manifeste constet » [1].

Ergo, iuxta Salmanticenses, in casu *sterilium* et *senum* adest potentia generandi, etsi per accidens non generent, in casu autem *impotentium* potentia generandi perpetuo abest, quae est impotentia coëundi.

147. Eamdem doctrinam tradit *Amort*. De *sterilibus* docet eos valide contrahere, si sterilitas sit *naturalis*, quia, ait, « non potest sciri an sterilitas sit perpetua, prout patet ex multis, *qui primum sero generarunt;* neque ea est talis defectus, qui sine miraculo stricte dicto curari non possit... Si sterilitas causata fuerit *artificialiter* per potum seu venenum sterilitatis, **constituit verum impedimentum dirimens matrimonii titulo impotentiae;** *quia hoc venenum destruit seu corrumpit ipsa organa generationis, nempe* **ipsam matricem, ovaria** vel **testiculos** » [2]. Ergo, iuxta Amort, steriles possunt valide contrahere, quia *possunt generare;* steriles vero, sive viri sive mulieres, qui destructam habent organa necessaria generationis, nequeunt contrahere, quia, inhabiles perpetuo ad generandum, sunt vere impotentes.

148. *Catalanus* habet: « solam impotentiam perpetuam et absolutam coëundi et vas femineum penetrandi cum effusione seminis apti ad generationem dirimere matrimonium contrahendum, nec solum iure ecclesiastico, sed etiam iure naturae... Quod dirimat iure naturae probatur ex eo, quia cum tali impotentia nequeat fieri una caro, nec coniux eo impedimento laborans potest alteri tradere corpus suum ad *coniugalem usum*, ut exposcit ius naturae » [3]. En vero quod importat *usus coniugalis:* « Finis **essentialis** (matrim.) consistit in mutua traditione corporum et obbligatione ad reddendum debitum » [4], et: « In matrimonio siquidem traduntur corpora ad con-

---

[1] Salmanticenses, *Op. cit.*, n. 128.

[2] Amort, *Theol. ecclect. mor. schol., De Matrim.*, § II, q. 1.

[3] Catalanus, *Univ. iuris theol. mor., De Matrim.*, P. 3, q. 15, c. 17, n. 6.

[4] Idem, ibid., c. 6, q. 11, n. 1.

iugalem usum **ob generationem,** *non vero ad alium ob explendam libidinem* » [1].

Quod si mulier nequeat seminare, docet idem A. non esse censendam impotentem « quia semen muliebre non est necessarium ad generationem prolis, esto valde conferat ad generationem, ut habet *probabilior sententia.* Sic docent Sanchez etc. » [2]. Atqui ad generationem necessaria sunt elementa mulieris; ergo, si haec desunt, omnino censenda est impotens non iuxta probabiliorem sententiam Aristotelis et Sanchez, sed iuxta scientificam veritatem.

Matrimonia vero sterilium Catalanus docet esse valida, « quia semel ac valent semen effundere, fieri possunt una caro, nec semen illud est **ex se** *inaptum ad generationem,* sed *per accidens;* ex temperamento speciali subiecti frustratur suo fine » [3].

Senum et decrepitorum idem A. docet valere matrimonium, si possunt aliquo modo adiuvari ad copulam; « eo enim ipso quod vir iuvari possit natura vel arte ad copulam habendam, fieri potest una caro cum sua muliere, ex quo congressu *posset per se generatio haberi, esto non habeatur per accidens* ». Si vero « senex adeo exhaustus esset ut iudicio medicorum impotens omnino iudicaretur ad copulam habendam, etiam cum adiutorio medicamentorum, tunc enim esset *absolute impotens* eo quia copula evaderet ei impossibilis, et *de essentia matrimonii est nativa obligatio ad copulam* » [4]. Haec autem copula, ut iam ab ipso A. audivimus, habenda est *ob generationem,* non ad aliud ob explendam libidinem. Immo ipse clarissime docet finem *essentialem* matrimonii semper habendum esse, saltem virtualiter, ad valorem matrimonii; ait enim: « *Finis essentialis in matrimonio contrahendo ita haberi debet a contrahentibus illud,* **ut sine ipso nec licite nec valide contrahi possit.** Finis vero accidentalis contrahendi matrimonium ob prolis generationem expresse, *quamvis virtualiter saltem habeatur finis essentialis, licitus* pariter erit absque dubio... Licitus pariter erit alter finis accidentalis matrimonium contrahendi ad sedandam carnis concupiscentiam et fornicationem vitandam, si adsit periculum illius, *retento saltem*

---

[1] Catalanus, *Op. cit.,* q. 12, n. 3.

[2] Idem, ibid., q. 15, c. 17, n. 11-A. in omni hac re sequitur semper Sanchez, ut videri potest in q. 12, c. 16, n. 4.

[3] Idem, ibid., q. 15, c. 19, n. 14.

[4] Idem, ibid., q. 15, c. 17, n. 15.

virtualiter fine essentiali » [1]. Ergo, hac doctrina docemur non posse contrahi matrimonium nec licite nec valide cum non possit haberi eius finis essentialis scilicet generatio, quod quidem constituit impotentiam (impotentia coëundi); quod si coniuges possunt quidem generare, etsi per accidens non generant, matrimonium valet, quia sunt tantum steriles.

149. *Pontius:* « *Impotentiam ergo coëundi voco impotentiam vere seminandi intra femineum vas*, sive sit semen natura sua sterile, sive fecundum, *ratione cuius seminationis fiant una caro* » [2]. At Pontius tenet sententiam Aristotelis et Sanchezii de nulla cooperatione essentiali feminae ad generationem; ait enim: « Parum autem refert ad affinitatem contrahendam, quod femina seminet vel non, cum eius semen *ad generationem* non esse necessarium sit constans opinio » [3]. — Certa autem veritas est, quod si mulier ovula et uterum non habeat, generatio nullo modo fieri potest.

De eunuchis autem docet eos non posse valide contrahere, « *quia consensus in copulam ideo in matrimonio licet*, **quia ordinatur ad prolem;** unde et effusio illa debet esse veri seminis, quamvis aliquo accidenti sit forsan infecundum. In huiusmodi autem eunuchorum connubio, congressus vacuus et inanis est, nec solum ob accidens aliquod *in prolem ordinari non potest;*... non ergo licet illis iure naturae matrimonium in ordine ad copulam *ad prolis bonum* minime ordinabilem » [4]. Ergo, iuxta Pontium, cum copula non possit ordinari *ad bonum prolis* per se, scilicet cum impossibilis absolute sit generatio, habetur impotentia coëundi, quae dirimit vel impedit matrimonium; cum vero generatio est possibilis, at non evenit per aliquod accidens, matrimonium valet, quia agitur de sterilitate.

150. *Castrus Palaus* idem tenet: « Impotentia ad copulam, ait, est impotentia ad penetrandum vas femineum et semen generationi aptum intra illud effundendi » [5]. Hic A. sequitur Aristotelem et Sanchez quoad modum generationis. Ait enim: « Quod si vir potens sit vas femineum penetrare et intra illud semen ex se generationi aptum effundere, quamvis aliqui doctores, quorum meminit Sanchez,

---

[1] Catalanus, *Op. cit.*, q. 11, c. 6, n. 2.
[2] Pontius, *Tract. de imped. matrim.*, causa 33, q. 1.
[3] Idem, ibid., c. 35, q. 1.
[4] Idem, ibid., c. 33, q. 1.
[5] Castrus Palaus, *Opus morale*, P. V, d. 4, punct. 14, n. 1.

statim referendus, quibus Gaspar Hurtado *d. diff. in fin.* adhaeret, insuper requirant ut femina seminare valeat, ut matrimonium inter ipsos contractum teneat, *longe verius est eam potentiam necessariam non esse*, ut *tradit Sanchez dicta disp.* 92, Gutier etc. Nam, esto semen mulieris generationi valde conferat, simpliciter tamen necessarium non est, et saltem negari non potest id esse dubium; et in casu dubio pro matrimonii valore ferenda est sententia iuxta textum etc. » [1]. Attamen clare docet: « *quippe matrimonium ad generationem ordinatur*, **debet ergo consummari copula generationi apta** » [2]. Atqui, ut copula sit generationi apta, non sufficit semen virile, sed requiruntur etiam elementa necessaria ad prolem ex parte feminae; ergo si ex parte alterius coniugis haec elementa numquam subministrari possunt, deest capacitas copulae generationi aptae, et, iuxta eumdem A., habetur impotentia.

151. *Pichler* docet, quod impedimentum dirimens est « *impotentia scilicet ad coëundum* seu *ad copulam perfectam et aptam ex se ad generationem prolis*, quam explicavimus ad tit. XIII, *de eo qui cognovit, quam polluit*, n. 2 ». In dicto titulo et num. habet: « *Copula perfecta est illa, quae de se apta est ad generationem prolis, licet forte per accidens ut in sterilibus, senibus etc. impediatur* **actualis** *generatio:* in quo conveniunt facile omnes; *apta autem ad generationem* **est illa tantum,** *in qua membrum virile penetrat vas muliebre ac intra uterum effundit verum semen* [3]. Paulus Zacchia peritissimus medicus in *QQ. med. leg.* l. 9, tit. 10, q. 1 a. n. 7. *Videri etiam potest Sanchez l. 2, d. 21*, et Gobat tr. 9, n. 390. Utrum vero necesse quoque sit ut femina seminet, disputant DD. Negat S. Thomas, Aristoteles et teste Gobat tr. 9, n. 390 cit. plerique theologi: affirmant medici et inter hos P. Zacchia l. 7, tit. 3, q. 1, a. n. 16, ex principiis medicinae fuse probat oppositam sententiam vocans haeresim medicam, Perez, Praepos. Hurtado, Clericatus *De Sac. Mat.* dec. 31, n. 6. allegans quoque S. Thomam 3. p. q. 55, a. 4 ad 2, qui etiam in *Suppl.* q. 56, 2, in c. sic loquitur: *affinitas non contrahitur, nisi facta commixtione seminum*, ex

---

[1] Castrus Palaus ibid., d. 4, punct. 14, n. 2.

[2] Idem, ibid., d. 3, punct. 2, n. 1.

[3] Haec copula, ut pluries iam diximus, nullo modo est apta ad generationem absque elementis necessariis ad prolem ex parte mulieris. In hoc sequitur Sanchez, ut mox asserit.

qua possit sequi generatio carnalis, et alii canonistae, *quibus et ego accedo* propter textum in can. 8 cit. *De eo qui cognovit*, ubi non tantum requiritur, ut talis sit copula, per quam vir et femina sint duo in carne una, sed etiam fiat *sanguinis commixtio*, **scilicet seminis utriusque**, *cum commixtio non fiat seminante tantum uno*... Recentiores et moderni medici admittunt ovula in feminis, et hinc generationem explicant aliter et non improbabiliter » [1]. Ergo, etiam iuxta Pichler, copula perfecta est illa, ex qua potest sequi generatio, et impotentia seu inhabilitas perpetua ad huiusmodi copulam est impedimentum dirimens.

Dein Pichler recte distinguit hanc impotentiam a sterilitate; dicit enim: « *Impotentia coëundi* differt ab *impotentia generandi;* nam prior est inhabilitas ad commixtionem maris et feminae, per quam efficiuntur una caro, seu *est inhabilitas ad copulam carnalem perfectam*, unde orta est: posterior (alio nomine sterilitas) est *inhabilitas ad* **actualem** *generationem prolis, etiam praesupposita copula carnali perfecta*, seu commixtione maris et feminae, prout contingit in senibus et sterilibus, sive ex natura, sive ex accidenti steriles sint. Haec posterior impotentia generandi, *modo adsit potentia coëundi*, non est impedimentum matrimonii » [2]. Ergo, iuxta Pichler, inhabilitas perpetua ad generationem prolis est impotentia dirimens vel prohibens matrimonium; inhabilitas vero ad actualem generationem, supposita aptitudine ad generandum, est sterilitas, quae nec impedit, nec dirimit matrimonium.

152. *Gonzalez Tellez* ait: « Ad valorem matrimonii desideratur ut coniuges possint fieri una caro, quod cum non admittat impotentia perpetua, ideo matrimonium celebratum cum impotente non valet; nam repugnat obligationi coniugali ad copulam impotentia coëundi et matrimonium *requirit obligationem saltem radicalem ad copulam aptam generationi*, per se loquendo; sed qui absolute habet impotentiam ad copulam, non potest sic obligari, eo quod ad impossibile nemo obligatur... Itaque *cum spes futurae prolis et liberorum procreatio praecipuus sit ineundi matrimonii finis*, **non potest dici coniugium cum eo** (vel cum ea) **rite vel perfecte**

---

[1] Pichler, *Summa iurisprudentiae*, tit. XIV, § 2, n. 18.
[2] Idem, ibidem.

contrahi, qui vir (vel femina) **non est et ex cuius amplexu nulla liberorum spes esse potest »** [1].

Ergo, iuxta Gonzalez Tellez, aptitudo ad generandum est necessaria ad valorem matrimonii; quod si haec perpetue et per se abest, habetur impedimentum dirimens impotentiae; si vero spes futurae prolis habetur, etsi proles non veniat, matrimonium valet, et res est de sterilitate.

153. *Sporer:* « Impotentia coëundi seu *exercendi copulam carnalem perfectam* perpetua praecedens dirimit matrimonium etc. » [2]. « *Exercendi copulam perfectam scilicet cum emissione seminis intra vas naturale sufficienter ad generationem* » [3]. Loquens vero A. de affinitate, ad quam requiritur huiusmodi copula, addit: « Ratio est, quia per omnem et solam talem copulam vir et femina fiunt una caro, *unumque principium generationis*, qua unitate fundatur propinquitas affinitatis » [4]. — Atqui, ut coniuges fiant una caro et unum principium generationis non sufficit semen virile, sed necessaria sunt etiam elementa mulieris; ergo impotentia coëundi est impotentia perpetua ad generandum.

154. *Mastrius de Meldula* de impotentia habet: « *Cum finis primarius matrimonii sit prolis generatio et haec nonnisi per copulam carnalem naturali modo obtineri possit,* **plane vir et femina,** *qui matrimonio sunt iungendi,* **ad huiusmodi copulam habiles esse debent; quare impotentia et inhabilitas ad exercendam copulam carnalem, ad humanam generationem necessariam, maxime matrimonium impedit,** *et est impedimentum dirimens, sive hoc se teneat ex parte viri, sive ex parte mulieris* » [5].

Circa discrimen vero impotentiae et sterilitatis ait: « Per impotentiam in praesenti, ut dixi, intelligitur inhabilitas consummandi matrimonii, sive ex parte viri teneat, sive ex parte feminae, quae inhabilitas *non est ex eo praecise quod alteruter coniugum aut uterque* sint steriles, quia impotentia ad generandum seu prolificandum, dummodo adsit potentia ad copulam carnalem et seminationem, non est impedimentum dirimens, ut omnes passim concedunt, cum

---

1 Gonzalez Tellez, *Comment. perpet. in sing. textus decret.*, tom. 4, tit. XIV, n. 9.
2 Sporer, *Op. cit.*, P. 4, c. 1, sect. 1, § II, n. 121.
3 Idem, ibid., n. 123.
4 Idem, ibid., n. 72.
5 Mastrius de Meldula, *Theol. Mor., De Matrim.*, d. 20, a. 4, n. 114.

Scoto 4, d. 81, q. v. n. ad 3 prin., ubi ait quod *contrahens non tenetur absolute ad prolem,* **sed conditionate si eveniat** ad gratanter suscipiendum et religiose educandum et *non ad procurandum studiose oppositum, scilicet ne eveniat,* et ubi est certa impossibilitas ad bonum prolis, tunc matrimonium est ibi in remedium, non in officium, quia ut supra dixerat d. 26 sub Q. et R. institutio divina respectu contractus matrimonii, licet fuerit ad procreandam prolem, tamquam propter finem principalem et primarium, tamen praeter hoc fuit institutum etiam in remedium, scilicet vitandae incontinentiae post lapsum, tamquam propter finem secundarium et minus principalem; quare in casu sterilitatis est in remedium concupiscentiae, quia homo, post Adae lapsum, uritur a concupiscentia. Deus autem huic morbo piissime obvenit, ut, etiamsi proles non possit haberi, matrimonia fiant etc.... Quam doctores omnes docent validum esse matrimonium inter steriles contractum, *quia inter istos intercedit vera copula apta, ex sua natura, ad generationem* » [1]. — Ergo, iuxta Mastrium de Meldula, clare patet impotentiam adesse cum impossibilis evadit copula necessaria ad generationem tum ex parte viri, tum ex parte feminae; cum vero contrahentes non teneantur absolute ad prolem, sed tantum conditionate si veniat, si non veniat, at sit possibilis (secus haberetur impotentia) res est de sterilibus, quibus conceditur matrimonium in remedium, cum et ipsi possint exercere copulam, ex *natura sua* aptam ad generationem, seu ex qua potest sequi generatio.

155. *Billuart* docet: « Impotentia, de qua hic agitur, est defectus impediens copulam coniugalem, h. e. seminationem in vase idoneo et commixtionem seminum, seu eorum, quae sunt loco seminum ex parte mulieris; unde quantumvis vir vas mulieris penetret, si in eo seminare non possit, impotens censetur, *quia tunc non consummatur matrimonium, nec fiunt una caro* » [2]. « Dixi et *commixtionem seminum,* quia neque per solam penetrationem vasis sine seminatione, neque per solam viri sine seminatione mulieris consummatur matrimonium in foro conscientiae, licet consummatum praesumatur in foro exteriori; *quia sine commixtione seminum apta generationi non fiunt una caro inchoative, quae inchoatio*

---

[1] Mastrius de Meldula, *l. c.*

[2] Billuart, *Summa S. Thomae.* Edit. nova. Paris 1895, tom. X, pag. 213.

completur per prolem, in cuius una carne complete adunantur »[1]. — Ergo, habetur impotentia cum coniuges non possunt efficere commixtionem seminum (nemaspermatum et ovulorum), aptam generationi, seu cum non possunt generare.

Dein, obiectioni contra matrimonium sterilium, scilicet « natura et finis matrimonii sunt propter prolem; atqui saepe nulla est spes prolis, ut in matrimonio sterilium; ergo matrimonium tunc ex natura sua exigit dissolubilitatem », respondet: « Disting. minor., saepe nulla est spes prolis et hoc est *per accidens*, conc.; et hoc est *per se*, nego. Lex autem attendit id quod est per se et non per accidens »[2]. Ergo in sterilitate proles abest per accidens, quia impossibilis non est; alias ageretur de impotentia, ut ipse A. mox docentem audivimus.

156. *Böckhn* idem docet: « Impedimentum impotentiae, quae est defectus corporis et inhabilitas ad habendam perfectam copulam coniugalem, naturali iure obstat matrimonio;... differt a *sterilitate, quae potentiam generativam solum reddit imperfectam ac debilem, ut proles ex copula sequatur, ut plerumque accidit in senibus* »[3]. — Ergo in sterilitate habetur capacitas generandi, etsi imperfecta et debilis, in impotentia vero abest omnino.

157. Supra audivimus etiam *Zacchiam* docentem ad conficiendam unam carnem, quod est de essentia matrimonii, non sufficere copulam quamcumque, « nisi ex ea *sequi possit generatio, aut semina utriusque decisa non commisceantur ad concipiendum fetum* ». Et: « *ubi ex coitu nulla est spes generationis, ex eo quod semina coniugum simul non concurrant, neque uniantur*, cum adhuc intra corpus non sint producta, *non possunt vir et uxor effici una caro et sic non possunt matrimonium consummare.*

Insuper docet: « *Impotentia coëundi* vitium est vel naturale vel accidentale, quo quis impeditur alteri carnaliter commisceri. Coitus enim est applicatio maris et feminae in organis generationis, quo superfluum expellitur, *quantum ad finem speciei* vel individui ordinata »[4]. Iterum: « Ad matrimonii validitatem non requiritur

---

[1] Billuart, ibid., pag. 161.

[2] Idem, ibid., n. 163.

[3] Böckhn, *Comment. in ius can.*, tom. 3, *De Frig. et Mal.*, n. 1

[4] Zacchia, *Op. cit.*, l. 2, tit. 1, q. 1, nn. 6-7.

potentia generandi (quae est sterilitas), *sed coëundi; per coitum enim vir et uxor fiunt una caro,* absque eo quod sequi debeat generatio, quae omino non est necessaria ad validitatem matrimonii.. At *ubi coitus impotentia adsit, matrimonium ut invalidum dirimitur* » [1]. — Ergo, impotentia coëundi vel impotentia coitus est incapacitas conficiendi unam carnem, ex qua fetus concipi possit.

Zacchia insuper addit conditiones requisitas ne vir sit impotens, ex physiologia desumptas: « Quia, ait *ad coitum naturalem* tria requiruntur, *ad quem nempe sequi possit generatio,* ut unanimiter omnes medici docent, evenit, ut ubi ab una vel pluribus earum conditionibus vir deficiat, frigidus dicatur. Sunt vero tres illae conditiones ad coitum requisitae membri genitalis erectio usque ad operis consummationem, nempe ad seminis emissionem perdurans, ipsius membri intromissio debita in vas femineum, et seminis eiaculatio in ipsum uterum » [2].

De sterilibus vero haec tradit idem A.: « Primum ergo videndum *quid sit sterile, quid item sterilitas. Sterile* ergo dicimus animal, quod compari iunctum *in aetate habili* non potest generare sibi simile, licet largo modo *sterilem dicamus hominem, qui raro, ut si semel tantum in vita generat, vel fetus, ex propria culpa ad perfectionem deducere nunquam potest.* Atque hinc etiam patet, *quid sit sterilitas;* vitium enim est, ex quo animal compari iunctum in *aetate habili* generare sibi simile non potest, *vel fetus unquam ad perfectionem deducere* ». Referens vero Zacchia causas sterilitatis, inter cetera, ait: « Ex utriusque culpa potest evenire *sterilitas, etiamsi ambo sua natura foecundi essent,* ob disconvenientiam tamen possunt esse steriles; et patet *quia cum aliis iuncti generant* » [3]. De mulieribus vero sterilibus haec habet: « *Sterilem dici mulierem, quae in aetate habili, viro fecundo debite utens, numquam vel rarissime, concepit,* ut semel tantum in tota vita. Requiritur enim primo, ut mulier sit *aetate habili* et *habeat aptitudinem generandi a natura* etc. » [4]. — Ergo, iuxta Zacchiam,

---

[1] Zacchia, ibid., l. 9, tit. 3, q. 2, nn. 4-5.
[2] Idem., *Op. cit. l. c.*
[3] Idem, ibid., l. 9, tit. 10, q. 3, n. 22.
[4] Idem. ibid., l. 3, tit. 1, q. 7, nn. 5-6.

steriles sunt qui possunt generare in aetate habili, etsi de facto non generent ob plures causas.

158. *Sanchez* vero indicat etiam tempus aptum ad generandum pro feminis, dicens: « *Menstruum in femina sufficit ad probandam aptitudinem eius ad generationem.* Ducor quod feminae ex tempore quo menstruum habent et non antea concipere valeant », etsi « fieri posse, sed raro, aliquas sine profluvio concipere » [1].

159. *Henrincz* habet: « Impotentia hic significat *inhabilitatem physicam* sive *inaptitudinem ad exercendam copulam carnalem aptam ad humanam generationem* » [2]. « Ipsa namque *ratio matrimonii primo et per se respicit propagationem generis humani per copulam, in ordine ad quam debent coniuges invicem tradere potestatem corporis sui; quam tradere nequeunt impotentes* » [3].

160. *S. Alfonsus*, postquam statuerit principium iuris naturae et pontificii circa essentiam matrimonii, docens: « *matrimonium consistit in mutua traditione* **corporum physice aptorum ad generationem**, sive in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem », (ex quo deducitur 1° copulam coniugalem esse eam, quam exercent coniuges habentes corpora physice apta ad generationem et 2° matrimonium *requirere*, ut *validum sit*, capacitatem generandi in contrahentibus), ita loquitur de impotentia et sterilitate: « Impotentia, de qua hic loquimur, est illa propter quam coniuges non possunt copulam habere per se aptam ad generationem: unde sicut validum est matrimonium inter eos, qui possunt copulari *etsi per accidens nequeant generare, puta quia steriles aut senes*,... ita *nullum est matrimonium inter eos, qui nequeunt consummare eo actu, quo ex se esset possibilis generatio* » [4]. Hac doctrina docemur steriles et senes, etsi non generant per accidens, valide contrahere, cum habeant corpora physice apta ad generationem, quod est de essentia matrimonii; alias, si absentia generationis esset per se, necessario et perpetue, tunc res esset de impotentia, quia impossibile esset consummare matrimonium tali copula, ex qua posset fieri generatio prolis, cum matrimonium requirat *aptitudinem phy-*

---

1 Sanchez, *Op. cit.*, l. 7, d. 104, n. 4.
2 Henrincz, *Summ. Theol. scholast. et moral.* P. 4, d. 6, q. 10, n. 82.
3 Idem, ibid., n. 89.
4 S. Alfonsus, *Op. cit.*, n. 1818.

sicam generandi. Ergo, iuxta S. Alfonsum, in impotentia defectus generationis est per se, necessarius et perpetuus ut in eunuchis et feminis castratis, in sterilitate vero, quae supponit physicam aptitudinem generandi, defectus prolis est tantum per accidens.

161. *Bartolini:* « Duodecimum impedimentum est impotentia coëundi, « *si forte coire nequibis* ». Cum finis praecipuus matrimonii sit generatio prolis, si quis non habet aptitudinem ad generationem, secumfert impedimentum, quo nullum matrimonium valide contrahere potest. Et hoc valet etiam pro muliere quoad virum » [1]. De sterilibus vero docet posse eos valide contrahere, si habeant potentiam ad copulam perfectam, quia, etsi non assequantur primarium finem matrimonii, possunt assequi secundarium idest concupiscentiae sedationem, et quia potest fieri ut sterilitas tandem finem habeat et ita possent habere etiam finem principalem matrimonii, ut constat pluribus exemplis Scripturarum et historiae profanae [2].

162. *Vecchiotti*: « Impotentiam hoc loco vocamus inhabilitatem vel ex parte viri vel ex parte feminae ad matrimonium consummandum, perfectamque copulam habendam. Cum autem commercium carnale naturaliter compleri possit, etiamsi generatio non sequatur, non est iudicanda impotentia, si mulier fuerit sterilis. Hic agitur *de impotentia coëundi*, idest *habendi copulam ex se aptam ad generationem, non de impotentia generandi* seu *producendi prolem* » [3]. Impotentia perpetua antecedens dirimit matrimonium « *iure naturali, quia cum procreandae prolis causa nuptiae comparatae sint, ad essentiam matrimonii pertinet potentia ad perfectam copulam habendam, sine qua haud potest ipsius matrimonii usus et finis obtineri.* Cum igitur quaelibet res absque sua essentia naturaliter consistere nequeat, ex iure naturali irritum erit matrimonium, si ea sit ab initio viri aut mulieris imbecillitas, ut ipsum consummare non valeat » [4]. — Ergo impotentia coëundi est impotentia generandi perpetua; sterilitas vero est inaptitudo ad *actualem* generationem; qua re cum impotentia confundi non potest.

163. *Lehmkuhl* idem tradit: « Ab impotentia presse sumpta, ut

---

[1] Bartolini, *Pratic. istruz. pei nov. sposi, ovvero Morale cristiana dei parrochi e Confessori.* Osimo 1773, c. 7, n. 22.

[2] Idem., *Op. cit.*, n. 25.

[3] Vecchiotti, *Instit. canon.*, Taurini 1896, ed. 20, vol. 3, pag. 195.

[4] Idem, ibid., pag. 196.

impedimentum constituit, distinguitur mera *sterilitas*. Sterilitas enim, ut distinguitur ab impotentia, *supponit possibilitatem copulae ex se ad generationem aptae perficiendae;* **at proles non generatur, quia sive ex parte virilis seminis, sive ex parte mulieris aliquid obstat quominus semen virile ovum maternum contingat atque fecundet** » [1]. — Ergo A. in sterilitate supponit omnia organa necessaria et apta ad generationem; contrarium necessario locum habet in casu impotentiae.

164. *Alberti:* « *Essentia matrimonii consistit in mutua traditione et acceptatione iurium in proprium corpus relate ad generationem prolis.* Ex quibus sequitur *ad essentiam matrimonii pertinere* non factum generationis, sed *aptitudinem ad generandum. Qui caret hac aptitudine dicitur laborare impotentia...* Impotentia differt a *sterilitate. Haec non excludit aptitudinem ad generandum* et solum *per accidens* generatio non sequitur. Quare sterilitas nunquam dirimit vel etiam impedit matrimonium » [2].

Ex praedictis auctoribus ergo et etiam ex multis aliis, quos referre possemus, et qui consuli possunt in citatis meis opusculis, clare patet: 1° *impotentiam coëundi* esse impotentiam seu inhabilitatem exercendi eam copulam, ex qua fieri potest generatio prolis, et *impotentiam generandi* esse tantum sterilitatem; 2° impotentiam coëundi seu consummandi matrimonium, vel conficiendi unam carnem, impedire vel dirimere matrimonium, cum sit antecedens, perpetua et irremediabilis, et sterilitatem nec impedire nec dirimere matrimonium. Haec doctrina, ut patet, est omnino certa.

165. Breviter nunc colligentes doctrinam hactenus expositam, habemus:

1° Fieri unam carnem, consummare matrimonium et reliquas huiusmodi locutiones, quae tum in S. Scriptura et iure, tum apud Aa. frequenter occurrunt, significare copulam, ex qua potest sequi generatio prolis;

2° Aptitudinem conficiendi unam carnem seu consummandi matrimonium, quod appellatur *bonum prolis*, esse de essentia seu de natura matrimonii ita ut, hoc bono perpetue et substantialiter ablato, nullum matrimonium valide contrahi possit;

---

[1] Lehmkuhl, *Theol. mor.*, edit. 10, vol. 2, n. 743 ad 2.

[2] Alberti I., *Pars quarta Theol. pastor., De Sacram. Matrimonii*, Romae 1904, n. 88.

3° Impotentiam coëundi seu impotentiam coitus, tum iuris, tum Aa., esse impotentiam perpetuam ad generandum, quae, cum adversetur substantiae matrimonii, nempe bono prolis, impedit vel dirimit matrimonium; hanc appellamus simpliciter *impotentiam;*

4° Impotentiam generandi Aa. non esse nisi impotentiam ad *actualem* generationem, supposita aptitudine ad generandum; quae impotentia nec impedit, nec dirimit matrimonium; hanc appellamus simpliciter *sterilitatem,* ad vitandas causas confusionis;

5° Cum finis praecipuus matrimonii sit generatio prolis, aptitudinem generandi requiri iure naturae ex parte viri et ex parte feminae, ac ideo impotentiam et sterilitatem ad utrumque referri, cum uterque necessario concurrere debeat ad generandum.

166. Ex dictis clare patet impotentiam non posse confundi cum sterilitate; steriles enim non sunt impotentes, cum habeant aptitudinem generandi, impotentes vero sunt necessario steriles seu necessario infecundi, cum nequeant in perpetuum generare. Insuper sterilitas et impotentia potest afficere unum tantum coniugem vel utrumque.

167. His omnibus praemissis, iuxta *naturae rationem, iuxta canonicas sanctiones, et Aa. doctrinam* et *physiologicas leges,* ita definimus sterilitatem:

Sterilitas est habitus subiecti ita dispositi, ut ex copula carnali generatio, tantum **per accidens,** *non sequatur.* — Nota quod dixi *habitus subiecti;* quia sterilitas potest pendere non tantum ab organis generationis, sed etiam ab aliqua causa morbosa, quae afficiat totum organismum, ut esset, ex. gr. anemia, chlorosis, debilitas generalis etc., quae causae frequentissime in praxi observantur et saepissime per medicas curas removentur, ut constat ex quotidiana praxi et ex quamplurimis exemplis coniugum, qui, post plures annos sterilitatis, demum filios genuerunt.

168. Ita deinde definimus impotentiam:

Impotentia est absoluta et **necessaria** *inhabilitas ad prolem obtinendam, ob carentiam organorum generationis essentialium vel ob eorum atrophiam vel ob quemcumque alium defectum, qui reddit copulam vel impossibilem, vel* **ex natura sua necessario** *infecundam.*

169. Haec definitio impotentiae, quoad rem, perfecte cohaeret doctrinae et definitioni S. Alfonsi et ceterorum theologorum et canonistarum, qui, ut ea locum habeat, requirunt inhabilitatem exer-

cèndi copulam, ex qua possit sequi proles. — Insuper in hac definitione omnes casus, sive ex parte viri, sive ex parte feminae, comprehenduntur, in quibus matrimonium non licet contrahere. Tamen notandum, impotentiam non pendere exclusive ex carentia vel atrophia organorum generationis essentialium in utroque sexu, sed etiam ex aliis causis, quae referuntur ad anomalias genitalium, ut supra vidimus, et ad alias quoque causas, quarum praecipuas mox referemus.

170. Quum agitur de quaestionibus impotentiae, saepe in praxi valde implicatis, prae oculis semper tenendum est utrum ex copula generatio sit possibilis, aut ex natura sua copula necessario sit perpetue infecunda. In altero hoc casu, ex dictis, *certo* agitur de impotentia. Hinc, spectatis rationibus iuris naturae, spectato fine matrimonii praecipuo et physiologiae legibus, hoc obtinet principium generale de impotentia, valde utile pro praxi: « impotentia semper habetur, cum copula ad generationem evadit impossibilis, vel, si possibilis, finis essentialis eiusdem (h. e. proles) *absolute* per se sperari numquam potest, sive ob organorum essentialium absentiam, sive ob eorum atrophiam, sive ob quamcumque aliam causam, quae facit ut *copula ex natura sua sit necessario et perpetue infecunda* ». Quod principium facile sequitur ex superius dictis de essentia matrimonii, quoad copulam; cum enim ad *valorem matrimonii* requiratur potentia ad copulam, ex qua sequi possit generatio prolis, si haec potentia, per se perpetuo desit, nullum potest validum consistere matrimonium, et, ut ait S. Thomas, in huiusmodi matrimonio cum non possit sequi generatio, copula esset contra naturam. Factum seminationis virilis cum sit externum, semper de eo certitudo haberi potest; at, contra, factum decisionis ovuli in muliere cum factum mere internum et absconditum sit, semper praesumendum feminam subministrare vel subministrare posse elementum necessarium ad prolem, nisi aliqua ratio defectum organorum generationi essentialium vel eorum necessariam incapacitatem ad generandum certo demonstret. Ceterum aptitudo mulieris ad generandum semper adest, ordinarie loquendo, cum menstrua patitur. Hinc optima et in praxi tenenda regula a canonistis et theologis tradita, iuxta quam, ex ordinarie contingentibus, cum constat de copula habita et cum nulla ratio adest de impossibilitate absoluta et perpetua mulieris ad generandum, semper praesumenda est eius capacitas ad prolem gignendam. Cum vero e contra *certo* constet eius inhabilitas absoluta ad fecundationem, ut

ex. gr. si careret *certo* ovariis, vel utero, vel utero et ovariis simul, vel adeo esset arcta ut absque periculo salutis corporalis apta reddi non possit, tum de impotentia certo iudicandum est, quia, his in adiunctis, cum proles absolute sperari non possit et huiusmodi copula sit *ex natura sua necessario* infecunda, deest res essentialis ad valorem contractus matrimonialis.

CAPUT III.

DE ARGUMENTIS CONTRARIAE RECENTIS SENTENTIAE

171. Contra hactenus expositam doctrinam, quae, nititur iure naturali et pontificio et est communis doctorum omnium ecclesiasticorum, recentissimis nostris diebus nonnulli Aa. [1] insurrexerunt, falso opinantes matrimonium valere, ablata etiam *omni spe* generationis et quidem ob carentiam organorum necessariorum ad generationem quoad mulierem, tuentes *finem tantum secundarium,* accidentalem et extrinsecum matrimonio, h. e. sedationem concupiscentiae, sufficere ad illud valide contrahendum, et firmantes novam hanc sententiam 1° auctoritate veterum nonnullorum theologorum et canonistarum, qui docent ad affinitatem contrahendam, ad consummandum matrimonium, ad huius valorem requiri copulam, aptam ad generationem, quae est **sola** illa, in qua vir effundit semen in vas feminae, et 2° *duobus responsis* S. C. S. O., quae interrogata: « Num mulier N. N. per utriusque ovarii excisi defectum, sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, nec ne? » respondit: « Matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum », 3 Feb. 1887; et denuo interrogata: « Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? » respondit: « Matrimonium non esse impediendum », 30 Iul. 1900.

172. Duplicem hanc rationem adversariorum partim supra et

---

[1] Ex his Aa. primus, quoad scio, hanc novitatem in theologia morali invehere conatus est P. A. Eschbach, quem refutavi in tribus meis opusculis supra citatis et praesertim in altero et tertio, et quem statim nonnulli Aa. sequuti sunt. Ad haec opuscula remitto lectorem ut quaenam sit vera doctrina ipse facile iudicet.

molto fusius examinavi in meis opusculis pluries citatis. Hic tantum noto, primam rationem petitam ex definitione et conceptu practico impotentiae penes nonnullos Auctores nihil valere, immo esse falsam; nam ipsi tuentur, ut pluries dixi, sententiam *probabiliorem* Aristotelis et Sanchezii de nulla omnino necessitate alicuius elementi ex parte mulieris ad generationem producendam; hinc nil mirum quod ipsi affirment solam seminationem viri in vas feminae inducere affinitatem, consummare matrimonium etc., cum haec copula pro ipsis sufficiat ad generationem; quod falsum est. At volo notari, in huiusmodi definitionibus, veteres Aa. semper includere ideam seu conceptum necessitatis generationis, quem quidem numquam omittunt; et, si integra eorum doctrina inspiciatur, quae nititur iure naturali et pontificio, et quam nitidissime omnes exponunt ut certam et immutabilem, principia item certa et immutabilia nobis prodeunt, quae adversariorum sententiam funditus evertunt et falsam demonstrant, ut supra iam probavimus.

173. Quoad alteram rationem petitam ex responsis S. O. nil probari potest. Responsa enim ad casus particulares tantum data sunt, et non licet ad casus etiam similes ea extendere, cum nos omnino lateant particularia casuum propositorum et rationes, quae S. O. moverunt ad illa responsa. Ceterum cum supra ostendimus, iure naturali et pontificio et consensu unanimi doctorum, ad valorem matrimonii requiri capaciitatem generandi, quae est de eius essentia, et cum nec RR. CC. nec Papa ipse possit aliquid mutare de essentia Sacramentorum, patet praedicta responsa non posse accipi simpliciter eo modo, quo iacent, quod quidem significaret S. O. errasse et graviter errasse, etsi non sit infallibile, sed accipi nos debere eo sensu, quo S. O. putaverit etiam in illis casibus possibilem esse generationem. Quod confirmatur ex declaratione, quam Emus Parocchi, S. O. Secretarius, fecit P. Bucceroni, quam dein hic publice tradidit in 4ª edit. sui operis, pluries citati; hic enim ait: « Neque vero ullo modo obstare notae responsiones S. Penitentiariae et S. O. matrimonium non esse impediendum in casu excisionis ovarii et uteri. Nam, ut mihimetipsi declaratum est ab ipso Emo Cardinali S. O. Secretario, responsiones illae, ad particulares casus dumtaxat datae, supponebant posse adhuc per se in illis casibus sequi generationem, scilicet quatenus non fuisset perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisio et absentia » [1]. Et

[1] Bucceroni, *Instit. theol.*, 4ª edit. V. 2, n. 994.

recte quidem; si enim per excisionem perfectam uteri et ovariorum ablata est perpetue capacitas generandi, deest iure naturae contractui matrimonii res essentialis ad eius valorem, cum matrimonium, ut cum communi docet S. Alfonsus, consistat « *in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem* ». Accedit etiam auctoritas Card. D'Annibale, olim Adsessoris S. O., qui docet: « Nubere non prohibetur mulier, quae 1° *sterilis* effecta est per utriusque ovarii excisi defectum (S. U. I. feb. 1887), quia sterilitas non idem est ac impotentia; vel 2° utero careat, *dummodo concipere possit.* Utrum vero concipere possit, nec ne, medicorum iudicio relinquimus » [1]. Hac doctrina D'Annibale docet, in primo casu, scilicet de excisione ovariorum, cum dicitur mulier *sterilis* effecta, adesse possibilitatem generandi, quae aliquando vere haberi potest vel ob qualitatem operationis adhibitae, vel ob praesentiam ovarii alicuius supplementaris, quod reddit generationem possibilem; quod quidem patet etiam in altero casu, absentiae scilicet uteri, in quo docet posse mulierem matrimonium inire, *dummodo concipere possit.* Ergo, ex doctrina D'Annibale, sequitur mulierem, si certum est non posse amplius perpetue generare, non posse valide contrahere. At eius certa impossibilitas perpetua ad generandum habetur in casu excisionis perfectae utriusque ovarii, vel uteri, vel uteri et ovariorum simul. Etiam Episcopus Rosset, in optimo suo opere, expositis theoria et principiis de impedimento impotentiae, ad praedicta responsa S. O., ait: « Speculative remanent rationes adductae pro impotentia et nequaquam possum intelligere quonam pacto mulier eiusmodi sit potens... An autem S. O. intellexerit talem mulierem esse nihilominus *certo* potentem, id non comparet » [2]. Ergo dicendum illa responsa non valere nisi in casibus S. O. propositis et iniuria ad casus similes extendi, cum S. O. supposuerit in dictis casibus non adesse impossibilitem generationis; alias actum esset de doctrina iuris circa naturam et essentiam matrimonii.

174. Cum de viro eunucho adsit expressa Const. Sixti V, nemo dubitare potest eum non posse contrahere iure naturae et Ecclesiae; et tota quaestio in praesenti reducitur ad hanc, an scilicet mulier orbata organis necessariis ad generationem, sive a natura sive ab

---

1 D'Annibale, *Summ. theol. mor.*, 4ª edit., 1897, vol. 3, n. 431, not. 9.

2 Rosset, *De Sacram. Matrim.*, 1895, vol. 2, n. 1410.

arte, ac ideo perpetue inhabilis ad generandum, possit valide contrahere, h. e. debeat haberi ut vere impotens aut tantum sterilis. Iuxta doctrinam iuris, sopra traditam, et principia certa, quae unanimiter omnes theologi et canonistae exponunt, dicendum est, huiusmodi mulierem esse omnino impotentem et numquam posse valide contrahere, cum versatur in iisdem conditionibus substantialibus, in quibus invenitur eunuchus, scilicet cum careat re essentiali ad contractum matrimonialem, h. e. corpore apto ad generandum, quod est de essentia matrimonii. Nonnulli moderni Aa., contra, docent hanc mulierem esse tantum sterilem, ac ideo posse contrahere. At ipsi *confundunt semper* impotentiam cum sterilitate, impotentiam coëundi cum impotentia generandi Auctorum et applicant praefatae mulieri, quae Auctores tradunt de simpliciter sterilibus et senibus, non intelligentes, quod hi, etsi *plerumque* non generant, quod est per accidens, retinent tamen aptitudinem generandi, ut ex historia constat; scimus enim quamplurimos steriles, etiam post multos annos sterilitatis, tandem genuisse et plures senes usque ad extremam senectutem item generasse. Docent, ex facto, quod mulieres veteres possunt contrahere, etsi nequeant amplius ordinarie generare, posse et castratas, non intelligentes, quod si vetulae non generant, hoc est item per accidens tantum, cum noscantur exempla authentica mulierum, quae usque ad 104 et ad 106 aet. an. omnino regularia menstrua passae sunt, quod indicat mansisse in eis capacitatem generandi, etsi valde debilitatam; castratae vero *per se* sunt inhabiles et nullum indicium possunt prae se ferre de debilitata eorum potentia generativa, cum perpetue absit; et, quod peius est pro veritate, ad fulciendam eorum sententiam, adulterant loca auctorum, quae citant, illa mutilant, eorum sensum pervertunt, contenti evadunt nonnulla verba Aa. citare, quae iis favent, ex industria aliquando omittentes ea, quae statim sequuntur vel praecedunt, cum contra eos sit, sophismis et cavillationibus nituntur et plura huiusmodi agunt, quae offendunt veritatem et fallunt bonam fidem lectorum, qui non pauca patientia et studio egent ad noscendum, quid vere Aa. citati doceant [1].

175. Omnes rationes horum Aa. refutavi in cit. meis opusc.; at in

---

[1] Quod res ita vere sit, rogo lectores conferre mea opusc. citata et praesertim *Pro Conceptu* etc. et *De Mulieris excisae impotentia* et N. Casacca, *De carentia ovariorum relate ad matrimonium*. Pavia.

praesenti necessarium ducimus ad examen revocare rationes praecipuas in favorem sterilitatis, quas summarie colligit et exponit Gasparri in ultima editione sui operis, nuper editi. Ipse distinguit in hac quaestione partem practicam et partem theoreticam. Scribit enim: « In primis *practice*, in praesenti controversiae statu, ex principio reflexo, putamus matrimonium in casu non esse impediendum, aut, si contractum fuit, coniuges non esse inquietandos. Sane etiam in hypothesi, qua mulier tali laboret defectu in apparato generativo postvaginali, ut quaelibet prolis conceptio sit impossibilis, ex. gr. plene careat utero et ovariis, est quaestio inter graves DD. utrum mulier dicenda sit impotens an sterilis tantum. Proinde est dubium *iuris* circa impotentiam. Praeterea in casu concreto potest esse etiam aliquod dubium *facti*: utrum reipsa defectus talis sit, ut quaelibet prolis generatio sit impossibilis, nec ne. Atqui sive in dubio iuris tantum, sive in dubio facti tantum, sive a fortiori in dubio iuris et facti circa impotentiam, matrimonium ex principio reflexo non est impediendum aut coniuges non sunt inquietandi. Accedunt responsiones S. O. etc... Quo posito S. C. illas responsiones dare non potuit, nisi aut indirecte resolvendo quaestionem theoreticam in favorem sterilitatis, aut ex principio reflexo de impotentia dubia. Si igitur S. C. suis responsis quaestionem theoreticam intactam reliquit, sequitur respondisse matrimonium non esse impediendum aut coniuges non esse inquietandos ex principio reflexo ob dubium seu iuris seu facti, sed praesertim iuris, admissa probabilitate sententiae in favorem sterilitatis .. » [1].

« At quaestio *theorethica* adhuc sub iudice est et erit, donec S. Sedes, interpres authenticus iuris naturalis, eamdem dirimere voluerit; quia graves adsunt hinc inde difficultates » [2].

176. Ad quaestionem *practicam* respondemus: I° In dubio rationali de impotentia perpetua antecedenti, pars dubitans nequit contrahere, nisi antea deposuerit dubium, quia *a*) cum impedimentum sit iuris naturae, si adest, non potest haberi dispensatio a R. P. et matrimonium est nullum; *b*) irrogatur iniuria alteri parti potenti; *c*) exponitur periculo nullitatis Sacramentum; *d*) pro valore Sacramentorum non potest adhiberi sententia probabilis, relicta tutiore; et, dato et non

---

1 Gasparri, *Tractat. canon. de Matrim.*, 3. edit., Parisiis 1904, vol. I, n. 578.

2 Idem, ibid., n. 579.

concesso, quod doctrina, quam tuemur non sit certa, certo est valde tutior quam opposita; illa enim habet omnes rationes intrinsecas et extrinsecas, quas hucusque exposuimus, haec vero nonnisi rationibus mere extrinsecis nititur seu auctoritate defendentium; *e*) nosci nequit utrum actus copulae habiti in tali matrimonio dubio sint coniugales vel fornicarii; nec ad hanc rationem opponi potest dispositio iuris, quod concedit experimentum triennale in dubio de impotentia; nam haec dispositio valet pro dubio impotentiae orto *post* matrimonium, non ante; *f*) laeditur iustitia; omnes enim contractus, ut valeant, necessario requirunt omnia, quae eis ratione sui competunt; at in contractu matrimoniali, prout istitutum fuit a Deo, qui et voluit ut talis semper permaneat, rationabiliter dubium est quod ei absolute intrinsecum et essentiale est, scilicet aptitudo ad prolem; *g*) accedit praxis S. C. C., quae, in causis matrimonialibus, personis relative impotentibus vel *dubie* an absolute impotentibus, vetat perpetue transitus ad novas nuptias aut saltem inconsulta S. C.; quae clausula non posset poni, si in dubio impotentiae quis haberet ius ad matrimonium valide contrahendum [1]. — 2° Quaestio inter DD. utrum mulier, orbata organis generationis praedictis, sit sterilis vel impotens, eo usque fit, quia fautores sterilitatis confundunt semper impotentiam cum sterilitate, et, ad resolvendos huiusmodi casus practicos morales, non profisciscuntur a principiis certis iuris, sed utuntur potius aliis argumentis, quae tendunt in favorem libertatis et minime cohaerent cum iisdem principiis certis. Quod si fautores simplicis sterilitatis profunde incumberent huiusmodi quaestioni et patientiam haberent non unum alterumve locum alicuius auctoris legere, sed eorum Aa. completam doctrinam recte intelligere, minime esset inter eos discrepantia sententiae; theologia moralis enim sua principia immutabilia habet, sicut quaelibet alia scientia, quibus rite applicatis, facile etiam implicatiores quaestiones solvuntur. — 3° Quoad dubium *iuris*, concedimus in nonnullis casibus praxis, posse dari ut non perfecte sciatur utrum talis casus sit iure comprehensus; at in casu excisionis uteri vel ovariorum radicitus vel uteri et ovariorum simul, nullum dubium *iuris* adesse potest; nimia enim sunt argu-

---

[1] Cfr. De Luca, *Summa praelect. in Lib. Decretal. Comment. in Lib. IV* seu *De Sponsalibus et Matrim.*. Prati 1904, n. 93 *b.*: Schmalzgrueber, *Op. cit. De Frig. et Malef.* n. 56-57.

menta, quibus certi esse possumus hos casus comprehendi iure; quae argumenta supra et alibi retulimus. — 4° Quoad dubium *facti* etiam concedimus in nonnullis casibus posse dari; at in casu excisionis perfectae in muliere, nullum dubium adesse potest, cum per laparatomiam chirurgus plene videat quid tangit et quid amputat et praedicta organa ita aufert, ut mulier penitus castrata evadat.

177. Qua re dicendum est, in casu mulieris privatae utero vel ovariis et utero simul, nullum dubium facti esse posse; aliquod dubium potest haberi tantum in casu excisionis ovariorum, quae non fiat per laparatomiam, sed per viam vaginalem aut sacralem; in casu vero ablationis uteri tantum (hysteroctomia), sive fiat operatio per vaginam sive per laparatomiam vel etiam per viam sacralem, ablato utero, fit semper suturatio peritonei et vaginae, aut utriusque clausura fieri debet saltem *tempore secundario;* ex quo sequitur quamlibet praegnationem evadere impossibilem, et mulierem, ob id, esse vere castratam. Quibus rationibus dubium facti penitus excluditur; neque obstant duae exceptiones in contrarium supra relatae (I, 246), quae a nobis dicta omnino potius confirmant. Hinc concludimus, in dubio inani, quod potius scrupulis et vanis timoribus nititur, puta, qui semper castus et continens fuit, mox contracturus dubitat de sua potentia, non esse negandum matrimonium, quia hoc dubium idem est ac timor ac ideo spernendum; immo bona vita anteacta iure praesumere facit maiorem potentiam; in casu vero, quo dubium sit vere fundatum, etsi actibus practicis illicitis non comprobatum, non potest permitti matrimonium, donec adhibitae investigationes praebeant fundatam probabilitatem seu *spem potentiae*, saltem in futuro; quia tunc agitur de sterilitate tantum, et ad valorem matrimonii sufficit ut adsit possibilitas generandi, saltem in futuro.

178. Nec contra haec opponi possunt praefata responsa S. O., quibus dicitur S. O. resolvisse practice quaestionem vel admittendo probabilitatem sententiae in favorem sterilitatis, vel utendo principio reflexo ob dubium iuris vel facti. Nam, si responsa S. O. ita deberent intelligi, actum iam esset de doctrina iuris naturae et Ecclesiae circa essentialia Sacramenti matrimonii; actum esset de Const. Sixti V contra eunuchos et de doctrina saeculari theologorum et canonistarum, qui semper docuerunt ad valorem matrimonii necessariam esse aptitudinem generandi, et comprehendi nequit quomodo Ecclesia per tot saecula permiserit tanti momenti errores diffundi et doceri et semper tacuerit. — Dein accedit, quod probabilitas alicuius sententiae

non desumitur tantum ex auctoribus, qui illam defendunt, sed vere ex rationibus seu argumentis, quibus ipsi utuntur, et alibi ostendimus quid valeant hae rationes; neque adhiberi possunt principia reflexa, cum agitur de valore Sacramentorum, pro quo semper sequendae sunt sententiae probabiliores. Demum notum est responsa S. O. non valere nisi in casibus particularibus, pro quibus data fuere, et nulla ratione posse haberi ut norma generalis pro casibus similibus, quia aliquando minimae circumstantiae possunt reddere solutionem casus penitus contrariam et nos omnino latent tum circumstantiae casuum propositorum, tum rationes, ex quibus dicta responsa prodierunt. Cum vero non possint S. O. responsa accipi, uti sonant, quia tunc essent errata ob argumenta a nobis hucusque allata, remanet ut dicatur S. O. neque usum fuisse principio reflexo ob dubium iuris vel facti, neque admisisse probabilitatem sententiae in favorem sterilitatis, sed, ut declaravit Emus Parocchi, S. O. secretarius, P. Bucceroni, supposuisse in illis casibus possibilem adhuc esse generationem, quod ad matrimonii valorem sufficit.

179. Etiam P. Wernz, in opere nuper edito, ad quaestionem utrum mulier privata utroque ovario vel utero vel utero et ovariis simul, contrahere valide possit, nec ne, et relatis duabus sententiis, respondet: « Prior sententia (scil. quae prohibet huiusmodi mulieri matrim.) est *praeferenda*, dummodo de *perfecta* carentia illorum organorum mulieris certo constet. Etenim 1) impotentia viri vel mulieris ex *certa* definitione, a canonistis et theologis per modum *principii inconcussi* communiter admissa, est inhabilitas *ad copulam de se aptam ad generationem;* sed mulieres perfecte certoque carentes recensitis organis *absolute* et *in perpetuum* sunt inhabiles ad copulam per se aptam ad generationem, impotentes igitur sunt dicendae [1]. 2) *Mulier potens* debet esse capax, ut *per seminationem* feminis propriam *concurrere possit ad commixtionem sanguinum* in copula de se apta ad generationem. Qua capacitate mulier, cui allegata organa perfecte certoque desunt, absolute et in perpetuum est destituta, ideoque laborat impedimento impotentiae. 3) Cui sen-

[1] Hic volo notari A. nec iuste nec logice posse dicere communem nostram sententiam esse *praeferendam*; nam si principia, quibus ipsa nititur, ut recte idem A. docet, sunt *inconcussa* et *certa*, ex definitione canonistarum et theologorum, patet consequentiam item esse *inconcussam* et *certam* ac ideo huiusmodi sententiam esse omnino *tenendam*.

tentiae favent quatuor declarationes nullitatis a S. C. C. datae; quae ex se maiorem habent auctoritatem, cum a Cardinalibus non ferantur, nisi praehabitis *certis* probationibus *factorum* et *iuris* sive *canonici* sive *divini*. Quibus in decisionibus iudicialibus Cardinales S. C. C., quamvis pro more recepto non publicarint *motiva* suarum declarationum, tamen attentis actis aliisque circumstantiis in causis illis occurrentibus videntur applicasse theoriam iuris supra assertam. 4) Non obstant huic doctrinae duo responsa S. C. Inq. in casibus particularibus data. Illa enim, sepositis aliis interpretationibus, accipiunt sufficientem explicationem, si dicatur in iisdem nequaquam applicatam fuisse illam *theoriam*, secundum quam *perfecta certaque* carentia organorum recensitorum *non* constituit impedimentum impotentiae, sed potius *alteram* doctrinam *plane certam*, vi cuius propter impotentiam *dubiam* matrimonium non est impediendum, si aliunde ex testimonio medicorum de illa *perfecta* carentia non *certo* constat. Quae explicatio videtur singulari modo confirmari ex novo responso S. C. Inq. a. 1902 dato, atque mihi ab Agente episcopali in urbe communicato. Etenim cum novus iste casus excisionis ovariorum in S. C. Inq. propositus fuisset, antequam responsum daretur, a medico expetitum fuit, quanam ratione illa excisio facta esset. Qui cum respondisset de *perfecta* carentia organorum non *certo* constare, tunc demum prodiit responsum: Matrimonium in casu non est impediendum » [1]. — Circa ultimum argumentum A. nonnulla notanda mihi occurrunt: 1° dubium de non *perfecta* ablatione *potest* esse casus excisionis ovariorum, quae fiat alia methodo praeter laparatomiam, quia valde probabile est tunc aliquid stromatis ovarici potuisse permanere, ex quo possibilitas fecundationis, ut nonnulla exempla probant; at in casu ablationis uteri vel uteri et ovariorum simul per laparatomiam, nullum amplius dubium facti esse potest, ut supra dixi; qua re dicta explicatio non potest extendi ad *omnes* praedictos casus: 2° data et non concessa possibilitate horum dubiorum, prouti diximus, contra validitatem matrimonii contracti in dubio antecedenti de impedimento iuris naturae, militant rationes supra expositae; 3° ad explicanda sufficienter praefata responsa S. O., nisi cogamur dicere esse errata, non remanet nisi declaratio

---

[1] Wernz, *Ius decretalium* tom. IV, *Ius Matrim. Eccles. Catholicae*, Romae 1904, p. 504, not. 34.

facta ab Emo eiusdem Congregationis S. O. Secretario, P. Bucceronio, scil. S. O. supposuisse in illis casibus possibilem adhuc esse fecundationem; quae declaratio, etsi sit privata, tamen inspecta natura casus, gravitate personae, eiusque officio in C. S. O., certo non est minimi ponderis, et ipsa tantum declaratio removet omnes alias suppositiones, quae fieri possent, ut illa responsa aliquo modo rationali explicentur, quaeque tamen semper plus minus hypoteticae erunt, cum veram rationem, quae S. O. ad illa responsa movit, omnino ignoramus. Ceterum in re tanti momenti, a qua pendet valor Sacramenti et bonum civilis societatis, valde desiderandum est, ut C. S. O. declaret authentice vim illarum responsionum, etsi datae sint pro casibus particularibus, quia plures Aa. iis utuntur, velut ac si essent leges universales, post tergum proiicientes omnes regulas a theologis traditas, quae prohibent quominus SS. CC. RR. responsiones possint ad omnes casus etiam similes extendi et in eis novas theorias condunt; quod quidem non fit absque detrimento doctrinae catholicae et damno humani consortii, cum praedictae operationes passim peragantur in praesenti, quaeque non semper necessariae videantur.

180. Quod vero quaestio *theoretica* sub iudice adhuc sit et erit, ex omnibus hucusque discussis admittere non possumus; principia enim iuris naturae et Ecclesiae, quoad valorem matrimonii, clara sunt et immutabilia et non remanet nisi ut applicentur omnibus quaestionibus nostri temporis. Si enim matrimonium semel institutum fuit ob propagationem humanam tantum, scilicet ob bonum prolis, quod ei hac ratione intrinsece competit, omnia et singula matrimonia debent esse illud ipsum primitivum matrimonium; at, cum proles nullo modo sequi possit per se, h. e. habita ratione inhabilitatis perpetuae absolutae ad generandum alterutrius contrahentis, ut in casu eunuchi perfecti et feminae castratae, evidens est non amplius haberi posse illud ipsum primitivum matrimonium, cum desit quod est de eius essentia, ac ideo, si contrahatur, necessario debere esse nullum. Certo Ecclesia potest, si velit, specialem constitutionem dare et pro feminis castratis, sicut dedit Sixtus V pro eunuchis; sed principia iuris naturae mutare non potest, cum in his nullam ipsa habeat potestatem; potest interpretari ius naturale in casibus dubiis, quod quidem in nostra quaestione locum non habet, cum ius sit evidens.

181. Argumenta dein potiora, quae opponunt fautores simplicis sterilitatis in casu mulieris excisae, colligit et ita exponit Gasparri:

A) « Est in primis argumentum rationis. Fautores simplicis sterilitatis recolunt in humana generatione esse actionem humanam, quae (in casu normali generationis ex copula matrimoniali) terminatur penetratione vasis muliebris et effusione veri seminis in eodem; postea incipere actionem naturae. Iam vero aiunt: 1° In communi hominum existimatione matrimonium ordinatur ad actionem humanam, praescindendo ab ulteriori naturae actione; quae communis existimatio spernenda non est in re, quae tota a iure naturae pendet. 2° Revera congruum est ut contractus humanus, qualis est matrimonium, ordinetur ad actionem humanam, ab ipsis partibus ponendam, ut scilicet vir verum semen modo idoneo mulieri tradat et mulier illud in vase debito recipiat, relinquendo naturae ceteras functiones ad generationem necessarias. 3° Haec humana actio est *per se*, seu *secundum communem speciem* actus idonea ad generationem et licita in matrimonio, licet forte sit inepta *per accidens* ob defectum in organis foemineis post-vaginalibus. 4° Et satis est ut partes fiant *una caro*. 5° Tandem suis locis videbimus hac humana actione et produci affinitatem et consummari matrimonium, licet sperma virile cum mulieris ovulo nec coniungatur, nec coniungi queat, e. g. muliere praegnante. Ex his deducunt hac humana actione concludi copulam matrimonialem; et ius mutuum, perpetuum et exclusivum ad hanc copulam, constituere formale matrimonii obiectum, relictis naturae ceteris functionibus, quas generatio requirit ».

182. *B)* « Addunt argumentum auctoritatis. Nam, aiunt, Ecclesia semper retinuit impotentiam esse impossibilitatem copulae cum veri seminis emissione in vagina, et nihil aliud. Antiquitus physiologicas recentiores doctrinas ignorabat; sed modo a pluribus annis eas cognoscit et tacet; et donec ipsa aliud declaraverit, nos in praxi tuto possumus, ac etiam debemus antiquam impotentiae notionem sequi. Quod autem Ecclesia semper censuerit impotentiam esse impossibilitatem coëundi et nihil aliud, ex eo deducunt, quod, ignorans recentiora physiologiae inventa, ipsa vix aliter sentire potuerit. Praeterea a posteriori id probant in primis iure canonico. Nam 1° ipse titulus de impotentia inscribitur: *De frigidis et maleficiatis et impotentia coëundi*. 2° Et revera ex *cap. 6 cit. lit.*, aliisque canonibus apparet esse aptum matrimonio virum, qui seminare valet intra vas et mulierem, quae non est arcta viro, quin aliud exigatur. 3° Iuxta sacros canones copula matrimonialis est factum, quod evinci potest partium iuramento, testibus, experimento triennali; quod ostendit

iuxta sacros canones hanc copulam terminari in vagina. 4° Hinc ipsa Ecclesia in iudiciis de impotentia, affinitate, inconsummatione matrimonii, si semel constet per testes, iuramentum partium, inspectionem hymenis, etc. virum penetravisse cum potentia verum semen emittendi, nil aliud requirit ad declarandum matrimonium esse consummatum, impedimentum impotentiae non adesse et impedimentum affinitatis esse productum. Respondent fautores impotentiae organa foeminea iure praesumi et quidem in normali statu, donec contrarium certo constet; proinde copula, in vagina mulieris completa, merito habetur matrimonialis, donec certo constet organorum deficientia. Sed alii subsumunt hanc praesumptionem satis esse ad matrimonium permittendum, non vero ad matrimonium dissolvendum; si Ecclesia putavisset ad copulam matrimonialem aliquid aliud necessarium esse in ulterioribus organis foemineis relativas investigationes, quando de matrimonio dissolvendo agebatur, praetermittere non potuisset ».

183. *C)* « Idem confirmant ex doctrina theologorum et canonistarum, qui pariter notionem impotentiae restringunt ad impossibilitatem penetrationis penis verum semen emittentis in vaginam. Sane, aiunt, DD. passim 1° distinguunt *impotentiam coëundi* et *impotentiam generandi,* quam dicunt simplicem sterilitatem, licet *generatio prolis sit impossibilis et omnis spes concipiendi deficiat.* Ita e. gr. Ferraris, *Prompta Bibliotheca* etc. v. *Matrimonium.* Impotentia, prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi, sed est impotentia coëundi seu perficiendi copulam ». Vide etiam Sanchez, *lib.* VII, *disp.* XCII, n. 36; Schmalz., *lib.* IV, *tit.* XV, n. 31, Pirhing, n. 1, etc. 2° Non aliam agnoscunt in muliere impotentiae causam physicam, praeter eius arctitudinem. Ita Sanchez, l. c., n. 1; D'Annibale p. III § 431; Ballerini-Palmieri, n. 875 in fine; Busembaum apud S. Alphonsum, l. VI, n. 1095, etc. 3° Hinc unanimiter admittunt esse simpliciter sterilem mulierem, quae semen quidem recipit, sed nullatenus retinet. 4° Plures expresse ita definiunt impotentiam, ut eam restringant ad impossibilitatem penetrandi et effundendi verum semen in vagina. Ita e. g. Reiff. lib. IV, tit. XV, n. 2. « Inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam talem, quae fit per feminae vasis penetrationem et seminis in id effusionem ». Pihring, n. 1: « Impotentia ad copulam carnalem perfectam, per quam scilicet, cum penetratione vasis foeminei intra illud semen immittitur »; Pontius, *De Matr.* lib. VII, cap. LX, n. 3: « Impoten-

tiam ergo coëundi voco impotentiam vere seminandi intra vas foemineum sive sit semen natura suam sterile, sive foecundum, ratione cuius seminationis fiunt (vir et mulier) una caro ». Cfr. etiam Laymann l. IV, tract. X, p. IV, cap. XI; Reginaldum *Theol. mor.* lib. XXXI, cap. XV etc. 5). Tandem alii impotentiam definiunt impossibilitatem ponendi copulam *per se*, vel *de se*, vel *in se*, vel *natura sua* aptam ad prolis generationem. Ita S. Alphonsus, lib. VI, n. 1095, Giribaldi, *Op. Mor.* §§. I, 51-55, *De matr.*, cap. XVI, dub. III, n. 18; Van de Burgt, *De Matr.* edit. 2, n. 200; De Angelis, lib. IV, art. XV, n. 1; Sanchez lib. VII, disp. XCII, n. 28; Pichler, lib. IV, art. XVI, quaest. I, aliique, Atqui, aiunt, copula *per se, de se, in se, natura sua* apta ad generationem, idest apta secundum communem speciem actus, ut loquitur D. Thomas, est copula constans penetratione cum emissione veri seminis in vagina, licet forte eadem copula ob aliquod particulare accidens senectutis, infirmitatis etc., sit infoecunda etiam necessario et absolute. Unde tradita impotentiae definitio recidit in praecedentem. Quod autem citati auctores hoc sensu verba *per se, in se, de se, natura sua* sumpserint, suadetur; *a*) quia hic intellectus respondet naturae verborum *per se, per accidens* vi et communi loquendi usui; *b*) nec facile admitti debet contradictio inter tantos auctores; *c*) tandem nonnulli mentem suam explicant. Ita Schmalz. *lib.* IV, *tit.* XIV, n. 71: « Ad affinitatem contrahendam requiritur talis copula, per quam vir et mulier fiant una caro; atqui non fiunt una caro, nisi per copulam perfectam sufficientem ad generationem, qualis est sola illa, in qua semen virile recipitur intra vas foemineum ». Et Sanchez, *lib.* VII, *dis.* LXIV, *n.* 8: « Non efficiuntur una caro (vir et mulier) nisi per copulam perfectam ac sufficientem ad prolis generationem, qualis est sola illa, in qua virile semen intra vas foemineum recipitur ».

184. *D*) « Tertio loco argumentantur ex analogia inter foeminam ovariis carentem et vetulam, quae senilia ovaria habet, qualia post aetatem criticam praesumuntur ex communiter contingentibus. Evidens est huiusmodi vetulas merito comparari, quoad prolis generationem, foeminis, quae ovariis carent; et revera omnes medici hanc analogiam admittunt. Atqui huiusmodi vetulae sunt simpliciter steriles; quis enim dicet tot foeminas esse impotentes et carere remedio concupiscentiae et usum tot matrimoniorum illicitum esse, saltem obiective loquendo? Confirmatur ex praxi Ecclesiae; nam si forent impotentes, Ecclesia deberet matrimonium foeminarum, aetatem cri-

ticam praetergressarum, maxime si ab aetate critica non leviter distant, contrahendum interdicere, nisi de facto probaretur ovaria esse in bono statu, quia impedimentum impotentiae praesumeretur, imo esset moraliter certum, iuxta communiter contingentia; atqui e contrario, Ecclesia, omnibus doctoribus omnibusque legislationibus consentientibus, foeminis in quacumque aetate constitutis matrimonium absque ulla difficultate ulloque examine semper permisit et permittit, illud habens non praesumptive tantum sed obiective validum ».

185. *D*) « Demum contendunt ex opposita sententia subverti doctrinas communiter receptas et maximi momenti. Nam, aiunt, si copula matrimonialis unice habetur, quando generatio prolis est physiologice possibilis, cum haec sit impossibilis, muliere praegnante, maxime in ultimis gestationis mensibus, quia uterus clausus est, sequitur manifeste copulam cum muliere pregnante non esse matrimonialem, ideoque ex hac partes non fieri unam carnem, non produci affinitatem, non consummari matrimonium, et tandem illicitum esse matrimonii usum cum muliere praegnante. Neque dicas obstaculum, impediens concursum seminum, esse in casu *per accidens*, quia non est perpetuum; nam perpetuitas requiritur pro impedimento dirimenti impotentiae; at quando agitur de affinitate, consummatione matrimonii, liceitate usus matrimonii, inspicitur *actus* » [1].

186. Contra omnia haec non pauca sunt notanda. Superius iam ostendi, quoad humanam generationem, non posse, iuxta naturae rationem, varios actus, qui ad eam perducunt, *practice* distingui ac invicem separari, quia omnes illi actus unum finem habent, scilicet prolis procreationem, ad quam unice primitus fuit institutum et ordinatum matrimonium; et cum matrimonium semel tantum institutum fuerit causa generationis, quae illi natura sua competit, omnia et singula matrimonia non possunt nec debent carere fine suo essentiali saltem possibili; alias non esset amplius illud matrimonium, quale Deus instituit et voluit esse et permanere. Hinc sequitur actionem humanam, nempe copulam, necessario concrete seu practice coniunctam esse cum actione naturae, scilicet cum fecundatione, aut saltem ad hanc referri posse. Copula enim est tantum medium ad generationem, haec vero eius finis. Distinguendo practice duplicem actionem in generatione, assumitur medium pro fine, quod esse non potest.

---

[1] Gasparri, *Op. cit.*, vol. I, n. 580-584.

187. Dein ad *A*) adversarii aiunt: 1° matrimonium ordinari ad actionem humanam, praescindendo ab actione naturae; resp. *negando*, quia matrimonium, prout institutum fuit et est, ordinatur tantum ad generationem habendam necessario per actionem humanam *coniunctam* cum actione naturae; matrimonium enim est ob societatem multiplicandam; hic est finis naturalis et necessarius matrimonii; et remoto fine generationis, removetur et copula, ad quem ipsa copula ordinatur. Jam audivimus S. Thomam docentem: « *Finis autem, quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda et educanda... Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem, quae in ipso est, non referendo ad finem a natura intentum contra naturam facit; et similiter etiam nisi sit talis concubitus, qui ad illum finem convenienter ordinari potest* »[1]. Item: « *Habet hoc ratio naturalis, quod homo utatur generationis actu, secundum quod convenit generationi et educationi filiorum* »[2]. Quam doctrinam, iuri innixam, tradunt omnes ecclesiastici auctores; ita ex g. Estius docet; « *Proprium matrimonii finem, tam post lapsum, quam ante, esse generationem prolis.* Ceterum improprie dicitur post lapsum esse institutum in remedium incontinentiae, quia videlicet carnalis libido, quae per peccatum irrepsit, per matrimonium ita excusatur, ut congressus incontinentiae causa tantum sit venialis, qui extra matrimonii limites futurus erat damnabilis. Itaque remedium incontinentiae non tam finis matrimonii dicendus est, quam quidam effectus eius, *occasione peccati subsecutus* »[3]. Item: « *finis itaque matrimonii actusque ipsius matrimonialis, proprius et primarius, est filiorum procreatio atque educatio. Propter hunc enim finem matrimonium ab initio fuit a Deo institutum; cuius etiam causa sexuum diversitas in humano genere fuit constituta* »[4]; Sylvius: « *Finis per se matrimonii est prolis generatio et educatio,* obsequiorum domesticorum societas mutua et fornicationis vitatio, quamvis haec postrema non tam sit finis, quam effectus quidam matrimonii ipsius »[5]. Vide etiam Mastrium de Meldola, Laymann, Catalanum et ceteros Aa. superius ci-

---

1 S. Thomas, In. IV, d. 33, q. 1. quaestiunc. 3, sol. 1.
2 S. Thomas, *In Epist. ad Corinth*, c. 8, lect. 1.
3 Estius, *In IV Sent.*, d. 26, § 4.
4 Id. Ibid. d. 30, § 2.
5 Sylvius, *Comment. in S. Thomam*, q. 48, a. 2.

tatos. Si generationem absolute excludis non quidem per accidens, sed per se, h. e. ob necessariam et perpetuam inhabilitatem, actus copulae non est matrimonialis, sed contra rationem et contra intentum naturae et ideo est contra naturam, et ne ob remedium quidem concupiscentiae adhiberi potest, cum non possit ad hoc inservire quod peccatum est. « *Contra bonum hominis*, ait A. D., *est omnis emissio seminis tali modo, quod generatio sequi non possit* » [1]. Et « *usus matrimonii ordinatur ad finem matrimonii, nempe ad generationem prolis*, saltem mediate » [2] et « *ubi hic* (finis) *deest*, ita ut usus matrimonii nec immediate nec mediate ad hunc serviat, *non potest esse licitus* » [3].

188. Neque 2° dici potest congruum esse ut contractus matrimonialis ordinetur ad actionem humanam, quae consistit in effusione seminis in vagina, relinquendo naturae ceteras functiones necessarias ad generationem; nam contra militant omnes rationes in hoc capite et mox relatae; ceterum semen ordinatur tantum a natura ad generationem et eius effusio, si fit cum generatio est per se et perpetue impossibilis, est contra naturam; iam audivimus A. D. hoc docentem. « *Naturalis ordo talis actus*, ait Filliuccius, *debet esse eiusmodi, ut ex illo sequi possit hominis generatio; haec enim est finis illius; si ergo non possit sequi, erit talis actus contra ordinem naturalem, ideoque dicetur peccatum contra naturam* [4] »; et « *semen humanum a natura ordinatur ad generationem* [5] ». Immo ratio naturalis existentiae seminis concipi nequit nisi relate ad ovulum ab ipso fecundandum et tantum ad multiplicandam speciem semen natura confecit. Et ad quid emissio illa seminis in vagina, cum impossibile perpetue sit eius occursus in ovulum, si mulier, ut in casu, caret organis necessariis ad generandum? Quonam iure, hisce ipsis conditionibus, non deberet esse licita emissio seminis actu sodomitico aut quovis alio? Nulla ratio contra adduci potest; nota et certa enim impossibilitate generandi perpetua mulieris, deest finis, ob quem natura postulat immissionem seminis in vaginam; alias quaelibet alia emis-

---

[1] S. Thomas, *Contra Gentil.* l. 3, c. 122.
[2] Amort, *De Matr.* § 6, q. 2.
[3] Idem, ibid. q. 3.
[4] Filliuccius, Apud Gury. *Op. cit.* vol. I, n. 429.
[5] Elbel (apud Gury. ibid.).

sio cum muliere deberet dici licita, quod est absurdum. Hinc omnino incongruum et contra naturam est, ut matrimonialis contractus, qui respicit humanam societatem, limitari possit in emissione seminis in vagina mulieris castratae et non in tali emissione, quae, iuxta naturae rationem et ordinem, reddat saltem possibilem multiplicationem humanam, ad quam tantum institutum est et inservire debet matrimonium eiusque usus.

189. Addunt 3° hanc humanam actionem *per se* seu *secundum communem speciem actus* esse idoneam ad generationem et licitam in matrimonio, etsi ineptam *per accidens* ob defectum organorum necessariorum generationis. Auctor, cuius argumenta refutamus, accipit verba « *secundum communem speciem actus* » ex angelico Doctore, quaeque pluries repetit, putans A. D. intelligere verbum *actum* sensu, quo ipse intelligit. At perperam; A. D. ab obiectionem: « Manifestum est quod ex concubitu mulieris, quae est sterilis vel vetula, generatio prolis sequi non potest. Sed tamen hoc quandoque fieri potest sine peccato mortali, in statu matrimonii » respondet: « Respondeo dicendum, quod lex non datur secundum particularia accidentia, sed secundum communem considerationem. Et ideo dicitur *actus ille* esse contra naturam in genere luxuriae, ex quo non potest sequi generatio *secundum communem speciem actus*, non autem ille, ex quo non potest sequi *propter aliquod particulare accidens*, sicut est senectus vel infirmitas » [1]. Hinc videndum quid sit *actus*, iuxta A. D., ex quo, secundum sui ipsius communem speciem, possit vel non possit sequi generatio, an scilicet sit simplex immissio seminis in vaginam, etiamsi mulier sit castrata, ut contendit Gasparri (hoc loco et n. 582, nota). A. D. docet, ut mox vidimus: « Habet hoc ratio naturalis, quod homo utatur *generationis* **actu** *secundum quod convenit generationi et educationi filiorum* » [2], et « *illa* **actio** *dicitur esse contra legem naturae, quae non est conveniens fini debito*, sive quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, *sive de se est improportionata fini illi. Finis autem, quem natura ex concubitu intendit* **est proles procreanda** *et educanda... Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem, quae in ipso est, non referendo ad finem a natura intentum, contra naturam facit; et* **similiter**

---

1 S. Thomas, *QQ. disputatae,* De Malo q. 15, a. 2, n. 14, ad 14.

2 Idem, *In Epist.* ad Corinth. c. 8, lect. 1.

etiam nisi sit talis concubitus, qui ad illum finem convenienter ordinari potest »; [1] et « **ad generationis utilitatem coitus ordinatur** [2] ». Hinc evidenter A. D. actum copulae non intelligit eo sensu, quo intelligit Gasparri, sed relate ad finem naturalem copulae, scilicet ut actus exerceatur secundum quod convenit generationi filiorum, vel convenienter ordinari possit ad hanc generationem; secus, si actus nempe non sit conveniens fini debito generationis, vel sit de se improportionatus eidem fini, vel non possit ordinari ad prolem, actus copulae est contra naturam. Quare sensus A. D. loci supra citati est: Actus copulae est contra naturam, cum abest omnino aptitudo ad generandum, quia actus copulae debet ordinari ad prolem, secundum communem speciem actus iuxta naturam inspecti; non est vero contra naturam, si actus copulae talis sit, ex quo possit sequi generatio, h. e. habeatur a partibus aptitudo ad generandum, etsi, non quidem per se, scilicet secundum communem speciem actus *naturalis*, qui sufficit ad generandum, sed per accidens aliquod generatio non fiat, ut est casus senectutis vel infirmitatis, nisi contrarium constet, quia, ne actus sit contra naturam, non opus est ut generatio *re* sequatur, sed sufficit ut concubitus talis sit, ut ad illum finem convenienter ordinari possit, scilicet ut sit possibilis generatio, cum natura ex concubitu intendat prolem. Atqui, ne actus copulae, iuxta A. D., sit contra naturam, requirit necessario aptitudinem generandi ex parte viri et ex parte feminae, quia, iuxta communem speciem actus, ex quo natura intendit prolem, debet necessario actus ipse ad prolem posse ordinari. Ex quo patet A. D. nullo modo in actu copulae distinguere actionem humanam et actionem naturae, ne theoretice quidem, sed actum copulae ita inspicere iuxta suum finem naturalem seu prolem, saltem possibilem, ad quam ordinatur, ut, nisi possit ad suum finem convenienter ordinari, clare doceat actum esse contra naturam. Quod quidem significat actum copulae esse *per se, natura sua, de se,* etc., non aptum ad generationem, si haec nullo modo possit haberi, cum desit scilicet aptitudo perpetua, irremediabilis generandi, et esse per *accidens* ineptum, cum proles sit possibilis, cum scilicet adsit capacitas seu aptitudo ad generandum. His praemissis, ad 4[m], patet illam copulam, qua vir immittit semen in vaginam mu-

---

[1] S. Thomas, In IV, d. 33, q. 1, quaestiunc. 3, vol. 1.
[2] Idem, *Contra Gentil.* l. 3, c. 122.

lieris castratae, non sufficere ut partes fiant *una caro*, quia nullo modo potest convenienter ordinari ad generationem et quia ad utilitatem generationis tantum coitus ordinatur, iuxta ipsum A. D. et doctrinam communem superius traditam.

190. Quare, ad 5^m, etiam patet huiusmodi copula nec produci affinitatem, nec consummari matrimonium, nec esse copulam matrimonialem, nec ius ad huiusmodi copulam constituere obiectum formale matrimonii, quia, ut haec omnia locum habeant, requiritur copula, quae sit sufficiens ad generandum, seu requiritur ut adsit in partibus aptitudo ad generationem.

191. Accedamus nunc ad argumentum auctoritatis. (*B*) Aiunt adversarii Ecclesiam retinuisse impotentiam esse impossibilitatem emittendi verum semen in vaginam tantum, et cum ipsa nihil addiderit post physiologica inventa, nos debere tenere antiquam notionem impotentiae. — Resp. doctrina Ecclesiae de impotentia, praeter cap. *De conditionibus appositis*, et *Constit.* Sixti V de eunuchis, desumitur ex variis aliis locis iuris pontificii et praesertim ex tit. *De frigid. et malefic.*, in quibus, ut superius vidimus, omnes expressiones iuris, quoad sensum τοῦ *fieri unam carnem*, important copulam aptam ad generationem et nil aliud; quae copula iure putatur apta ad generationem, si constat: 1° de immissione seminis, quae, ut factum externum et experientia visibile, certo haberi potest; 2° de receptione ex parte feminae item visibili et 3° de capacitate mulieris ad generandum, quae capacitas semper praesumitur, nisi contrarium certo constet, cum in copula externo modo nosci nequeat, sicut noscitur in casu viri, et ius nonnisi iuxta ordinarie contingentia iudicet; quilibet enim iure praesumitur habilis ad matrimonium, nisi contrarium probetur. — Nec valet quod subsumunt adversarii, scilicet huiusmodi praesumptionem sufficere ad matrimonium permittendum, minime ad matrimonium dissolvendum, quia aliter Ecclesia non omisisset relativas investigationes circa organa interna mulieris, dum agitur de matrimonio dissolvendo. Nam in iudiciis de impotentia, si haec sit ex parte viri, ad noscendum utrum locum habuerit consummatio, Ecclesiae satis est id noscere per testes, iuramentum partium, inspectionem hymenis, etc.; quibus notis, arguitur praesentia illarum conditionum, quae esse debent ad generationem obtinendam; si vero casus est de impotentia mulieris praecise ob defectus organorum internorum, Ecclesia non omittit inquirere per peritos medicos eorum statum, modum fungendi, praesentiam aut absentiam, ut scimus fa-

ctum fuisse in causis recentibus *Salernitana, Verulana, Albiganen.* et *Monasterien,* in quibus mulieres carebant utero et habebant vitiatam vaginam; in quibus causis tamen cum vagina semper talis fuerit, quae semen recipere et retinere potuisset, inutile prorsus fuisset earum mulierum inspectionem quaerere, si non ageretur de possibilitate generandi, deficiente utero; recepto enim semine, iuxta sententiam, quam refutamus, certa iam erat consummatio. Quapropter si conferimus praesentem conceptum impotentiae penes iudices ecclesiasticos, non alium certo invenimus, nisi quem nobis veteres semper tradiderunt, si ex principiis, quae ipsi docent, tum iuris naturalis, tum pontificii, eum hauriamus, minime, plerumque, ex eorum definitionibus, in quibus commiscent factum physiologicum generationis, quod apud ipsos est falsum, cum illud haberent non ex physiologia, sed ex philosophia. Veteri conceptui impotentiae nos fortiter inhaeremus, qui facile apparet esse prout supra exposuimus et totis viribus tuemur; quem conceptum adversarii ipsi certo tenerent si huius argumenti studio absque ideis praeconceptis incumberent et veterum doctrinam de hac re plene noscere curarent. Tota ratio confusionis, penes nonnullos recentes Aa., sita est in verbis, quibus indicatur capacitas generandi, necessaria ad valorem matrimonii scilicet *potentia coeundi*, putantes moderni hi auctores hanc esse potentiam penetrandi, quod falsum est, ut supra ostendi. Quare cadunt rationes, quas fautores simplicis sterilitatis afferunt notatas sub littera *B*.

192. Quoad argumentum notatum sub littera *C*, scilicet quoad auctores, qui restringunt notionem impotentiae ad impossibilitatem penetrandi cum emissione veri seminis in vaginam, nulla oriri potest difficultas, nec aliquem habere valorem post omnia, quae hoc capite et supra exposita sunt. Cum enim ipsi quam plurimi *putarent* ad generationem sufficere semen virile iuxta *probabiliorem* sententiam Aristotelis et Sanchesii, quin mulier aliquid subministraret necessarii, prae altera sententia tantum pro ipsis *probabili*, de necessitate scilicet seminis feminei ad prolem concipiendam, et cum ageretur de valore Sacramenti, ad quem necessarium est probabiliorem sententiam sequi, relicta tantum probabili, patet ipsos necessario *debuisse* considerare impotentiam relate ad virum, dummodo mulier non esset arcta. Cum vero sententia Aristotelis non esset certa, praedicti auctores recte addunt, si ad habendam generationem necessarium esset et semen feminae, matrimonium non consummari, affinitatem non contrahi, etc., nisi etiam mulier praebeat quod est necessarium, ut fiat generatio

prolis. Quapropter praefatos auctores, quos citat Gasparri, dicendum est extra chorum canere, si eorum definitiones de impotentia simpliciter accipimus uti iacent, quippe quae referuntur ad statum scientificum physiologicum eorum temporum, qui est falsus; quod magis magisque elucet et invincibiliter probatur, si eorum doctrina certa, tradita iuxta ius naturale et pontificium recte investigetur et intelligatur et cum veritate physiologica nostri aevi conferatur, ut superius diffuse egimus; sed melius erit singulas rationes praedicti argumenti adversariorum examinare. — Dicunt hi 1° : Auctores passim distinguunt *impotentiam coëundi* et *impotentiam generandi*, quam dicunt sterilitatem, etsi generatio prolis sit impossibilis. — Respond.: recte quidem; at auctores non confundunt utramque impotentiam, ut hic confunditur ab adversariis, prout vidimus. — Adversarii citant: *a*) *Ferraris*, qui ait: « Impotentia, prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi, sed est impotentia coëundi seu perficiendi copulam ». — Tamen notandum Ferraris post « *copulam* » addere: *coniugalem*. Quaenam sit copula coniugalis, necessaria ad valorem matrimonii, iam vidimus, et est copula apta ad generandum, vel, ut docet S. Alfonsus, est ea, quae exercetur a coniugibus habentibus corpora physice apta ad generandum. Ferraris insuper addit rationem, qua impotentia dirimit matrimonium, « quia, ait, talis impotentia, sive cognita, sive ignorata, est semper *contra naturam et essentiam matrimonii*, quia excludit traditionem corporis apti *ad copulam coniugalem;* quae traditio corporis apti est de essentia matrimonii; licet enim usus matrimonii non sit de eius essentia, *potentia tamen ad usum est ipsi essentialis,* ut recte docet S. Thamas in 4, dist. 34, q. un. a. 2 ad 1 » [1]. Quod vero etiam pro Ferraris *copula coniugalis* sit *copula apta ad generandum,* habemus ex doctrina, quam ipse tradit de moribundis, qui quandoque tenentur contrahere et quidem valide, « quia, ait, licet non sint actualiter copulae capaces, supponitur tamen *ordinariam*, nisi aliud probetur, *potentiam generandi tantum esse impeditam et non ablatam* » [2]. — Ergo, iuxta Ferraris, si potentia seu aptitudo generandi esset penitus ablata perpetue, tunc res esset de impotentia, quia contrahentes nequeunt tradere ius in corpus, quod sit aptum ad copulam coniugalem; ergo copula coniugalis est copula, ex qua sequi potest generatio. — Citant adversarii:

---

1 Ferraris, *Prompta bibliotheca can.*, t. IV, v. *Matrimonium*, n. 35.

2 Idem, ibid., n. 58.

b) *Sanchez.* — Quae sit vera doctrina Sanchezii, supra vidimus (nn. 67, 87 etc.).

193. Ad 2um Qua de causa praecitati Aa. non aliam agnoscant in muliere causam impotentiae, cfr. dicta superius et praeced. num.

194. Ad 3um Unanimiter admittunt Aa., aiunt adversarii, mulierem esse simpliciter sterilem, si non valeat semen receptum retinere. — *Resp.* bene quidem; nam quantumlibet seminis recepti emittat mulier, illud, quod remanet adhaerens mucosae et plicis vaginae, continet plura millia nemaspermatum, quae totidem ovula fecundare valent.

195. Ad 4um Plures Aa., addunt adversarii, restringunt impotentiam ad impossibilitatem penetrandi et effundendi verum semen in vagina. — *Resp.* Iam pluries diximus quomodo intelligendae sint hae definitiones, cum ipsi putarent tantum semen viri sufficere ad generationem. — Quoad citatos auctores, quin eadem repetam, iam ostendi quae sit eorum doctrina, cum iure tantum nitantur; hinc quoad *Reiffenstuel* cfr. n. 93. — Quoad *Pirhing*, verum est quod pro eo impotentia « est impotentia ad copulam carnalem perfectam, per quam scilicet cum penetratione vasis feminei intra illud semen emittatur ». At addit fontem, ex qua haurit hanc doctrinam, h. e. « *Sanchez, l. 7, d. 92, n. 1* », in quo loco Sanchez tuetur sententiam probabiliorem de sufficentia seminis virilis tantum ad generationem. Quod vero Pirhing putet cum Sanchez tali copula provideri posse generationi humanae, habemus ex iis, quae tradit loquendo de affinitate, ad quam contrahendam requiritur copula perfecta, seu apta ad generationem. Ait enim: « ad affinitatem contrahendam requiritur copula carnalis perfecta seu consummata; adeoque non sufficit claustri virginalis reseratio, seu penetratio vasis feminei, sed requiritur etiam seminatio, saltem viri, seu ut semen virile intra vas naturale feminae, quacumque tandem ratione, sit receptum, Sanchez, l. 7, d. 64, 8. Ratio est, quia ad affinitatem requiritur talis copula, per quam vir et femina fiunt una caro, ut colligitur ex c. *Fraternitate* § 1. *Si una caro fiunt,* caus. 35. q. 10; *at non fiunt una caro nisi per copulam perfectam et* **sufficientem ad prolis generationem,** qualis est *sola illa,* in qua semen virile recipitur intra vas femineum, ut constat ex c. *Lex divina,* 18, caus. 27, q. 17, etc.».

« Porro, quia secundum *communiorem* sententiam medicorum, *sola seminatio viri requiritur et* **sufficit ad generationem prolis,** ideo si sola femina seminet, affinitas non contrahitur, Sanchez, l. cit., d. 64, 22; quia tamen secundum *probabilem* sententiam aliorum, etiam

semen femineum **ad prolis generationem requiritur,** ideo *probabile* est etiam *seminationem* femineam requiri ad contrahendam affinitatem » [1] — Hinc, ut clare liquet, *copula perfecta*, quam Pirhing requirit ad inducendam affinitatem, est *copula sufficiens ad prolis generationem;* et cum probabilior et communior esset sententia Sanchezii ad generationem sufficere seminationem viri, hanc sententiam amplexus est, non negando tamen probabilitatem sententiae oppositae. At sententia Sanchezii est physiologice falsa. Ergo, iuxta doctrinam Pirhing, *inhabilitas ad copulam sufficientem ad prolis generationem*, est impotentia ad matrimonium, quae inhabilitas evidenter refertur tum ad virum tum ad mulierem. — Idem dicendum de *Pontio* (cfr. n. 144) et *Laymann* citatis (cfr. n. 144 et 145). — Quoad *Reginaldum* dicimus in toto cap. XV citato ipsum referre doctrinam Sanchezii de sufficientia exclusiva seminis viri ad habendam generationem, iuxta disput. 92, n. 7 et ss. Sanchezii, quod falsum est, ac proinde locus Reginaldi nil probat. Quin immo hic A. tradit eamdem doctrinam ac nos. Matrimonium enim ut Sacramentum est « contractus legitimus, ait, mutuus et indissolubilis inter virum et feminam, quo traditur mutua corporum potestas et gratia sanctificans coniuges. Cuius definitionis prima pars « *contractus* » sic accipienda est ut indicet societatis contractum, quem *ad gignendam sobolem* vir et femina, approbante Deo, ineunt » [2]. Sed, ut gignatur proles, non sufficit capacitas penetrandi et effundendi semen in vas feminae, nisi femina ipsa apta sit ad generandum; si enim apta per se non est, nequit matrimonium inire *ad gignendam sobolem.* — Loquens vero idem A. de affinitate inducenda, docet quae sit copula perfecta seu consummata, aiens: « Observandum est, quinto, affinitatem nasci tantum ex copula carnali, *ex qua sequi potest generatio prolis* » [3]. Haec copula tantum gignit affinitatem, consummat matrimonium et efficit ne adsit impotentia. Inferius etiam quaestionem agens de impuberibus, docet expectandum esse aetatem ad matrimonium, quae « affert potentiam generandi seu consummandi matrimonium » [4]. Ergo, si potentia generandi consummat matrimonium, impotentia perpetua generandi impedit matrimonium.

---

1 Pirhing, *Iur. can. meth.*, l. 4. tit. XIV, sect. II, 2.
2 Reginaldus, *Praxis fori poenitentialis* etc., Mediolani 1619, l. 31, tract. 1, c. 1. n. 2.
3 Idem, ibid., n. 146.
4 Idem, ibid., n. 170.

196. Ad 5um Dicitur demum ab adversariis nonnullos Aa. definire impotentiam impossibilitatem ponendi copulam *per se, de se, natura sua* aptam ad prolem, et citantur *S. Alfonsus, Giribaldi, Van de Burgt, De Angelis, Sanchez et Pichler.* Oportet ergo ad examen revocare hos Aa. — Videamus in primis quid doceat *S. Alf.* in loco cit. (l. 6, n. 1095). « Et *impos;* quod impedimentum vocatur frigiditas vel impotentia, quae si perpetua sit et matrimonium antecedat irritat illud iure naturae... Ratio est *quia matrimonium consistit in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem,* sive in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem; hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cum eam non habeat... Impotentia, de qua hic loquimur, est illa, propter quam coniuges non possunt copulam habere per se aptam ad generationem; unde sicut validum est matrimonium inter eos, qui possunt copulari, esto per accidens nequeant generare, puta quia steriles aut senes, vel quia femina semen non retinet, ita nullum est matrimonium inter eos, qui nequeunt consummare eo actu, quo ex se esset possibilis generatio ». Hinc S. D. docet: 1° matrimonium *essentialiter requirere corpora physice apta ad generationem,* ut valeat; 2° copulam coniugalem esse illam, quae habetur a coniugibus, qui habent corpora physice apta ad generationem; 3° impotentiam haberi, cum corpus alterutrius aut utriusque coniugis non est physice aptum ad generationem; 4° senes et steriles, esto per accidens non generent, valide contrahere, quia habent corpus aptum ad generandum, in quo consistit essentia matrimonii; 5° omnes demum, qui matrimonium « *nequeant consummare eo actu, quo ex se esset possibilis generatio* » non posse valide contrahere; at actus, hic requisitus, est copula, ex qua ex se debet esse possibilis generatio, quia coniuges, non habentes corpora physice apta ad generationem, nequeunt habere copulam coniugalem, ex qua sequi possit generatio, ac ideo nequeunt contrahere. Ergo ex S. D. illa verba *per se* significant aptitudinem seu capacitatem generandi, etsi per accidens proles non sequatur.

197. *Giribaldi* vero definit impotentiam, docens *absolute,* absque verbis *per se,* esse inhabilitatem generandi. « Impotentia, ait (l. c.), dirimens matrimonium est *inhabilitas ad carnalem copulam requisitam ad generationem;* cum enim matrimonium per se primo sit ordinatum ad prolis generationem, quae naturaliter haberi non potest sine carnali copula cum effusione seminis intra uterum mu-

lieris, *habilitatem requirit ad talem copulam, et inde inhabiles ad illam efficiuntur inhabiles ad matrimonium* ». — Hac occasione, non ingratum erit lectori potiora capita doctrinae de matrimonio referre ex eodem Giribaldi, qui tradit eamdem doctrinam, quam nos tuemur, quaeque pugnat cum sententia adversariorum de ratione consummationis matrimonii. Docet hic A.: « Matrimonium consummari per solam copulam naturalem *aptam generationi*, per quam vir et mulier fiunt una caro, *c.* 2, *De convers coniugat.*, et per quam perfecte significatur coniunctio Verbi cum humanitate et Christi cum Ecclesia; inde non sufficit vasis feminei penetratio absque seminatione intra vas, quia talis copula non est apta ad generationem, nec per illam efficiuntur coniuges una caro, quae resultat ex commixtione *seminum et sanguinis* » [1].

« An vero requiratur seminatio etiam mulieris, adeo ut, ea non seminante, dici non possit matrimonium consummatum? Affirmant omnes illi, qui asserunt mulierem concurrere active ad generationem; nam *per illam copulam consummatur matrimonium, per quam coniuges fiunt una caro*, et **per quam sequi potest generatio** et resultat affinitas cum consanguineis; at femina non seminante, etiamsi fiat claustri penetratio cum seminatione viri intra claustrum, non fiunt coniuges una caro, *quia non fit commixtio seminum utriusque, non potest sequi generatio, non resultat affinitas cum consanguineis;* ergo femina non seminante, non potest dici matrimonium consummatum. E contra vero, qui volunt feminam concurrere solum passive, dicunt consummari matrimonium per solam viri seminationem inter claustra, quamvis femina non seminet, quia ipsius semen non est necessarium et sine illo potest haberi generatio...; utraque sententia potest probabiliter sustineri » [2]. Uti liquet, hic agitur de *generatione et de semine*, quale ad generationem requiritur. Atqui femina debet *active* concurrere ad generandum per ovulum et uterum; ergo secunda sententia est falsa, quia absque concursu activo mulieris, numquam potest haberi generatio, cuius possibilitas necessaria est ad consummandum matrimonium et ad huius valorem.

Loquens dein Giribaldi de tribus bonis matrimonii, tradit; « Contrahentes matrimonium, *necessario debent intendere, saltem im-*

---

[1] Giribaldi, *Opera moralia*, Bononiae 1758, vol. 3, tract. X. c. 4, dub. 7, n. 50.
[2] Idem, ibid. n. 52.

plicite, tria illa bona matrimonii, superius enumerata (scilic. bonum prolis; fidei et Sacramenti) *quantum ad obligationem et vinculum,* non vero quantum ad executionem vel exercitium, et irritum foret et nullum matrimonium, si obligationem et vinculum serio excluderent, secus si excluderent solum executionem et exercitium. Ratio est, *quia ad hoc ut consensus matrimonialis sit validus, debet intendere et necessario ferri in ea omnia, quae sunt de essentia matrimonii;* si enim excluderet aliquid essentiale, iam non esset consensus validus, cum nihil possit existere sine sua essentia: *sed illa tria bona superius enumerata, quoad obligationem et vinculum, sunt de essentia matrimonii, in eoque necessario includuntur;* ergo consensus debet illa intendere et in illa ferri » [1]. Item: « debent contrahentes consentire in obligationem reddendi debitum non quocumque modo, sed cum iuste ac debite petitur; in obligationem numquam aliam a coniuge cognoscendi et in obligationem non impediendi generationem vel prolem, si enascatur, eamque christiane educandi, *quia huiusmodi obligationes sunt essentiales et necessario coniunctae cum essentia matrimonii* » [2]. « Inde coniuges *pro validitate matrimonii tenentur consentire in illa tria bona superius enumerata* et habere animum ad illa se obligandi, non tamen ea implendi et exequendi » [3]. Et « ad validitatem matrimonii requiritur copula, per quam coniuges fieri possunt una caro » [4], quaeque requiritur ad affinitatem inducendam seu « copula carnalis, *quae sit apta generationi* » [5]. Quid vero si femina nequeat dare semen ad generationem? Respondet idem A.: « Si autem femina esset impotens ad seminandum, quamvis viri congressum et semen admittat, *invalidum esse matrimonium tenent Hurtado, Aversa et illi, qui volunt semen femineum necessarium esse ad generationem, quia adest impotentia ad perficiendam copulam consummatam per commixtionem* **utriusque seminis ad generationem requisiti;** validum esse censent, qui negant semen femineum necessarium esse ad generationem » [6]. — At semen requisitum ad

---

[1] Giribaldi, ibid., c. 5, dub. 3, n. 15.
[2] Idem, ibid., n. 17.
[3] Idem, ibid., n. 18.
[4] Idem, ibid., c. 16, dub. 5. n. 32.
[5] Idem, ibid., c. 13, dub. 1, n. 2.
[6] Idem, ibid., c. 16, dub. 5, n. 34.

generationem ex parte feminae est ovulum; ergo mulier castrata est impotens.

De sterilibus vero docet eos contrahere valide, « quia steriles habent verum semen eiusdem speciei ac aliorum, qui non sunt steriles, ac proinde possunt copulam maritalem habere et ad illam se obligare. Nec obstat quod non possint generare, quia hoc non provenit ex natura seminis, quod est eiusdem speciei cum aliis, sed ex speciali qualitate et temperamento, et sic non impeditur prolis generatio per se, sed per accidens, quod non sufficit ad impediendum matrimonium » [1]. — Ergo *in sterilitate* A. supponit *capacitatem generandi*, quae omnino abest in impotentia.

198. De definitione impotentiae data a *Van de Burgt*, quae est: « incapacitas perpetua et antecedens coëundi seu perficiendi copulam *de se* aptam ad generationem » dicendum est illa verba « de se » significare aptitudinem generandi, ut coniicitur ex toto tractatu Auctoris, cuius potiora loca hic referre opus est. In primis, loquens ipse de *impotentia* mulieris, tradit absentiam *uteri* constituere impotentiam: « Inter defectus physicos, ait, qui a parte mulieris requisitum impediunt actum, alii sunt perpetui, v. g. *absentia uteri*, vaginae etc. » [2]. Ergo, a pari, absentia ovariorum. — Matrimonium, ut *contractum* definit: « Maris et feminae maritalis et legitima coniunctio individuam vitae consuetudinem continens. Definitioni qui addiderit: « Et a Christo omnino ad dignitatem Sacramenti elevata » notionem habebit *Sacramenti*. « Vocabula *maris et feminae coniunctio maritalis*, quae in definitione leguntur, contractus subiectum indicant, obiectum et essentiam. Indicant subiectum, nam contractum ineunt vir et mulier; indicant obiectum, nam paciscuntur vir et mulier de se invicem, sive de mutuis corporibus vel *potestatem sibi invicem tradunt in mutuum corpus in ordine ad prolis generationem;* indicant essentiam, nam in coniunctione illa, in illo vinculo, quo per traditionem potestatis in mutuum corpus sociantur, *consistit matrimonii essentia* » [3].

De bonis matrimonii, docet: « Pertinent ea (bona) ad matrimonii naturam seu substantiam ed ideo *bona substantialia* matri-

---

[1] Giribaldi, ibid., n. 40.

[2] Van der Burgt, *Tract. de Matrim.*, Ultrajecti, 1875, ed. 2, n. 202, 1.

[3] Idem, ibid., n. 3.

monii vocantur. Sunt bonum *prolis*, *fidei* et *indissolubilitatis seu sacramenti* » [1].

« Voce *essentiae* (matrimonii) hic intelliguntur potissimum tria matrimonii bona: *proles*, *fides*, *indissolubilitas* seu sacramentum. Haec bona pertinere ad coniugii essentiam indicavimus sub n. 12. Maximi momenti est, in praesenti materia, ob oculos habere in quo singula bona consistant... Comprehendit *bonum prolis generationem* et vitam saltem physicam; *bonum fidei* ius in mutuum corpus *in ordine ad prolis generationem*, officiumque aliis denegandi corpus; *bonum indissolubilitatis* perpetuitatem eam, quae ex Dei voluntate matrimonio inhaeret » [2]. — Praemissa hac doctrina, quae communis, est, clarissime patet mulierem carentem ovariis vel utero vel ovariis et utero simul non posse tradere alteri parti potestatem sui corporis *in ordinem ad generationem*, non posse in perpetuum gaudere *bono prolis*, quod est de essentia seu substantia matrimonii, ac ideo esse absolute *impotentem*. Quare verba « *de se* », allata in definitione, necessario significant capacitatem generandi; alias actum esset de doctrina, quam A. ipse tam lucide exponit.

199. Quoad *De Angelis* vero, adhibet hic A. verba *per se* in definitione impotentiae, at sufficienter declarat per illa verba intelligere possibilitatem generandi; nam ait: « Impotentia, prout in titulo assumitur, est inhabilitas seu incapacitas ad habendam copulam carnalem *perfectam*, seu *de se* aptam ad prolis generationem. In quo conceptu vel definitione impotentiae duo sunt praecipue advertenda, quod vel non possit haberi copula, unde vir et mulier fiunt *una caro*, vel quod illa copula de se apta non sit ad prolis generationem. Unde non sufficit vas naturale mulieris perrumpere, nisi emittatur verum semen, quod est necessarium ad prolis generationem, licet non requiratur ut habeatur semper prolis generatio; ac proinde impotentia non confunditur cum sterilitate ». — Hic, De Angelis docet emissionem seminis necessariam esse ut proles generetur, et, si proles non sequitur, etsi emissum sit semen, illam copulam *per se* esse sufficientem ad generandum; ergo illis verbis *per se* indicant aptitudinem generandi.

200. De loco vero *Sanchezii* citato, dicimus hunc locum esse

---

[1] Van der Burgt, ibid., n. 12.
[2] Idem, ibid., n. 60.

evidenter contra sententiam adversariorum; nam Sanchez ibi agit quaestionem de coniugio feminae, potentis quidem ad actum copulae, sed impotentis ad *pariendum* propter manifestum vitae periculum, et tuetur, contra alios, hoc coniugium esse validum, quia, ait, « matrimonii contractus essentialiter consistit in mutua obligatione ad copulam perfectam suapte natura aptam ad prolis generationem, nec refert si accidentaliter nequeat sequi proles, ut in sterilibus constat. At hic reperitur obligatio et traditio potestatis corporum ad copulam perfectam. Erit ergo matrimonium ». — Cum ergo Sanchez supponat impotentiam *pariendi*, supponit necessario *potentiam generandi*, circa quam versatur obligatio et traditio potestatis corporum et in qua consistit copula perfecta; ergo, ex Sanchez, copula *suapte natura* apta ad generationem est copula perfecta, ex qua scilicet sequi possit generatio, eo magis, quia ut in casu praefato, partus est incertus, ut ipse A. tradit.

201. Quoad *Pichler* cfr. n. 151.

202. Quoad tertium argumentum adversariorum (D), quo instituitur aequiparatio inter mulierem castratam et vetulas, dicimus hanc comparationem nullo modo tenere; mulier enim castrata est non apta perpetue ad generandum, et quidem *per se, natura sua, necessario;* vetula vero est non apta *per accidens;* illa non amplius habet organa necessaria ad generationem, haec vero adhuc habet et nunquam potest certo dici amisisse omnino suam vitalitatem, cum noscantur exempla mulierum, quae certo usque ad 70 aetatis an. generarunt [1], immo usque ad ann. 85 [2], et aliarum, quae omnino regularia menstrua passae fuerunt usque ad 106 aet. ann. [3]; ceterum notum est non esse impossibilem praegnationem [4], etiamsi a pluribus

---

[1] Briand et Chaudé, *Manuel compl. de Médecine leg.*, Paris 1874, pag. 120.

[2] Antonelli, *De Conceptu* etc., n. 103.

[3] Schurig, *Parthenologia historico-medica*, Dresdae et Lipsiae 1729, pag. 139-146.

[4] Hofmann, *Trat. medico-leg.* Trad. dal Dott. Raffaeli, Vallardi 1885, pag. 61. — Gasparri non recte dicit (*Op. cit.*, vol. I. n. 567) me affirmasse fuisse mulieres, quae *genuerunt* aet. 99 et 106 an.; nam tantum retuli exempla mulierum, quae perfecte *regularia menstrua* passae fuere usque ad aet. an. 100 et 106 (cfr. *De Mulieris excisae* etc. n. 78). — Neque dici potest, ut vult idem A., menstrua, denuo habita postquam cessaverant etiam a pluribus annis, non fuisse fluxus muliebres, sed humores sanguineos ex cancro enascentes. Nam doctor Tilt, qui hisce materiis diu et diligenter incubuit et particulari auctoritate gaudet, aperte docet haec menstrua non fuisse referenda ad causas morbosas, *sed fuisse vera menstrua perfecte physiologica.* Ait enim: « Alia facta possem adducere, praeter citata, *quae non sunt quidem exempla irregu-*

annis cessarint menstrua, neque menstrua per se esse absolute necessaria ad indicandam capacitatem generandi (I, 210 et 223). Certo, quoad generationem, vetula, ordinarie loquendo, est infecunda ut mulier castrata; at, ea ratione, qua eunuchus perfectus est *per se* incapax generandi et ideo a matrimonio arcetur iure naturae et Ecclesiae, ita mulier castrata est *per se* incapax ad generandum, et ideo idem ius a matrimonio illam arceri iubet, cum omnia et singula matrimonia debeant esse illud ipsum matrimonium, quod Deus primitus instituit, scilicet ad generationem, et cum copula, ut sit matrimonialis, debeat ordinari ad prolem; quod impossibile perpetue est in casu mulieris castratae, quae, hac ratione, laborat defectu intrinseco irremediabili, dirimente. — Neque casus mulieris castratae potest considerari ut casus particularis sterilitatis, etsi in sterilitate aliquando nequeat haberi generatio prolis; quia ad valorem matrimonii non requiritur quod generatio *re* sequatur, sed tantum requiritur aptitudo ad generandum, etsi haec aptitudo actu deficiat per particularia accidentia, quae praegnationem impediunt vel factam interrumpunt ac perdunt per abortum, etiam inscia muliere. — Nec dici potest ovaria per senectutem exsiccari, ut aliquis dixit; nam ovaria non exsiccantur; pati tantum possunt processum atrophiae, quo fit ut paullatim degenerationem patiantur et functione propria *per se* destituantur. At quis potest affirmare quousque se extendat in ovariis haec degeneratio? Ovaria numquam cessant irrigari sanguine et nervorum actioni subiici; et sufficit ut pars aliqua, etiam minima, remaneat non degenerata, quae novae proliferationis cellularis capax est et formationis ovulorum. Quod res ita se habeat, constat ex plurimis factis mulierum, quae etiam multos post annos

---

larium fluxuum menstruorum, sed fluxus ipse menstruus perfecte regularis, quum cum ipso coniungerentur omnia propria symptomata ordinaria vel accederet conceptio fetus. Haec facta adversantur opinioni illorum, qui asserunt, cessatis semel menstruis 40-50 aet. an., *quamcumque haemorrhagiam, quae ex utero fluere potest, connexam esse cum aliquo celato ulcere; nam in nonnullis casibus protractae menstruationis nullum ulcus inveni* ». (Tilt, *Dell'età critica* etc., Torino 1872, pag. 21). Et addit etiam rationes huius facti (pag. 25). Immo ait frequentes esse praegnationes in provecta aetate: « Pressi *potissimum frequentiam praegnationum in provecta aetate*, quia graves errores aliquando occurrerunt apud illos medicos, qui putabant hos casus esse impossibiles », cum hasce praegnationes velut tumores ovariorum curarent cum morte fetus et gravi periculo matris (pag. 24). Contra haec facta *de visu* doctoris Tilt nulla est auctoritas doct. Lapponi et Le Bec, quos citat Gasparri (Cfr. *Pro Conceptu* etc. n. 71 et *De Mulieris excisae* n. 78-81), cum ipsi non potuerint easdem, ac Tilt, mulieres examinare.

a cessatione fluxus menstrui tempore medio ordinario, passae fuere pluries nova menstrua regularia, pluresque eorum suspensiones, quae singulae definitivae putari poterant. Immo dici vere physiologice potest, donec mulier vivit, ovaria *posse* denuo reviviscere, quia, donec ovaria irrigationi sanguinis et nervorum actioni subiiciuntur, potest eorum vitalitas, ob varias causas, quarum nonnullas doctor Tilt enumerat [1], excitari, etiam post cessata menstrua a pluribus annis. Cum igitur dicitur de atrophia perfecta ovariorum in senectute, quis potest certo affirmare ita rem in natura se habere, scilicet ovaria esse perfecte atrophica, cum hoc nonnisi per microscopium constare certo possit? Cum vero omnes hi processus ovariorum interni sint ac ideo observationem directam effugiant, nequit in casu vetulae haberi illam certitudinem physicam, quae requiritur ad impediendum matrimonium; certitudo enim tantum moralis eius incapacitatis ad generandum non sufficit ad impediendum matrimonium; quaestio enim facultatis generandi est quaestio physica, et nonnisi physice haberi debet, cum multa sint exempla vetularum, quae satis provecta aetate, etiam praeter quamlibet spem, genuerunt, ut conferri potest in meis opusculis citatis. Et ne matrimonium ob provectam actatem impediatur, sufficeret adfuisse *unum* tantum factum fecunditatis; uno enim certo semel statuto, plura alia sunt possibilia, quod ex historia et quotidiana praxi vere constat. Quod vero Ecclesia, permittens vetularum matrimonia, omittat inquirere an in ipsis vis generandi perseveret nec ne, nulla difficultas esse potest; nam cum certum sit et vetulas plures tarda aetate genuisse, Ecclesia *praesumit* in iis hanc potentiam; quod si non generant, habet id fieri per accidens, dummodo certo non constet eam vim esse omnino amissam, qualibet de causa, quae omne dubium auferat; quo in casu matrimonium permitti non potest, ut constat ex doctrina certa Aa., super relata, qua tradunt senem, qui habet potentiam generandi penitus destructam, non posse contrahere ratione impotentiae, cum de essentia matrimonii necessaria sit aptitudo ad generandum. Cum vero in praxi nequeat hoc in vetulis certo cognosci, liquet non posse eis matrimonium ob id impediri; impedimentum enim non debet esse praesumptum, sed probatum; et donec probetur, quilibet iure

---

[1] Tilt. *Op. cit.* pag. 25.

praesumitur habilis. Qua re casus mulieris excisae nullo modo aequiparari potest casui vetulae [1].

203. Accedit demum aliud argumentum (D) adversariorum. Contra quod argumentum, dicimus ex doctrina a nobis exposita iuxta ius naturae et Ecclesiae et quae communis est theologorum et canonistarum, nullo modo subverti doctrinas communiter receptas circa liceitatem copulae tempore praegnationis, ex qua omnes effectus copulae matrimonialis oriuntur, scilicet consummatio, affinitas etc. Nam notum et certum est, aptitudinem generandi, quae requiritur ad valorem matrimonii, non secum ferre necessitatem *actualis* generationis, sed sufficit ut saltem *in futuro* possint partes generare seu spem habeant generandi, qui quidem casus locum habet penes eos, qui sunt steriles. Qua re copula cum praegnante aequiparanda est copulae cum sterili muliere, apud quam aliquid obstat *actuali* generationi sicut in praegnante; at in utroque casu, inspecta aptitudine per se ad generandum, sterilis scilicet et praegnantis, copula dicenda est sufficiens ad prolem, si fortuita illa causa impediens non adesset; et re quidem vera, in casu sterilitatis, remota causa impediente, quod saepissime fit, generatio habetur; in casu praegnantis, praetergressa praegnatione, nova fecundatio semper est possibilis; et hac ratione, qua per copulam cum sterili producitur affinitas et consummatur matrimonium, eadem ratione idem locum habet per copulam cum praegnante. Quam ob causam, dicendum obstaculum ad generationem esse vere *per accidens,* quia supponitur coniuges esse aptos saltem in futuro ad generandum; et hoc casu *actus*, qui inspicitur pro affinitate, consummatione etc., est vere actus matrimonialis, etsi proles non possit actualiter sequi; et hac ratione etiam licita est copula cum praegnante. Quod quidem tradit et S. Thomas; audivimus enim docentem actum copulae non esse contra naturam, si, inspecto fine naturali copulae, generatio non sequatur ob particulare aliquod accidens, ut est senectus vel infirmitas (qui casus sunt casus sterilitatis), et audivimus etiam docentem naturam per concubitum intendere prolem, ad quam ordinari debet coitus ipse; ergo A. D. in casu senectutis et infirmitatis, qui sunt casus sterilitatis iuxta ipsum A. D., supponit talem copulam, etsi non aptam ad *actua-*

---

[1] Quoad hanc difficultatem cfr. quae dixi in *De Mulieris excisae* etc. praesertim pag. 157 et ss.

lem generationem, esse tantum per accidens non aptam, et nihilominus huiusmodi copulam habere sufficientem ordinabilitatem ad prolem; alias, ut ipse docet, si copula nullo modo posset ordinari ad prolem per se, ut est casus mulieris excisae, esset contra naturam; at in casu copulae cum praegnante eaedem, immo meliores, conditiones habentur, quae apud senes, infirmos et steriles in genere; ergo, iuxta A. D., dicendum est copulam cum praegnante adhuc habere sufficientem ordinabilitatem ad prolem, etsi actualis proles deficiat, ac proinde esse vere coniugalem, producere affinitatem, consummare matrimonium etc.

204. Nec magis affirmari licet distinctionem generationis, quae fit *per se* et quae *per accidens*, sophisma sapere et nullius fere momenti esse, ut nonnulli aiunt; nam haec distinctio fundatur natura ipsa rerum. Supponimus casum eunuchi perfecti et viri ob infirmitatem tantum debilis; uterque copulatur et neuter generat; in effectu sunt pares; at vir debilis, perfectam sanitatem et vires adeptus, postea generat, eunuchus numquam poterit generare. Absentia generationis primae copulae, in utroque casu, non est certo eiusdem speciei; eunuchus enim, cum perpetue sit inhabilis ad generandum, habet in se defectum *intrinsecum*, irremediabilem, ac ideo *per se*, scilicet spectata eius aptitudine ad prolem, non potest exercere copulam fecundam; vir debilis vero, cum tantum causa debilitationis transitoriae non generet et cum sit habilis ad prolem, transacta temporanea causa sterilitatis, dicendus est habuisse tunc copulam *per accidens* infecundam. Eadem ratio babenda est in casu mulieris carentis utero, vel ovariis, vel utrisque simul et mulieris sterilis, quae praedicta organa habet.

205. P. Ojetti in altera edit. sui operis « *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii* », Prati 1905, pag. 65 et ss., contrariam eamdem doctrinam tenet, quam hucusque refutavimus et nil aliud agit quam iterum atque iterum repetere easdem obiectiones pluries refutatas in aliis nostris opusculis, quin iuxte aestimet, rationes quas adduximus. Hinc pretium operis est *nonnulla* tantum de eius doctrina notare; *nonnulla*, quia magis productum examen non conveniret huic operi; alibi vero ad hoc incumbemus. A. in primis exponit nonnulla argumenta, quibus utitur doctrina negans dari posse in muliere excisa matrimonium validum, quibus opponit alia argumenta a contraria sententia adducta. Forsitan mens A. erat tantum quaestionis statum referre; at facile apparet pro contraria nobis

sententia pugnare. In primis enim definitionem ipsam impotentiae mutat, quam dedit in prima editione, et incunctanter adversariorum definitionem praebet; dein nonnulla responsa nostris argumentis ipse conficit; demum modus explendi paragraphum de impotentia satis ostendit se tueri contrariam sententiam. Generatim dici potes in hac quaestione A. se gerere eodem modo, quo omnes nostri adversarii, qui putant eam resolvere posse non utendo principiis certis et inconcussis, quae regunt ius matrimoniale, sed aliquo loco alicuius scriptoris separatim a contextu et doctrina sumpto, auctoritate extrinseca et aliis huiusmodi. At theologia moralis habet sua principia scientifica, quae adhiberi debent, si in desiderio sit ut quaestiones solventur debito modo.

In primis A. fulcit doctrinam praesertim rationibus et doctrina Gasparri, ut apparet, sicut dixi, ex definitione, quam tradit de impotentia, post tergum proiiciens doctrinam iuris et traditionis.

206. Hinc sequentia tantum notamus: 1° Ad rationes allatas a nobis, quod expressiones iuris Pontificii circa τοῦ *fieri unam carnem* idem sint ac *cognoscere* uxorem SS. Scripturarum, respondet « In sensu scripturistico etiam physica copula est cognoscere uxorem. Patet ex Iud. XXI, 11; Genes. XIX, 5 (« Vocaverunt Lot et dixerunt ei: Ubi sunt *viri*, qui intraverunt ad te nocte? Educ illos huc, ut *cognoscamus* eos »). Eodem sensu videntur hae phrases sumi in iure, ubi (c. 5, tit. cit. X. (IV, 15)) Coelestinus III dicit coniuges fieri unam carnem *per carnis copulam*. Eodem pariter sensu a DD. passim fieri unam carnem coniuges dicuntur per *commixtionem corporum*, per *commixtionem carnalem* etc. Ita etiam videtur phrasis *fieri unam carnem* explicari a Paulo (I Cor. VI, 16): ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι « ὁ κολλώμενος » τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστιν; Ἔσονται γάρ, φησίν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν; quare Tertullianus (*De pudicitia* c. 15) reddit « ὁ κολλώμενος » qui agglutinatur, quod profecto ideam naturalis copulae praefert. Idipsum firmatur ex seq. versiculo 17: « ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστιν ». Certe enim in his verbis nulla innuitur unio in unum principium producens » (pag. 66-67).

Nota: In primis verba Iudic. sunt: « Et hoc erit, quod servare debetis, omne generis masculini et mulieres, quae *cognoverunt* viros, interficite, virgines autem reservate » etc. Quomodo P. Ojetti putare potest ibi τὸ *cognoscere viros* significare *physicam* copulam et non potius copulam perfectam, qualis requiritur ad generandum? Nam qui cognoscit mulierem eodem modo cognoscit, quo ipsa cognoscitur ad obtinendam prolem. Fortasse quia textus non addit conceptionem

et partum secutum? At hoc non erat necessarium, tum quia textus nullam ibi prae se fert necessitatem haec addendi, tum quia non singulae copulae ferunt conceptionem; textus indicat tantum mulieres cognovisse viros eodem modo, quo in locis a nobis supra citatis mulieres cognitae generarunt. Quomodo hic locus adversatur conclusioni quam supra posuimus? — Quoad locum Genes. XIX, 5, nil probari potest; Sodomitae enim volebant cum viris, qui vespere apparuerunt Lot, carnaliter commisceri, sodomitice peccando. Si Scriptura adhibet idem verbum *cognoscere* relate ad viros, hoc facit vel quia aliud verbum hebraei non habebant ad indicandum hoc scelus, vel quia quoad viros eadem erat actio ac si fuisset cum mulieribus; certe vero, cum sodomia esset inter viros, Scriptura non poterat addere conceptionem. Quid ergo concludi potest contra nostram doctrinam? Etsi verbum « cognoscere » ibi adhibeatur ad indicandam sodomiam inter viros, certum tamen est loca n. 52 citata testari de copula, qualis requiritur ad generandum, seu de copula perfecta. Dein certum est omnes et singulas expressiones aequivalentes iuris supra relatas obscuras esse et absque praecisa significatione manere, si non adesset aliqua expressio ex illis aequivalentibus, cuius significatio pateret. Iam evidens est illas omnes expressiones aequivalere verbo « cognoscere » uxorem Scripturarum ll. cc., cum indiscriminatim a RR. PP. adhibeantur; et hoc verbum *cognoscere*, cum agitur de matrimonio et de generatione, semper adhibetur ad indicandam copulam, qualis necessaria est ad generationem. Dein cum copula sit *medium* ordinarium ad generationem in matrimonio et cum matrimonium nonnisi ad generationem, ut ad eius finem primarium et essentialem, ordinatum sit, patet RR. PP. utendo illis modis dicendi, nonnisi de copula, quae requiritur ad hunc finem agere poterant. Idem valet evidenter et de verbis citatis Coelestini III, et de expressionibus DD., ut supra vidimus, si hae expressiones in relationem ponantur cum principiis certis, quae ipsi Aa. tradunt; nam nonnisi hoc modo earum valorem rite intelligere possumus, cum separatim sumptae sensum rectum ipsorum non praebeant, et cum DD. eas expressiones adhibuerint relate ad integram doctrinam, quam exponunt. Nonne notum est quod locus aliquis Scriptoris etiam doctoris Ecclesiae, a contextu operis separatus, potest falsus esse et etiam haeresim sapere?

207. De loco vero Apostol. ad Cor. iam alibi [1] dixeram quod si ad

---

[1] Antonelli, *De mulieris excisae impot.* etc., pag. 62.

finem respicimus, quo scortator accedit ad meretricem, certo nullus alius inveniri potest, nisi satisfactio libidinis; si vero *concubitum ipsum,* scilicet in se, inspicimus, hic concubitus per se sufficiens est ad generationem, quae, si in vita meretricia abest, provenit tantum ex vita libidinosa mulieris et ex frequentioribus amplexibus, qui, ut omnes noscunt, minuunt vel suspendunt potentiam generativam; quod constat experientia, cum meretrices rectam vitam postea degentes et matrimonio copulatae, perfecte genuerint. Qua re in nefaria copula meretricia inveniuntur omnia necessaria ad habendam perfectam copulam, qualis requiritur ad generandum et in qua consistit « *fieri unam carnem* ». — Audiatur Cornelius a Lapide in hunc locum: « *Erunt,* enim, inquit, *duo in carne una.* Citat haec verba Paulus ex Gen. ubi dicuntur de coniugibus; bene tamen Apostolus ea refert ad fornicantes, *quia actus externi seu coniugum, seu fornicantium, secundum speciem naturae non differunt,* licet in genere moris specie, imo genere differant; horum enim actus sunt libidinis et vitii, illorum vero actus sunt temperantiae, iustitiae et virtutis. Ita S. Thomas ».

« Nota de coniugibus dicitur quod « erunt duo in carne una » idest duo erunt una caro; *primo* per copulam carnalem, ut hic explicat Apost.; *secundo* « erunt una caro » synecdochice, idest unus homo, una persona; vir enim et femina civiliter unum sunt et censentur una persona civilis; *tertio* quia coniux est dominus corporis sui comparis et sic unius caro est alterius caro; *quarto, effective, quia unam carnem* scilicet generant ». (Et bene hoc dicitur, quia in illis verbis includitur tota legislatio matrimonii).

« *Qui autem adhaeret Domino est unus spiritus* ». « Unus, pergit a Lapide, non essentialiter, sed accidentaliter; unus inquam charitate, voluntatis consensu, gratia et gloria, quae hominem faciunt quasi divinum et Deum et cum Deo quasi unus idemque sit spiritus. Ita Ambrosius, Anselmus, Oecumenius »[1].

Communiter Aa. eodem sensu intelligunt praefatum locum Apost. ut supra probavimus, quibus addimus tantum sequentes:

Ystella O. P. in loco Gen. ex quo refert Apostol. praefata verba, ait: « Rursum erunt duo in carne una, quia non solum *ad unam carnem prolis procreandam conveniunt,* sed ipsi *quasi* unum corpus et caro una se habeant; in arbore siquidem vis activa et passiva sunt

[1] A Lapide, *Comment.* in Epist. S. Pauli loc. cit.

in uno corpore; at in animalibus in diversis corporibus; ceterum *ad actum generationis oportet utramque virtutem coniungi*, quae cum in distinctis sit corporibus, tunc *quasi* unum corpus et una caro coniunguntur, ut *utraque vis in generatione* adsit (et in hac generatione non est amplius *quasi una caro*, sed *una caro*); et quia quantum ad actum naturae et speciem *non differunt in hoc uxor et non uxor*, ideo haec secunda cohaesio in unitate carnis etiam in nefario concubitu verificatur, quo modo et S. Paulus intelligi potest I Cor. 6, etc. » [1].

Tirinus: « Et erunt duo in carne una » hebraismo idest una caro et velut unus homo, non absolute ad omnem effectum seu naturalem seu supernaturalem seu civilem, sed *in ordine ad procreationem prolis* per congressum maritalem, ad quem tamquam unius corporis duo membra concurrunt, et duobus partibus imperfectis, ut Plato aiebat, in ordine ad generationem, conflantes quasi unum hominem perfectum » [2].

Tostatus, explicans verba « quamobrem relinquet homo patrem et matrem » etc., et postquam dixerit quod homo relinquet patrem et matrem non quoad amorem, obedientiam etc., sed quoad habitationem, finit his verbis: « *et erunt duo in carne una*, idest duo, scilicet vir et uxor coniungentur *ad unam prolis generationem, miscendo semine* » [3].

Calmet: « Et erunt duo in carne una ». Ils seront deux dans la même chair. L'Hebreu et le Chaldéen se peuvent traduire « Erunt in carnem unam ». Le terme *duo* n'y est pas; mais il se trouve dans les 70. *Ils seront deux pour ne devenir qu'une même chair par la production des enfants, qui sont le sang de l'un et de l'autre* » [4].

S. Thomas: « Et erunt duo in carne una » Hyeronimus: *scilicet in carne prolis*. Et hic est effectus matrimonii » [5].

Gorranus: « *Et adhaerebit uxori suae* », quantum ad mutuum consensum animorum; « *et erunt duo in carne una*, quantum ad unitatem copulae corporum vel in carne una idest *in una carne*

---

1 Ystella, *Comment. in s. Genesim*, Romae 1601, c. II, n. 71.

2 Tirinus, *Comment. in S. Scriptur.*, Antuerpiae 1656, in Math. XIX, 5.

3 Tostatus, *Opera*, Venetiis 1615, in Genes. q. 28, G.

4 Calmet, *Comment. litter. sur tous les livres de l'Anc. et du N. Test.* Paris 1707. *In Gen.*, ch. 2, pag. 85, v. 24.

5 S. Thomas, *In Matth.*, c. 19.

pueri propaganda, vel ut neuter habeat propriam sui corporis potestatem I Cor. 7. Et haec triplex expositio accipitur secundum triplex bonum matrimonii. Bonum Sacramenti notatur in prima expositione ut copula non dividat; bonum prolis in secunda, ut scilicet proles generetur; bonum fidei in tertia, ut corpus alii non tradatur » [1].

Qua re, his praemissis, patet locum Apostoli non significare nisi eamdem copulam, qualis adhibetur a coniugibus ad generandam prolem.

Quod vero verba versiculi 17 Apostoli nullam innuant unionem in unum principium producentem, patet, quia hic Apost. agit tantum comparationem *mere moralem* seu *spiritualem,* ut supra retulimus ex A Lapide et per se patet.

208. 2° P. Ojetti arguit canonem Benedicti PP. esse apochryphum ac ideo fere nullius momenti; et dato etiam quod esset authenticus probaret-ne nostram doctrinam? — Resp. Confr. nn. 53-54. — Hic tantum addo, quod, cum fontes et canones Gratiani dimanent ex constitutionibus RR. PP., ex Conciliis generalibus et provincialibus, et sententiis Patrum etc., et cum doctrina canonis praesentis quaestionis nullo modo discrepet a doctrina in iure pontificio contenta, nulla ratio afferri potest, qua eo uti nefas sit, ut per tot saecula ab Aa. factum est in iure docendo et practicando.

209. 3° Nos tuemur ad consummationem matrimonii requiri copulam, ex qua sequi potest generatio, quod evincitur etiam auctoritate DD., quos supra retulimus; et si sunt nonnulli DD. qui asserunt solum semen virile sufficere ad generationem, hoc fieri quia tenebant sententiam Aristotelis circa generationem. — P. Ojetti hoc argum. opponit (pag. 67): « Concors sententia canonistarum et theologorum non est in hoc, quod copula maritalis non sit nisi ea quae fit inter duos, quorum uterque potest dare ea omnia, quae necessaria sunt ad generationem, sed tantummodo in hoc quod copula maritalis ea est, quae fit per eiaculationem seminis ex parte viri intra vaginam mulieris. Haec tantum generaliter loquendo putabant necessaria ad habendam copulam coniugalem et etiam ad generationem prolis. Quare non est mirum quod aliquando, imo etiam saepe, ad indicandam copulam coniugalem dicant, eam esse, ex qua sequi per se possit generatio. Et sic loquentes hoc tantum volunt, scilicet non consummari matrimonium per tactus quoslibet impudicos, per pollutionem

---

[1] Gorrani Nic., *Comment. in quartum Evang.,* Coloniae 1537, in Math. XIX, A. B.

seu effusionem seminis extra vas mulieris naturale, per copulam in qua penetratur quidem vas, non tamen immittitur aut recipitur in illo semen a viro etc. Si quidam aliquid plus dicunt, hoc refert sententiam quamdam singularem, non sententiam communem DD. Et certe generatim veteres canonistae loquuntur tantum de arctitudine feminae. Imo aliquando ipsi explicant suum modum loquendi. Sit loco ex. Sanchez *de matr.* l. 7, d. 64, n. 8: « Non efficiuntur una caro (vir et mulier) nisi per copulam perfectam et sufficientem ad prolis generationem, qualis est sola illa, *in qua virile semen intra vas femineum recipitur* ». Cfr. etiam Schmalzgrueber *in tit. 15*, l. 4. Decret. n. 71 etc. Quod vero dicitur DD. discordes esse de necessitate seminationis feminae, istud recte explicatur tantummodo per hoc, quod seminatio haec, quae locum habet in vagina, iuxta quosdam, habenda foret ad instar seminationis virilis, tamquam elementum essentiale copulae matrimonialis ».

210. R. — Utrum haec omnia sint vere iuxta doctrinam Canonistarum et Theologorum, probant capita I et II huius voluminis, ad quae remittimus P. Ojetti et hortamur ut illa capita legat et attente legat ac dein probet Aa., quos referimus, non docere quae nos docemus et non tueri doctrinam quam nos tuemur. — Quod vero pertinet ad Sanchez, conferat attente A. n. 67 et 87-88 huius vol., et quod spectat ad Schmalzgrueber n. 94. — Dolet sane animus videndo quantam levitatem nonnulli Aa. adhibeant in pertractandis quaestionibus tanti momenti!

211. 4° Probabamus nostram doctrinam ex Const. Sixti V contra eunuchos. P. Ojetti sequentia opponit: « Argumentum totum tandem aliquando reducitur ad argumentum analogiae: quod verificatur in viris, hoc etiam de feminis dicendum est. Sed haec illatio non est omnino certa. Nam extra dubium est quod plura, quae matrimonium regunt, pendent ex iure positivo-divino. Curnam igitur Deus non potuit quaedam exigere ex parte viri, quae non exigit ex parte mulieris, quia ad hoc discrimen inducendum non spernendae adsunt rationes. Nam quod vir aliquis careat testibus nimis profecto in aperto res est; sed ad investigandum utrum mulier habeat nec ne uterum, habeat nec ne ovaria, aliud prorsus requiritur; et certe ad cognoscendam existentiam ovuli in vesicula Graaf contenti in ovariis mulieris primo devenimus prima tantum medietate saeculi decimi noni (von Baer primus an. 1827, hoc vel cognovit, vel saltem scientifice asseruit et illustravit). Nec forte physiologia ultimum verbum dixit.

Nonne alia etiam elementa necessaria ad generationem, alia organa fortasse invenientur a physiologia adhuc progressura in suis inquisitionibus? Cfr. Sägmuller l. c. Porro non videtur dicendum, Deum providentissimum adeo in ancipiti reliquisse valorem matrimonii. — Sed et praeterea aliud quoad hoc adnotant nonnulli (Cfr. Eschbach, *De novo quodam sterilitatis conceptu*, pag. 58), scilicet copulam cum viris eunuchis non valere ad sedandam concupiscentiam, dum contra copula cum eunuchissis concupiscentiam sedat, quemadmodum copula cum muliere integra et sana. — Accedit, quod, quidquid sit ex parte viri eunuchi, ex parte feminae copula cum eunucho est periculis plena, quum notum sit (cfr. Bergeret, *Le frodi nell'esercizio delle funzioni generatrici*) copulam, in qua vir non seminet intra vas mulieris, si nempe sit pluries repetita, causam esse plurium morborum in ipsa femina. — Hinc optime Sixtus V dixit ex copula eunuchorum nullam utilitatem provenire, sed potius tentationis illecebras et incentiva libidinis; quod in copula mulieris eunuchissae non verificatur. Quare physiologi universim negant existentiam alicuius analogiae, quod pertinet ad erotismum, inter testes et ovaria » (pag. 67).

212. Ad omnia haec plura notanda veniunt:

Primo. Argumentum pro invaliditate matrimonii mulieris, de qua agimus, nullo modo est argumentum analogiae; sed si hac Constit. utimur pro communi doctrina tuenda, est quia ibi continentur *principia immutabilia* iuris naturalis et pontificii, quae non tantum referuntur ad viros, sed etiam ad mulieres, in contrahendo matrimonio. Legat A. nn. 124-127 praecedentes.

Secundo. Etsi plura, quae regunt matrimonium, sint ex iure positivo-divino, tamen non sequitur quod Deus possit exigere aliud ex parte viri, aliud ex parte mulieris; immo, dato praesenti ordine rerum, idem debet necessario exigere a femina quod a viro. Nam, cum Deus matrimonium instituerit ad propagandum hominem et cum ad hanc propagationem etiam feminam creasset ut *conditionem sine qua non*, patet in matrimonio debere necessario exigere a femina quod a viro, ut scilicet uterque possint generare filios. Certo Deus poterat alium et alium ordinem rerum statuere, at de facto noluit; hic quaestio non est de possibili faciendo ex parte Dei, sed de facto existente. Hac ratione praecise *bonum prolis* est unum ex *bonis essentialibus* in matrimonio, sine quibus actus matrimonialis excusari nequit, ut tradit cum communi S. Thomas (cfr. n. 111 praeced.),

et quae bona debent in singulis matrimoniis inveniri, quoad obligationem. Quomodo vero mulier castrata potest se obligare ad bonum prolis, cum in perpetuum sit inhabilis, et quidem per se, ad generandum?

Tertio. Quoad vero difficultatem noscendi an mulier apta sit nec ne ad generandum (ex qua, iuxta A., anceps esset valor matrimonii, cum nostro tempore tantum cognita sint ovula feminarum), nulla difficultas certo est. Nam: *a*) mulieres laborantes defectu aliquo *per se*, quo fiant perpetue inhabiles ad generandum, sunt valde rarae, immo rarissimae; et ius decernit iuxta ordinaria contingentia; *b*) menstrua, quae observantur de visu, testantur de capacitate generandi, cum absentia eorum, manente tamen capacitate generandi, valde rara sit; *c*) in omnibus casibus, ius praesumit capacitatem generandi, donec contrarium probetur, cum naturales exceptiones, rarissimae, non supponendae sed probandae sunt. Hinc evidenter petere rationem ex cognitione ovorum, facta nostro aevo, est ad minus inutile et sophisma sapit.

Quarto. Quid vero si anatomia (non physiologia) adhuc progressura inveniret *alia elementa, alia organa* necessaria (hic venit physiologia) ad generationem, cum nondum *ultimum verbum* de humana generatione edixerit, iuxta A.? Tunc res esset magis difficilis ac obscuritatibus plena et nil praevideri certe potest in praesenti quoad futuram solutionem. Fac enim ut in futuro, plus minus a nobis longinquo, physiologia probet ovula feminarum et nemaspermata virorum (*elementa*) non esse praecise necessaria ad generationem, immo inservire ad aliud prorsus officium, uterum et vaginam falso olim habita fuisse ut *organa* necessaria ad generationem, ovaria et testes esse tantum *organa*, puta, nervea vel haematopoietica, vesiculas seminarias non inservire ad servandum praesumptum semen et membrum virile vix ad urinam emittendam inservire etc., facile quisque videt ex hac non expectata hominis physica evolutione oriri quaestiones omnino novas, quae totum ius naturale et ecclesiasticum penitus subvertunt. At si hae evolutiones fiant, etiam alia *organa* corporis et alia *elementa* necessario debent immutari ob legem physiologicam *correlationis* partium organicarum. Et in hac nova anatomia et physiologia quid erit nostra scientia, quae in praesenti gloriatur de suis inventis?... At A. et Sägmuller, quem ipse citat, certi omnino sint, quod haec non fient; nam anatomia perfecte noscit organa generationis, physiologia item perfecte docet eorum

officium in utroque sexu, istologia et physiologia omni certitudine tradunt *elementa* generationis esse tantum nemaspermata et ovula, organogenia ostendit ortum nemaspermatum et ovulorum et embryologia sequitur evolutionem omnium *organorum* generationis in viro et muliere et evolutionem fetus; demum experimenta scientifice peracta ad noscendum *modum* generationis a Spallanzani usque ad nostra tempora penitus probarunt generationem fieri eo modo, quo in functionibus speciei exposuimus, et organa ibi descripta esse quae necessario requiruntur ad propagandam prolem. Ceterum *alia organa* et *alia elementa* generationis non sunt; de quo facto A. et Sägmuller omnem certitudinem physicam comparare sibi possunt, si adeant theatra anatomica Universitatum et sequantur incisionem et explorationem partium cadaverum, vel ad minus volvant tractatus anatomicos et physiologicos nostri aevi. Aliud docere contra scientiam positivam experimentalem, non vertit certe ad honorem et decorem scriptorum et causa esse potest ignorantibus spernendi modernas scientias, quae non parvo emolumento et utilitati theologiae morali sunt. Iterum dico: hac in re certitudo *absoluta* comparata est, et P. Ojetti et Sägmuller de hoc certi omnino sint.

Quinto. De eo quod A. dicit ex Eschbach quoad copulam cum eunuchissis, cfr. quae in citatis meis opusc. respondi, quin eadem repetam. Hic addo tantum: Si copula cum eunuchissa concupiscentiam viri sedat, quo iure prohiberi debet viro quominus concupiscentiam sedet utendo aliter contra naturam, cum eius sedatio aliter haberi possit? Quo iure debet ipse hanc sedationem habere tantum per vas naturale feminae? Nulla prorsus ratio afferri potest, si excludis finem generationis, ad quem *integer apparatus sexualis femineus* ordinatus est.

Sexto. His praemissis et attenta Const. Sixti V, eunuchorum matrimonium invalidum est, quia *nequeunt generare,* cum generatio saltem possibilis sit unum ex bonis *essentialibus* matrimonii, quod debet inveniri in singulis matrimoniis ne sint invalida. Hinc nil refert an sit nec ne analogia, quoad erotismum, inter ovaria et testes; quod requiritur ad valorem matrimonii est quod ipsum habeat, quod *natura sua* ei competit. Quoad generationem ovaria et testes sunt omnino eiusdem momenti. In eunucho viro et femina castrata deest absolute, quod matrimonium natura sua necessario requirit.

213. 5° Aliud argumentum afferebamus pro nostra doctrina ex qua-

tuor causis matrimonialibus resolutis a S. C. C.; quae resolutio nostram doctrinam firmare certum est. (Vide has causas n. 105 huius volum. et diffusius tractatas in *De conceptu* etc. n. 60 et 61, et *De mulieris excisae impotentia* etc. n. 110-115).

P. Ojetti haec opponit: « Praemittendum est S. C. Conc. pro suo munere nunquam onus sibi suscepisse edendi declarationes doctrinales. Hoc munus spectat ad S. C. Inquisitionis. Congreg. Concilii assumit principia theoretica S. Officii, vel principia omnibus communia et ad casus particulares applicat. Hinc decisiones S. C. Concilii a priori debent assumi ita ut decisionibus S. O. non contradicant. Porro hae decisiones intellectae in sensu adversariorum contradicerent decisionibus S. O. — Si autem inspiciatur ipsa substantia rei, hae decisiones S. C. C. non solum non pugnant cum decisionibus S. O.; quin imo eae sunt, quas ipsum S. O. dedisset in eisdem causis. Nam in omnibus causis citatis semper verificatur defectus quidam vaginae in muliere, ob quem copula naturali modo haberi non poterat. Porro hoc omnino requiritur ad valorem matrim. Et certo longitudo maior vaginae, quae in his casibus habebatur, fuit longitudo 6 cm.; membrum autem virile in statu erectionis, desumpta media, ut medici asserunt, pertingit ad longit. 8-10 cm. » (pag. 68-69).

214. R. Praemitto 1°, ut matrimonium valide contrahatur, ex doctrina certa Ecclesiae et doctorum, debere habere, quae ex natura sua ei competunt, scilicet *triplex notum bonum*, quoad obligationem contrahentium (cfr. nn. 110-140 huius volum.); 2° Neque RR. CC. nec Papam ipsum posse aliquid immutare de substantialibus matrimonii. Hinc cfr. responsa, quae invenis in opusc. *De Conceptu* et *De mulieris excisa impot.* in nn. nuper citatis. Tamen noto, vaginas normales esse, iuxta Testut, insignem anatomicum [1], in media, sex cm. cum dimidio. Ergo omnes feminae habentes vaginam long. tantum 6-7 cm. et etiam minus contrahunt invalide, iuxta A.? Absit omnino. Ordinariae vaginae non superant longitudinem 6-7 cm. et mulieres perfecte concipiunt et pariunt. Valor matrimonii non pendet a longitudine vaginae, in qua possit haberi copula naturalis, sed pendet a capacitate generandi. Ceterum resolutiones S. O. et S. C. C. pugnant inter se, si debeant accipi prout sonant responsa S. O., quae etiam destruunt totum ius naturale et ecclesiasticum circa valorem matri-

1 Testut, *Trattato di anat. umana*, Torino 1896, vol. 3, P. 2. pag. 262-263.

monii; quod admitti nequit; et ideo non remanet nisi responsa S. O. explicentur eo sensu, quod in illis casibus S. O. putaverit non impossibilem esse generationem, quod ad valorem matrimonii sufficit, sicut declaraverat Emus Parocchi, S. O. tunc Secretarius, P. Bucceroni (Cfr. *De mulieris excisae impot.* n. 125), qui hanc declarationem publice fecit.

P. Wernz, qui nostram tenet doctrinam, in suo opere supra citato, refert casum excisionis ovariorum, habitum apud S. O. an. 1902, in quo, S. C., antequam responsum praeberet, quaesivit a medicis quanam ratione facta fuerit illa excisio, et cum hi declaraverint non constare de *perfecta* carentia organorum, respondit « matrimonium in casu non est impediendum » (cfr. n. 179 huius voluminis).

P. Ojetti sequentia arguit ad praefata P. Wernz: « S. Congreg. optime egit, interrogans medicum, quia ex diversa operatione diversum poterat esse responsum; ex. gr. si medicus dixisset partem tantum ovariorum ablatam fuisse, intactis manentibus tubis falloppianis et utero et fortasse responsum fuisset: *mulierem esse habilem ad matrim.*, aut quid simile. Quum vero medicus dixerit, de perfecta carentia ovariorum *non certo* constare, S. C. solitum dedit responsum ob dubium facti et iuris, quamvis medici affirmatio non importaret possibilitatem generationis ob rescissionem, quae semper fieri solet, tubarum falloppiarum » (p. 69).

R. Noto: in sententia nobis contraria nequit intelligi quo iure S. O. inquisiverit a medicis rationem ablationis ovariorum; nam sive sint ovaria sive absint, sive sit uterus cum tubis, sive absit, iuxta hanc sententiam, quae tenet matrimonium esse validum, prorsus inutilis erat haec inquisitio. Si vero medicus affirmasset partem ovariorum cum utero et tubis mansisse, utrum S. O. respondisset, ut contendit P. Ojetti, de habilitate ad matrimonium, nescio, nec, quoad scio, unquam respondit de hac habilitate in casibus particularibus. Sed ex casu allato S. O. videtur tuto desumi, quod ablatio ovariorum facta fuit per vaginam et non per abdomen; alias non intelligitur quomodo medicus posset dicere non constare de *perfecta* ablatione, cum in ovariotomia abdominali certitudo de perfecta ablatione habeatur; ac proinde in tali casu ablationis vaginalis non difficile est quod maneat aliquid texti ovarici vel sit aliquid ovarium supplementare sufficiens allatum. Dein notetur ovariotomiam non secum ferre rescissionem tubarum, quae rescissio locum habet in oophoro-salpingotomia. Cum vero non desint casus praegnationis, etsi pauci, post ovarioto-

miam vaginalem, patet S. O. eo modo respondisse, quia adhuc possibilis evadit generatio.

215. 7° Contra doctrinam certam, quae tenet matrimonii finem essentialem esse generationem prolis et sedationem concupiscentiae haberi posse tantum per copulam aptam ad generationem, P. Ojetti haec animadvertit: « S. Bonaventura in IV, dist. 31, a. 7, explicans quomodo tria bona matrimonii non sunt aequaliter de eius necessitate, nec ad eius essentiam aequaliter pertinent, multa habet, quae sententiae matrimonium validum putanti favere videntur. Integrum locum non referam brevitatis gratia. Sufficiat mihi sequentia referre: « Similiter proles venit ex fructu ventris et quia steriles possunt esse vel natura *vel arte,* ideo matrimonium hoc bono carere potest ». Et postquam S. Bonaventura sibi obiecerit « quod proles non sit de necessitate, quia matrimonium est inter steriles, » sic respondet: « Ad illud quod obiicitur de bono prolis, propter quod hoc matrimonium institutum sit, dicendum, quod non tantum propter hoc, sed etiam in remedium et in signum; et ideo, *quamvis non sit ibi hoc bonum,* possunt tamen esse alia bona ». — Praeterea plura loca S. Thomae adduci possunt, quorum unum commemorabo, scilicet in *Suppl.* q. 58, a. 1 ad 4. — Adnotandum vero est, ad haec loca S. Bonaventurae et S. Thomae nimis properanter adversarios respondere eos loqui tantummodo de sterilibus. Nam S. Thomas in eo loco loquitur de frigiditate, qua quis non potest solvere debitum, quod profecto nullo modo applicari potest ad sterilitatem (hoc autem deducitur etiam ex loco Magistri, ad quem ibi S. Thomas alludit); S. Bonaventura vero loquitur expresse de sterilitate ex arte inducta, quae dari non potest pro dd. oppositae sententiae, qui sterilitatem definiunt ex Pichler inhabilitatem *ad actualem* generationem, etiam praesupposita copula carnali perfecta seu de se sufficiens ad generationem prolis: at certe S. Bonaventura non loquitur de impedimento quodam actualiter posito ad generationem, quia tunc potius quaestio esset de onanismo quam de sterilitate. Locus S. Thomae *Suppl.*, q. 49, a. 4, ab adversariis citatus potius sententiae putanti matrimonium validum, quam adversariorum sententiae, favet. Dicit enim ibi S. Doctor, duobus tantum modis coniuges absque peccato convenire, scilicet causa procreandae prolis et debiti reddendi. Porro in sententia adversariorum videtur potius S. Thomas dicere debuisse coniuges uno tantum modo sine peccato convenire, scilicet causa generandae prolis » (pag. 69-70).

216. R. Circa doctrinam S. Bonaventurae, quae potius favet doctrinae nobis contrariae, ut putat P. Ojetti, in primis noto de hoc ipso argumento allato a Serafico D. et quomodo in ipso tradatur *communis* doctrina, quam tuemur, iam egi in op. *De mulieris excisae* etc. nn. 84-85 et P. Ojetti debebat non eamdem obiectionem referre, sed ostendere responsionem a nobis datam de hoc argumento non tenere et S. D. prorsus aliud docere. — Dein nonnulla addam de hac re. Integer locus S. Bonaventurae, cui alludit A., refertur ad obiectionem quod Sacramentum non sit de substantia matrimonii, et respondet: « Sicut tangit Magister in littera et accipit ab Augustino, cum sint tria bona matrimonii, scilicet fides, proles, sacramentum; unum scilicet sacramentum est de necessitate matrimonii. Sacramentum venit ex mutua obligatione et divina institutione et signationis illius unionis; et ideo quia ista sunt de necessitate matrimonii, per consequens et sacramentum. Sed alia duo bona quodammodo sunt de esse, quodammodo de bene esse. Si enim loquamur quantum ad matrimonii *usum,* sic sunt de bene esse, quoniam usus matrimonii absque his esse potest, sicut quotidie est et non solum est absque his, sed etiam cum suis oppositis. Unde sterilitatis et abortus procuratio et fidei fractio non dissolvunt matrimonium. Si autem loquamur quantum ad matrimonii contractum, qui est per matrimonialem consensum, sic potest esse contractus absque his duobus bonis, utpote in sterilibus et in continentibus, si tamen non est contra haec. Tunc autem est consensus contra haec, quando sub tali pacto consentitur ut prolis sterilitas procuretur vel uxor alii prostituatur; tunc enim non est consensus, vel pactio matrimonii, sed potius adulterii, cum directe repugnat institutioni matrimonii. Sed carentia sive absentia horum duorum non repugnat, quia fides venit ex recto matrimonii usu et quia possunt homines abuti ipso, idest potest deesse fides. Similiter proles venit ex fructu ventris; et quia steriles possunt esse vel natura vel arte; ideo matrimonium hoc bono potest carere ». (S. Bonav. in IV Sent., d. 31, a. 1, resolut). « Ad illud quod obiicitur de bonis prolis, quod propter hoc institutum est, dicendum quod non tantum propter hoc, sed etiam in remedium et in signum; et ideo quamvis non sit ibi hoc bonum, possunt tamen esse alia bona; si autem homo stetisset, tunc semper fuisset hoc bonum, quia tantum fuisset in officium et hoc bonum non deesset, quia nulla esset sterilitatis poena » (ibid.).

Ad hoc argumentum referuntur dicta in opusc. cit. n. 84-85.

At cum S. D. dicit steriles posse esse etiam *ab arte,* putat P.

Ojetti hic agi de castratione. At perperam. Nam notum est ab antiquo aliquando medicos praescripsisse mulieribus, quibus conceptus funestus erat, modus inducendi sterilitatem per certa medicamina, vel abortum induxisse, fetu nondum animato, ex quibus medicis Hippocrates diu agit in *lib. ad mulieres spectantibus*, et maxime commendat [1]. Cum vero agatur de sterilitate *hac arte* inducenda vel abortu procurando, res erat evidenter de mulieribus, *quae saltem capaces erant generandi* vel iam genuerant; et nil aliud erat haec sterilitas *ab arte*, de qua loquuntur S. Bonaventura et nonnulli theologi. Ceterum S. Bonaventura *expresse* docet non posse contrahi matrimonium ob finem tantum explendi concupiscentiam, cum *bona essentialia* matrimonii sint fides, sacramentum et proles et *haec tantum tria;* ait enim: « Respondeo dicendum quod numerus et sufficientia bonorum matrimonii potest accipi a parte causae instituentis sive efficientis, et sic a triplici principio; a dictamine scilicet naturae ut vir cubet cum muliere ad conservationem ipsius naturae et sic est bonum prolis. A dictamine rationis rectae ut vir cum sua et non cum alia cubet muliere et sic est bonum fidei. A dictamine gratiae ut significetur unio divinae naturae et humanae et sic est bonum sacramenti. Potest etiam accipi a parte principali constituentis et hoc tripliciter, quia ad hoc quod matrimonium habeat esse completum, tria sunt necessaria, scilicet institutio, usus et fructus. Ratione institutionis, bonum sacramenti; ratione debiti usus, bonum fidei; ratione fructus consequentis usum, est bonum prolis; et sic patet quod est triplex bonum. Potest denique excipi a parte finis moventis sive terminantis; et hoc vel quia ad bonum, vel quia contra malum. Quia ad bonum, cum triplex sit eligendum bonum, scilicet honestum, conferens et delectabile. Ratione boni honesti est fides, ratione conferentis proles, ratione delectabilis est sacramentum, secundum quod superius est monstratum. Vel aliter, quia contra malum concupiscentiae, quae habet in se triplex malum, scilicet fluxum, inordinationem et fastidium. Contra fluxum est in matrimonio unio singularis, contra inordinationem unio utilis, contra fastidium unio inseparabilis. Ratione singularitatis in unione est fides, ratione utilitatis proles, ratione inseparabilitatis sacramentum. Et haec tria signant triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia, quia scilicet unitur uni et quia

---

[1] Zacchia, *QQ. medico-legales*, l. 6, tit. 1, q. 7, n. 19.

ex ea filios generat et quia nunquam separatur. Ex his patent obiecta, quia connumerantur non quaecumque bona, sed quae communia sunt statui naturae corruptae; *ideo nec pax, nec obsequium, nec bonum, quod accipitur in quantum est remedium*, inter haec bona connumerantur, *sed haec tria bona solum* » [1].

Dein S. D. alibi docet quod:

« Mulier propter procreationem liberorum facta est in adiutorium viri » [2].

Utrum ex hac doctrina Seraphici D. sequatur quod imaginatur P. Ojetti, quilibet sanae intelligentiae iudicet.

Videamus nunc an locus S. Thomae citatus a P. Ojetti faveat eius sententiae et an ad illum *nimis properanter* aliqui confugerint. Locus S. Thomae est in *Suppl.*, q. 58, a. 1, ad 4, et in IV *Sent.*, d. 34, q. 1, a. 2, ad 4. — A. D. seq. obiectioni: « Si scit mulier virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est matrimonium. Ergo frigiditas, quantum est de se, matrimonium non impedit », respondet: « Dicendum, quod in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille qui est impotens ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad eius solutionem. Tamen impotens potest esse tripliciter. Uno modo, quia non potest solvere de iure; et sic talis impotentia omnibus modis facit contractum esse nullum, sive sciat ille, cum quo facit talem contractum, hanc impotentiam, sive non. Alio modo, quia non sit solvendo de facto; et tunc si sciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam et nihilominus contrahit, ostenditur quod alium finem ex contractu quaerit, et ideo contractus stat; si autem nescit, tunc contractus nullus est. Et ideo frigiditas, quae causat talem impotentiam ut homo non possit de facto solvere debitum et conditio servitutis, per quam homo non potest de facto libere reddere, impediunt matrimonium, quando alter coniugum ignorat hoc, quod alius non potest reddere debitum. Impedimentum autem per quod aliquis non potest de iure reddere debitum, ut consanguinitas, annullat contractum matrimonium, sive sciat alter sive non; et propter hoc Magister ponit quod haec duo faciunt personas omnino illegitimas ».

Obiectio, quam opponit P. Ojetti, eadem est quam sibi ponit

---

[1] S. Bonaventura, In IV, d. 31, q. II, resolut.

[2] Idem, ibid., d. 27, a. 1, q. 2, resol.

Billuart; hic A. enim sibi obiicit: « Dices 2° Si mulier sciat virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est matrimonium, ut admittit D. Thomas hic ad 4 his verbis: « Si sciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam et nihilominus contrahit, ostenditur quod alium finem ex contractu quaerit et ideo contractus stat, si autem nescit, tunc contractus est nullus ». Ergo frigiditas de se et ex natura rei non tollit matrimonium ». Respondet: « quod frigiditas perpetua, sive sciatur sive non, tollat matrimonium, « quia in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille qui est impotens (perpetuo scilicet) ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad eius solutionem ». Verba sunt D. Thomae in ead. resp. ad 4 et ita declaravit Sixtus V bulla cit.; *Unde ad textum obiectum,* Respondeo cum Soto et Sylvio, intelligendum esse de impotentia *temporali*, quae si sciatur, quamvis non tollatur, non impedit quin sit verum coniugium, si autem ignoretur, accidere potest quod tollat matrimonium, quando scilicet tollit consensum, etsi regulariter id non accidat. *Hanc autem esse mentem Auctoris,* **patet** *ex eo quod loquitur de impotentia comparative ad servitutem, quae tolli potest* et alias *sibi in eo et in eadem solutione contradiceret.* Quidam respondent S. Thomam loqui de contractu amicabili societatis, non matrimonii; sed prior explicatio magis consentanea videtur » [1].

Ceterum regula hermeneuticae est quod si aliquis locus est obscurus in aliquo A., explicari debeat per alia loca clariora; hinc P. Ojetti debebat 1° notare quod, si textus citatus S. Thomae esset pro sua sententia, in eodem loco esset aperta contradictio; 2° quaerere loca clariora D. Thomae ad dilucidandum locum, qui videtur non clarus, ex. gr. quae referimus in nn. 66, 100, 187 et 189 huius volum.; 3° observare quod, in eadem responsione A. D., est *principium iuris,* quod declarat quomodo accipienda sit responsio ad obiectionem, quam sibi ponit S. Thomas.

His praemissis ipse A. videat utrum *nimis properanter* ad auctoritatem A. D. nostra sententia confugerit et utrum S. D. doceat quod ipse putat docere.

De eo vero, quod D. Thomas dicit, quod duobus solis modis absque peccato coniuges conveniunt, nullo modo sequitur quod ob debitum

---

[1] Billuart, *Summ. S. Thomae* etc. Paris edit. 9, tom. X, d. 7, a. 9, pag. 214.

reddendum ipse A. D. excludat generationem; immo ex doctrina, quam tradit et supra retulimus, supponit necessario concubitum fieri non excludendo generationem; nam audivimus eum docere, quod si coitus non possit ordinari ad prolem, est contra naturam, cum natura per coitum intendat prolem, et similiter, qui concubitu utitur propter delectationem, quae in illo est, non referendo ad finem a natura intentum, contra naturam facit. — Quid ergo manet de rationibus allatis a P. Ojetti relate ad S. Bonaventuram et D. Thomam?

217. 8° In sententia nobis contraria innuebamus, quod, si matrimonium cum castrata muliere esset validum, tunc copula contra naturam non appareret quomodo posset esse illicita, cum, excluso fine generationis, nulla amplius sit ratio cur debeat fieri in vase naturali. P. Ojetti arguit contra: « Coniugibus ad sedandam concupiscentiam licet copula, in casu, quem examinamus, etsi non sit ex ea possibilis generatio, quia est copula naturali modo habita et coniugalis; coniugibus autem licet sedare concupiscentiam per actum coniugalem. Copula onanistica aut sodomitica non licet coniugibus, quia non sunt actus coniugales » (pag. 70).

218. R. — Haec copula, qua nullo modo possit provideri generationi *per se,* non est coniugalis; est contra naturam; copula enim instituta est a natura propter prolem. Cfr. cap. II. huius vol. et praesertim nn. mox citatos, qui referunt doctrinam D. Thomae et n. 160 circa doctrinam S. Alfonsi.

219. Aliud argumentum quod P. Ojetti affert pro sua sententia est quod antiquae et classicae definitiones de matrimonio ne verbum quidem faciunt de necessitate quod corpora debeant esse apta ad generationem, uti ex. gr. in iure romano, in Institutionibus Iustiniani, in S. Thoma etc., in quibus definitionibus dicitur « coniunctio maris et feminae, viri et mulieris, etc. », ac proinde capacitas generandi nullo modo attendi debet. (pag. 74).

220. R. — Quid ergo? Poterit tunc et eunuchus contrahere. At quis ignorat matrimonium esse propter generationem principalissime? Vir eunuchus et mulier castrata sunt-ne adhuc mas et femina? Quod constituit differentem sexum sunt organa genitalia, et diversitatem sexus Deus creavit ad propagationem, ob quam propagationem instituit et matrimonium. Tolle organa genitalia et non habebis amplius nec masculum nec feminam, sed *neutros* et *monstra* naturae, sive sint talia congenite sive ab arte. Quando definitiones matrimonii indicant *virum* et *feminam*, agunt semper de viro et femina,

quales natura debent esse et nullo modo de talibus monstris, quae nec mares nec feminae amplius sunt. Ceterum sunt etiam veteres et non minus classicae definitiones, quae requirunt in contrahentibus capacitatem generandi, quas supra retulimus. Hae animadversiones videntur esse merae cavillationes.

De aliis rationibus, quas adducit P. Ojetti, nihil noto, cum sint semper quae pluries refutatae sunt in hoc vol. et aliis meis opusc. et in op. P. N. Casacca, supra citato. At P. Ojetti melius egisset si vacuitatem harum refutationum ostendisset. Iterum dico quod pluries notavi, scilicet si volumus solutiones certas praebere etiam in casibus maxime implexis, *oportet a principiis certis proficisci ;* quod si non fiat, pessimae consequentiae inevitabiles oriuntur.

De rationibus supra allatis contra communem et certam doctrinam, quam tuemur, quid remanet?...

Sed satis, in praesenti, sit de impotentia et sterilitate.

CAPUT IV.

DE VARIIS FORMIS IMPOTENTIAE

221. Impotentia, seu absentia aptitudinis ad generandum, potest considerari et dividi: *A. ratione originis, B. ratione temporis, quo perdurare potest, C. ratione matrimonii, D. ratione modi exsistentiae.*

222. *A. Impotentia ratione originis,* h. e. spectata *causa facti,* ex qua ortum ducit, potest esse:

a) *naturalis* seu *congenita,* quae a natura habetur, cuius causas hic exponere supervacaneum est; ita sunt ex. gr. eunuchi a nativitate, mulieres utero vel vagina vel ovariis omnino ab ortu carentes;

b) *accidentalis* seu *acquisita,* quae non habetur a natura, sed post nativitatem ob aliquam causam exorta est; tales sunt eunuchi, qui morsu cuiusdam animalis aut operatione chirurgica aut quolibet alio accidente tales facti sunt; mulieres, quae castratae evasere ob operationem porrensem (I, 434) vel ob quamlibet aliam operationem chirurgicam, qua vaginam aut uterum aut ovaria amiserunt.

223. *B. Impotentia ratione temporis, quo perdurat,* potest esse:

a) *perpetua absolute,* quae neque progressu temporis, neque operatione chirurgica tolli potest; tales sunt eunuchi utroque teste inter mares, et carentes utero vel vagina vel ovariis vel utero et ovariis simul inter feminas. Ius insuper ut perpetuam recte habet etiam illam, quae per media licita et naturalia aut nonnisi cum periculo gravi vitae aut damno considerabili salutis corporalis aut peccato, tolli nequit;

b) *perpetua relative,* quae talis est relate tantum ad quamdam certam personam, cum qua copula apta ad generationem haberi nequit; tales sunt, qui nimio ambitu penis laborant relate ad vagi-

nam cuiusdam mulieris, aut mulier, quae habet magnam abomina tionem respectu cuiusdam viri;

e) *temporalis* [1], quae vel progressu temporis vel operatione chirurgica absque ullo periculo vitae tolli potest, ut sunt nimis calidi aut mulieres non nimis arcta vagina laborantes; qui defectus facile progressu temporis vel in casu mulieris levi operatione tolluntur; item phimosi vel paraphimosi (I, 292) affecti, vel leves prolapsus uteri (I, 301) patientes.

224. *C. Impotentia ratione matrimonii,* potest esse:

a) *antecedens,* si haec iam aderat ante matrimonium, nihili faciendo eius originem sive congenitam, sive acquisitam;

b) *consequens,* quae in uno vel altero coniuge vel in utroque post initum matrimonium exorta est, ut fit in eo, qui, contracto matrimonio, amputationem penis vel ablationem testiculorum passus fuit, vel in ea, quae ovaria omnino vel uterum vel vaginam per operationem amisit.

225. *D. Impotentia ratione modi exsistentiae,* potest esse *certa,* si contra eam nullum argumentum afferri potest, quia evidens est, vel *dubia,* cum argumenta afferri possunt, quae non reddunt certam eius exsistentiam.

226. His praemissis, *principia relativa* ad impotentiam, quatenus matrimonium spectant, sunt sequentia:

A. Impotentia perpetua et *antecedens,* sive sit naturalis sive acquisita, matrimonium contrahendum impedit vel contractum dirimit respectu omnium, si sit *absoluta;* respectu vero tantum illius personae, ex cuius copula nullo modo et per se generationi provideri potest, si sit *relativa;* et hoc quomodocumque orta sit, sive cognita alteri fuerit, sive non, sive sit ex parte utriusque contrahentis, sive alterius tantum (S. Alf., l. cit., n. 1093); ad impediendum vel dirimendum matrimonium sufficit ut sit perpetua et antecedens. — Ratio est, ut docet cum communi S. Alf., quia essentia matrimonii consistit in mutua traditione et acceptatione iurium in corpora physice apta ad generationem; perpetue impotens per se ad generandum nequit tradere hoc ius alteri parti, cum non habeat obiectum

---

[1] Impotentia temporalis improprie dicitur talis a theologis, cum nonnisi casus particularis *sterilitatis* sit, quia defectus, qualiscumque sit, potest removeri, sicut fit in multis casibus sterilitatis, et in coniugibus manet semper per se aptitudo ad generandum

aptum ipsius contractus; hac ratione, tale impedimentum est iuris naturae, ut supra probavimus.

227. Dicitur primo *perpetua*, quia, si aliquo modo naturali licito, vel progressu temporis tolli aut ex se cessare potest, neque impedit neque dirimit matrimonium, quia ad essentiam matrimonii, etsi necessaria sit capacitas seu aptitudo ad generandum, sufficit tamen ut eius consummatio sit possibilis tempore contractus, *aut possit evadere possibilis tempore futuro*, seu de essentia matrimonii est non *factum* generationis, sed *aptitudo* ad generationem.

228. Dicitur secundo *antecedens*, quia, si post matrimonium oriatur, non potest illud dirimere, cum semel contractum ex natura sua sit indissolubile.

229. Ex dictis liquet virum vel mulierem, qui aliquo modo illicito vel cum gravi periculo vitae vel damno considerabili salutis corporalis potentem se effecit ad generandum, contracto iam matrimonio, non posse in matrimonio consistere, nec eius usum habere, nisi renovato consensu, quia matrimonium ab initio erat nullum, et utrumque posse etiam ad alias nuptias transire.

Quomodo vero in praxi instituendus sit *processus canonicus* de impotentia, inferius dicemus.

230. *B. Nulla impotentia consequens*, etiam perpetua, dirimit matrimonium. Ratio, quia impotentia, cum occurrit, invenit matrimonium iam validum, quod irritare non potest, utpote ex natura sua indissolubile. — Idem valet de impotentia *antecedenti temporali*, seu *sterilitate*, quia haec non reddit copulam perpetue infecundam, sed tantum aliquo tempore et quidem per accidens, et ad essentiam contractus matrimonialis sufficit ut consummatio matrimonii sit possibilis tempore contractus vel *lapsu temporis*.

231. *C.* In *dubio* de impotentia *antecedenti et perpetua*, quod oritur *post* initas nuptias, iuxta ius canonicum, permittitur coniugibus experientia trium annorum, ad experiendam copulam, etiamsi semen saepe aut semper extra vas per accidens effundatur, quod triennium computatur a copula intentata. Si vero post triennium dubium persistat, iudicandum est validum matrimonium, iuxta principium: « In dubio standum est pro valore actus ».

Attamen haec concessio iuris in desuetudinem abiit, ut constat ex praxi S. C. Concilii; ac proinde, cum post conatus copulae per aliquod tempus, cognoscitur impossibilem esse consummationem, pe-

tenda est dispensatio a R. P. super matrimonium ratum et non consummatum propter impotentiam aut alias causas.

232. *D.* In *dubio* de impotentia *consequenti,* licet pariter coniugibus copulam experiri usquedum certi sint nullo modo unquam eam perficere posse (Gury, *op. cit.* 856).

233. *E.* In *dubio fundato* seu *rationali* de impotentia perpetua, quod oritur *ante* matrimonium, non licet contrahere ob rationes supra expositas (n. 176).

CAPUT V.

DE NONNULLIS CASIBUS IMPOTENTIAE ET STERILITATIS VIRI ET MULIERIS

De impotentia viri

234. Ne in viro sit *impotentia,* seu ut sit potens ad generandum, binae conditiones necessario requiruntur, scilicet 1° *desiderium sexuale* seu *copulae*, quod semper adest cum cerebrum statu physiologico gaudet; 2° *membri erectio*, quae pendet a statu physiologico cerebri, medullae et totius apparatus genitalis, nec non a simultanea actione systematis nervei et circulationis; quae conditiones si non desunt, copula regulari modo peragitur cum penetratione et iaculatione in vaginam et relativa voluptate. Coitus ergo physiologicus et fecundus in viro essentialiter requirit desiderium sexuale, erectionem membri, eiusdem penetrationem in vaginam et iaculationem in eadem, persistente erectione. Cum una vel plures ex his conditionibus desunt, habetur impotentia, quae potest esse absoluta vel relativa. Defectus vero vel absentia desiderii sexualis potest provenire ex pluribus causis, quas inferius notabimus; item defectus vel absentia erectionis potest oriri ex actione inhibente cerebri (I, 167), ex causis moralibus, vel statu quodam particulari corporis; quibus fit ut erectio debilis et insufficiens sit vel omnino impossibilis. Inspectis igitur huiusmodi causis, impotentia viri potest haberi: 1° *ob absentiam desiderii sexualis,* quam impotentiam vocant medici *anaphrodisiam* vel *impotentiam psychicam*, quia causis mentalibus seu psychicis producitur; 2° *ob absentiam erectionis et introductionis in vagi-*

nam et 3° *ob absentiam iaculationis.* — His positis, recensemus casus potiores, quae frequentius in praxi occurrere possunt [1].

235. *De impotentia psychica seu anaphrodisia.* — Haec impotentia habetur cum causae variae morales seu psychicae minuunt vel omnino tollunt desiderium copulae, erectionem et iaculationem seminis.

Haec impotentia contingit in viris, qui organa genitalia perfecte sana habent vel nonnisi leves anomalias in eis prae se ferunt; causa semper invenitur in cerebro, quod actionem inhibentem transmittit ad centra sexualia, qua inhibitione, veluti quadam paralysi, afficiuntur centra ipsa et nervi, qui ad erectionem praesident (I, 173 et 192).

Haec impotentia frequens est et non pauci casus apud ecclesiaticas curias occurrunt.

236. Characteres *constantes* huiusmodi impotentiae non habentur, si excipias factum ipsum debilitationis vel impotentiae sexualis. In nonnullis enim, praesertim qui castam vitam semper duxerunt, contracto matrimonio, primis vicibus tanta potest esse animi trepidatio et excitatio, quod membrum non erigitur vel etiam partialiter erectum potest retrahi et iaculatio, in erectione partiali, potest guttatim fieri; quo accidit ut hi viri angustiati, timidi fiant et continua agitatione animi vexentur ob praesumptam impotentiam; alii vero, natura timidi, ab usu matrimonii se abstinent, putantes membrum non esse bene evolutum, testes physiologica functione non perfecte gaudere et hac idea et mentis praeoccupatione adeo vexantur, ut vere inhabiles ad coitum evadant; alii sunt, qui causa invisendi futuras uxores, ob praesentiam et tactus puellae, graves patiuntur erectiones cum quadam voluptate et distillatione, quam putantes esse semen, suasionem sibi inducunt debere esse inhabiles ad copulam, ad quam revera, ob hanc causam, impotentes postea evadunt; item fit ut, cum sponsalium tempus nimis diu protrahatur, erectiones incipiant minuere et vir putet potentiam amisisse; quo tempore nonnulli pergunt caste vivere, alii vero publicas mulieres adeunt (aliquando consilio et hortatu medici, ad quem recurrunt) ad experiendam eorum capacitatem; at, etsi cum his mulieribus potentes se cognoscant, tamen, contracto matrimonio, cogitatio insufficientis capacitatis

---

[1] Omnes seq. casus perutiles esse possunt praesertim Curiis ecclesiasticis in instituendis iudiciis de impotentia, inconsummatione etc.

statim eorum mente potitur et re nequeunt postea copulari, ob defectum erectionis; quo statu adeo afflictione et agitatione vexantur, quod numquam valeant copulam exercere.

237. Haec impotentia psychica praesertim notatur etiam apud viros, qui valde studiis incumbunt, quae eorum attentionem et mentem omnino tenent, quales sunt ex. gr. mathematici, advocati, architecti, philosophi etc., qui in usu matrimonii carent erectione, aut, si eam habent, aliqua quaestio studii, quae in eorum mentem venit tempore copulae, statim aufert erectionem ob rationem inhibentem cerebri. Praeterea notum est, ut coitus fieri possit, necessarias esse etiam nonnullas externas circumstantias et conditiones, quae actum ipsum favent; quare si hae deficiant, et erectio insufficiens est aut omnino deest. Ita incapacitate seu impotentia corripitur copulans ob pravos odores mulieris, ob levia eius incommoda in genitalibus, ob nimis grandem vaginam aut ab ea emissiones fluxus mucosi, ob lacerationes, ob nimiam pinguedinem, aut ob necessitatem cito peragendi coitum, ob timorem ne quis videat, ob sonus et voces, quae audiri possunt, ob timorem contrahendi aliquam luem et alias similes causas, quae efficiunt ut coitus omnino impediatur; dein accedit quod aliquando etiam timor ne altera pars prodat fidelitatem, et repugnantia cum nonnullis mulieribus determinat impossibilitatem copulae; insuper amissio uxoris valde dilectae potest afferre aversionem ab altera uxore, saltem aliquo tempore. Omnes hi effectus procedunt ab inhibitione cerebri in centrum erectionis. Aliquando etiam fit ut nonnisi statu irae possit quis copulari, vel, si uxor frigida sit et nullo modo ad copulam feratur, status huiusmodi mulieris afferat deficientiam erectionis in viro ob anaphrodisiam sequentem. Anaphrodisiae referuntur plures casus, qui a canonistis et theologis nomine *frigiditatis* dicuntur.

238. *Anaphrodisia* potest esse: *a*) *naturalis* vel *b*) *acquisita*.

239. Anaphrodisia *naturalis*, etsi valde rara, minime rarissima dicenda est; huiusmodi viri fere lapidei dicerentur coram femina; omnes enim illae causae, quae omnes ad procreationem vel ad voluptatem tam vehementer movent, hosce minime excitant; ante mulieres quascumque nulla sexuali sensatione afficiuntur; si aliqua ratione matrimonium ineunt, ad illud consummandum sunt omnino inhabiles, quocumque artificio adhibito, etiam medico; membrum enim aut erectione caret, aut erectum statim deficit, quin mulieris vas

penetrare possint. Hic comprehenduntur plures casus, quos theologi nomine *frigiditatis* vocant et illi plures, quos *maleficio* ipsi tribuunt [1].

240. In casu huiusmodi anaphrodisiae facile intelligitur quot

---

[1] Quod aliquando daemon possit operari impotentiam certum esse videtur, cum explicite de hoc loquantur canonistae, theologi et ipsi quoque Rom. Pontifices. Tamen in praxi sat difficile est discernere utrum singuli casus impotentiae, uti ex maleficio habiti, sint vere ut tales existimandi; nam nihil est in homine, quod tam nulli regulae subiacet, quam organa genitalia. Omnes enim norunt, quod aliquando fere absque causa excitantur et aliquando ex causa sufficienti excitatio non producitur; aliquando visus, cogitatio, tactus etiam non turpis excitationem vehementem provocant, aliquando vero minime; interdum etiam fit ut qui erectionem cupit, etsi per phantasiam revocet obiecta turpia, nonnisi parvam et insufficientem ad copulam excitationem patiatur; variae diei horae, status hominis physicus et moralis, ratio cibi vel potus, usus vel abusus carnales, familiaritas cum mulieribus, multum influunt in excitationem sexualem; idem agunt vinum generosum, piper, drogae, victus continuatus piscis, crustaceorum, sinapis etc. Insuper nonnulli odores, ex. gr. muci vaginalis, castoris, moschi, natura temperamenti et status optimus valetudinis nimis adiuvant excitationem. Qui vero diu in voluptatibus carnis se volutavit, erectiones, propter debilitationem sequutam, satis parvas experitur. Brevi: excitatio ad venerea non pendet a voluntate, sed a statu physico centrorum nervorum genitalium et etiam ab eorum statu morboso vel a systemate centrali (h. e. spinali vel encephalico) pariter morboso, quae organa genitalia reflexe excitant; qua re excitatio ad copulam potest perfecte obtineri a causa, quae per se nullo modo, in statu physiologico, ad venerea alliceret, et nullo modo sufficienti a causa per se apta. Ex his phaenomenis, nonnulla certe pendent a morbo quodam nervorum et repraesentant unum ex extremis pathologicis instinctus sexualis; interea, inter illum, qui facile excitatur ad copulam modo physiologico, et illum, qui, modo anormali et per se incapaci ad eam, excitatur, possunt multae intercedere gradationes. Immo sufficit ut quis fidem praestet maleficiis per actionem diaboli et fere certe impotentia in usu matrimonii corripietur, causa inhibitionis ex parte cerebri; idem locum habet, si simpliciter quis timeat diabolum sibi impediturum copulam, ob eamdem rationem physiologicam; idem etiam notatur accidere iis, qui timidi de bono exitu, difficilem erectionem aut subitam eius deficientiam patiuntur et quando uxores de huiusmodi inhabilitate eos redarguunt ac derident; quae omnia nonnisi impotentiam augent ob inhibitionem cerebri ex causa morali seu ob timorem insufficientis potentiae. Quid ergo mirum si vir et mulier, copulam avidissime desiderantes, cum velint incipere, videant eorum organa rigescere ob aliquam ex supradictis et aliis similibus causis et copulam fieri impossibilem? Dein constat in nonnullis maximam excitationem ad venerea, quae per coitum habetur, exhaurire, saltem temporanee, vim nerveam centrorum nervosorum; qua re tunc reliquum virium non sufficit ad copulam, et, ob quamdam reactionem, sequitur rigiditas genitalium; huc probabiliter revocandos censemus plures casus frigiditatis. Certo multae causae agunt in erectionem genitalium ad copulam in utroque sexu, et difficillimum est et multa cautela adhibenda in praxi ad statuendum utrum impotentia sit ex natura coniugum, an ex maleficio. Homo numquam potest esse dominus suorum organorum genitalium, quorum vis excitationis pendet ex plexu nervoso illa organa innervante, quorum centra multis causis, etiam non voluntariis, excitari possunt; qua re optime fieri potest ut multi casus, ut ex maleficio habiti, non sint nisi consectaria naturae physicae et physiologicae personae, de qua agitur.

molestiae, lites, incommoda oriantur ex parte utriusque coniugis, mulieris praesertim. Si vero vir sat callidus est et matrimonium praecipue ob pinguem dotem vel ob convenientiam familiae, ob honores etc. contractum fuit, vir ordinarie incapacitatem copulae debilitati sui membri tribuit ac resistentiae hymenis (I, 199); ac proinde mulierem hortatur ut hymenem ipsa sibi frangat aut patiatur quod ipse perrumpat [1].

241. Anaphrodisia vero *acquisita* oriri potest ex pluribus causis et plus minus perdurare; considerari potest velut syncopes quaedam temporanea centri genitalis. Potissimae causae huius defectus, qui tam graviter coniuges perterret eorumque vitam ad tempus afflictione incredibili afficit, sunt *a*) *vitia vitae anteactae, b*) *agitationes vehementes corporis et spiritus, c*) *nonnulla medicamenta diu adhibita.*

a) *Vitia*, quae anaphrodisiam producunt, sunt praesertim mansturbatio, sodomia et modo speciali paederastia [2]. Omnes hae

---

[1] In hoc casu, qui non raro praesertim apud divites accidit, numquam debet consiliari rupturam arte hymenis, quia, cum matrimonia ob discordias, lites, animi angustias et plura incommoda sequentia, sint nimis infausta, necesse est petere dispensationem a R. P. super matrimonium non consummatum, et si fiat ruptura hymenis manu aut quovis alio medio, multo difficilior evadit canonica probatio inconsummationis ac ideo dispensatio.

[2] Quod mansturbatio, sodomia et paederastia modo speciali conferant ad inducendam anaphrodisiam, vix credibile videretur, nisi annales medici quamplurima exempla authentica collegissent, causa ea noscendi ac curandi, ex quibus apparet in huiusmodi viris omnino extinctum esse desiderium naturale alterius sexus ob pravos praedictos habitus. Quod quidem etiam notatur apud illos, qui nonnisi mediis aliis ac illis, quae ceteros ad copulam movent, ad coitum excitantur, qualia, ex. gr., sunt aspectus vel tactus linteolorum et cuiuslibet alius obiecti, pertinentis ad feminas vel ab his gestati. Hoc locum habet, cum a prima aetate coram praedictis obiectis primos sexuales motus cum voluptate experti sunt, ac dein, cum voluerint eadem voluptate frui, in iisdem conditionibus se ponebant, ad quas habendas parati postea sunt etiam furta committere, dedecoris notam pati et plura huius generis, quae ceteros certe a similibus actibus removent. Immo apud nonnullos emissio seminis haberi non potest, nisi cogitando praefata obiecta vel ea in manibus habendo vel aliter turpiter iis utendo. Cum semel in eorum cerebro statuta sit haec relatio inter obiecta feminarum et erectionem cum iaculatione, *nullum* aliud medium potest eumdem effectum gignere; hac ratione anaphrodisia seu frigiditate corripiuntur coram mulieribus in genere et uxore in specie, si matrimonium ineunt. Idem locum habet apud illos plures, qui coitum, ut ita dicam, *mentalem* agunt, scilicet cum velint erectionem et iaculationem habere, oculis fixe intuentur aliquam speciosam mulierem, et imaginationi et phantasiae sibi repraesentant eiusdem feminae loca turpiora, quae lubricissima phantasia revocare ac imaginari potest, donec finem volitum perfecte assequuntur. Huiusmodi viri videntur etiam societates inter se constituere, et, ob specialia signa, inter ceteros se se cogno-

passiones pervertunt modum sentiendi spiritus quoad sexualem appetitum, ac mentem replent imaginibus tantum huiusmodi generis; quo fit, ut coitus cogitatio ac mulieris praesentia minime hosce viros excitent; sensus naturalis appetentiae sexualis omnino in eis deficit, cum vitia praefata continuo eorum mentem teneant. Adde insuper, quod haec vitia timiditatem, indifferentiam ac a mulieribus aversionem secum ferunt, quarum absentia omnino necessaria est ut copula rite peragatur.

b) Quum *gravis aliqua cogitatio* diu spiritum tenet, aut quaecumque alia vehemens praeoccupatio mentem ac imaginationem occupat, saepissime impossibilitas copulae sequitur; immo aliquando hae causae coitum perpetuo impediunt, ut supra diximus [1]. Aliquando etiam fit ut imaginatio nimis exaltata, in actu copulae, impotentiam adducat, vel quia rei veritas minime phantasiae excitatae respondet, vel quia multae illusiones animum aggrediuntur; quod quidem momentaneam plerumque anaphrodisiam afferre valet; aliquando vero passiones odii, invidiae, fortis amoris, aversionis etc. eumdem effectum adducunt; item percussiones, verbera, lites, discordiae, vulnera et tot huiusmodi possunt esse causa syncopis genitalis. Exempla talis anaphrodisiae abundant. Ut possit haberi regularis et normalis copula hisce in adiunctis, omnino necessarium est mentem et spiritum aliunde divertere, itinera ineundo, honestas conversationes frequentando etc. Hic casus frequens est iis, qui brevi tempore coniuncti sunt matrimonio.

c) *Usus continuatus nonnullorum medicamentorum*, sicut hydrargirium, iodium, aurum, atrophiam testiculorum ac anaphrodisiam

---

scere. Coram muliere anaphrodisia laborant, quia veritas copulae realis non gignit in eis desiderium sexuale, necessarium ad rite copulandum. Effectus physici et psychici, quibus hi viri corripiuntur, sunt iidem, quos supra retulimus de mansturbatione (I, 588 et ss.). Aliquando haec omnia notantur in iis, qui particularibus morbis nervorum afficiuntur, praesertim si haereditate a parentibus acceperunt. Anaphrodisia etiam corripiuntur saepe, qui libidinem satisfaciunt per obiecta mechanica (I. 621 et ss.).

[1] Nota est historia cuiusdam viri, ad societatem publica extinguendi incendia pertinentis, qui singulis noctibus adeo tenebatur cogitatione debere ad aliquod incendium illico accurrere, ut non amplius nocte potuerit copulam tentare ob absentiam desiderii sexualis ac ideo erectionis; item alius vir, qui semper cum muliere, cui deerant crura, coitum egerat, numquam potuit cum sana copulari, et alius, qui semper cum vestita muliere copulam habuerat, cum uxore nonnisi vestita copulam agere poterat. (Cfr. Taylor W. R., *Patolog. e cura della funzione sessuale nell'uomo e nella donna*, Torino 1902, vol. I, pag. 84-85.

saepe ferunt. Hoc invenitur frequenter in syphilide affectis, in phthysicis cum iodio curatis, in opificibus aurantibus vel specula conficientibus etc. [1].

242. *Impotentia* potest haberi etiam ex anomaliis, quae aliquando prae se fert *organum copulae,* quarum potiores sunt absentia penis, hypospadia et epispadia, et differentes magnitudines membri.

243. In casu *absentiae perfectae* membri habetur impotentia ad coitum et fecundationem; cum vero penis non omnino absit, sed habetur tantum penis minusculus (circ. 2 centim.), potest haberi, etsi imperfecte, copula cum emissione seminis in vaginam et fecundatione, sicut nonnulla exempla testantur [2]. Quando demum agitur de peni exili, scilicet valde subtili instar calami ad scribendum, coitus fecundans potest exerceri; aliquando vero coitus exercetur absque iaculatione [3], quod constituit impotentiam. De hypospadia iam diximus quando fecundatio possibilis evadit (I, 286). Quoad epispadiam recole dicta vol. I, 285.

244. Aliquando, etsi raro, notatur membrum coniungi cum scroto, scilicet pellis membri connectitur perfecte cum pelle scroti; in hoc casu erectio est valde imperfecta et coitus impossibilis.

245. Si vero membrum retinet *magnitudinem* vel *longitudinem* nimis exaggeratam (30 et amplius centim.), coitus evadit plus minus difficilis et dolorosus pro utraque parte et possunt plura et gravia incommoda oriri utrique coniugi et potest esse causa impotentiae relativae; si agitur de elephantiasi penis, quae potest coniungi etiam cum elephantiasi scroti vel duplici hydrocele, coitus impossibilis evadit (I, 291 et 295).

246. Aliquando fieri potest ut impossibilis evadat coitus ob absentiam erectionis et penetrationis, *causa nimiae magnitudinis,* quam assumunt *venae dorsales* membri, vel ob plures morbos, qui illud afficiunt graviter, quales ex. gr. cancer, ulcera syphilitica, gangraena penis, destructio eius pellis ob syphilidem etc.

247. Cum agitur de *tortuositate, curvatione* ac *flexione membri,* per se, est possibilis coitus et fecundatio. At inspiciendi sunt singuli casus, qui possunt prae se ferre impotentiam relativam.

---

[1] Garnier P., *Impuissance,* pag. 278 et ss.; Hammond, *L'imp. sess.* etc., Roma 1898, pag. 6 et ss.; Vigouroux dr. H., *Traité compl. de médec.,* Paris, vol. IV, p. 324; Roubaud, *Traité de l'impuis. et de la stérilité,* Paris 1876, pag. 112 et ss. et p. 352 et ss.

[2] Hammond, *Op. cit.,* pag. 204-205.

[3] Idem, ibid., p. 206; Roubaud, *Op. cit.,* p. 93.

248. *Impotentia* potest haberi etiam *ex anomaliis testiculorum*, quarum praecipuae sunt:

Atrophia testiculorum, quae affert impossibilitatem perpetuam fecundandi (I, 289). Atrophia testium saepe est consectarium inflammationis testiculorum ipsorum (orchites), quam aliquando secum fert inflammatio glandularum salivae (vulgo et italice *orecchioni*), quae sunt prope aures (parotides) (I, 38); vulnera et pressiones testium possunt ducere eorum atrophiam; item vulnera et morbi cerebri, cerebelli et medullae spinalis aliquando atrophiam inducunt; idem gignit syphilis tertiaria [1] et tubercolosis testiculorum [2]. Alii etiam morbi testium et eorum involucrorum possunt afferre impotentiam.

Anorchidia seu absentia utriusque testiculi, eumdem effectum affert ad fecundationem sicut in atrophia (I, 287). In utroque casu agitur de impotentia absoluta.

Dein plures alii morbi apparatus generationis, tum externi tum interni, possunt esse causa impotentiae absolutae vel relativae, temporaneae vel perpetuae [3].

249. *Nevrasthenia genitalis.* Aliquando fit ut, ob abusum copulae extra matrimonium aut mansturbationis aut sodomiae activae aut bestialitatis, sensibilitas penis, h. e. glandis (I, 192), adeo paullatim decreverit, ut in copula erectio nullo modo sit sufficiens ad penetrandum, multo minus vero ad iaculandum. Et hoc sat probabiliter provenit ex lesione istologica aut anatomica medullae spinalis, qua necessario afficiuntur etiam nervi penim innervantes; quod quidem reddit impossibilem coitum, et, ob absentiam iaculationis, etiam fecundationem. Hic status nevrastheniae potest afficere tantum apparatum genitalem vel integrum organismum.

250. *Nimia caliditas.* Hanc, de qua theologi loquuntur et trium annorum experientiam expostulant, non censeo *semper* esse causam impotentiae. Superflua caliditas consistit in maxima sensibilitate glandis seu in eius *hyperestesia*, qua quaelibet excitatio sufficit ad emissionem seminis inducendam et iaculatio fiat ante penetrationem in vaginam. Notandum est, hunc statum ortum ducere ex praecedenti abusu voluptatis carnalis et praesertim ex usu onanismi, et adeo

---

1 Roubeaud, *Op. cit.*, p. 515.

2 Idem, ibid., p. 566.

3 Cfr. Taylor, *Op. cit.*, p. 87 et ss.; Roubeaud, *Op. et loc. cit.*

potest esse sensibilis glans, quod etiam simplex cogitatio copulae illico erectionem et iaculationem ferat. Hic defectus potest removeri cura medica apta et abstinendo per plures menses a coitu. Insuper aliquo studio poterit fieri ut iaculatio super vulvam fiat aut in ore vaginae, ut generatio sequatur. Certo, si nullo modo post aliquod tempus, omni adhibita cura medica et studio ad copulam peragendam meliori modo quo potest fieri, hyperestesia remanet, matrimonii nullitas petenda est ob impotentiam saltem relativam, quae est causa inconsummationis.

251. Quod si, in praecedenti casu, semine supra vulvam vel prope ostium vaginae emisso, nonnulla nemaspermata ingrediuntur ostium hymenis et vaginam, et fecundationem adducunt, nonnulli DD. putant adhuc agi de impotentia, quia proles ita nata non potest dici habitam per copulam matrimonialem [1]; alii DD. vero et praesertim Sanchez [2] et veteres tuentur tunc agi non posse de impotentia et matrimonium esse vere consummatum, etsi absque penetratione, quia tota ratio consummationis est receptio seminis et carnis commixtio est omnino impertinens, cum ea receptio seminis sit satis ad generationem, supposita aptitudine feminae ad prolem, et per eam coniuges fiant una caro. Prima sententia tenet copulam esse elementum essentiale, necessarium ad consummationem; at, ut supra diximus, copula est tantum *medium ordinarium* ad consummationem, nec in ea consistere potest ratio consummationis; ratio enim consummationis est tota in generatione, ut iam vidimus, et quae habetur per receptionem seminis fecundantis ovulum et per quam coniuges fiunt re una caro; modus vero huius receptionis, ut in casu, est res omnino *extrinseca* in consummatione, nec debet medium accipi pro eius fine. Sanchez clare tradit hanc doctrinam, dicens: « Conveniunt (DD.) consummari (matrim.) quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale, absque illius penetratione, quia ea copula sufficiens est generationi per eamque sponsi una caro efficiuntur. Et hoc verum est, quamvis daemonis ministerio semen virile in vase debito recipiatur »; et « Etiam absque corporum coniunctione, virili semine recepto intra vas, consummatur matrimonium, *iuxta omnes;* ergo tota consummationis ratio est seminis receptio, et carnium commixtio est omnino impertinens » [3].

---

[1] Gasparri, *Op. cit.*, n. 576.

[2] Sanchez, *Op. cit.*, l. 2, d. 21, n. 2.

[3] Idem, ibid., n. 5.

252. Idem, ex: gr. docet Tamburini; quaerit enim: « An oriatur affinitas, si semen emittatur extra vas, sed illud sibi matrix attrahat, vel si tandem aliqua arte, etiam ope daemonis, intra vas mulieris intromittatur ». Resp.: « Negat Pontius...; affirmat cum *communi* Sanchez, l. 7, d. 65, n. 15, *et merito, iam enim sic adest verissima seminum commixtio* » [1].

253. Eamdem quaestionem sibi proponit ac resolvit classicus Perez, dicendo: « Verisimilius videtur, quod est magis commune apud DD. ad affinitatem contrahendam sufficere praedicta commixtio (scil. seminum) absque copula intra vas, si virile semen quacumque arte vel daemonis ministerio intra vas feminae immittatur. Ita cum multis Sanchez, l. 7, d. 64, n. 15. Ratio est, quia id ad prolis generationem sufficiens est; nam praedicta commixtio, quomodocumque fiat, quamvis absque copula intra vas, sufficit ut sic commixti fiant una caro et unus sanguis, unus videlicet filius in principio et in semine. Contrarium tenet Basilius, Ponce, quia illi non sunt facti una caro, nec sibi adhaeserunt, et alias possent saepe dubitare homines an semen a se decisum, raptum a daemone, alibi delatum esset. Verum hoc est omnino per accidens, quia si semen decisum immittatur quacumque vi in matricem feminae, sive violetur claustrum ipsius virginale, sive non, id sufficiet, *primo* ad seminum commixtionem; *secundo* ut dictus vir et femina fiant una caro; *tertio* ad generationem prolis; *quarto* denique ut proles, inde nata, dicatur filius eius viri et feminae; ergo illud sufficiens erit quoque ad inducendam affinitatem » [2].

254. Haec sententia videtur omnino tenenda; nam ratio consummationis sita est tantum in generatione, uti diximus; ad hanc vero habendam omnino indifferens est, ut semen immittatur in vaginam per penetrationem ordinariam, vel semen, emissum super genitalia externa mulieris, ex sua natura, ingrediatur vas femineum et fecundationem operetur; in utroque casu nil deest ad perfectam consummationem; huiusmodi copula potest recte considerari ut copula *inchoata*, quae proinde vere matrimonialis censenda est. Ceterum nonne absurdum esset, dicere aliquem esse impotentem seu ineptum ad generationem, cum contra eum existat argumentum facti eius capacitatis, scilicet proles iam nata vel nascitura?

---

1 Tamburini, *Op. cit.*, l. 7, *De Matr.*, tr. 1, c. 12, § IV, n. 5.

2 Perez, *De Matrim.*, d. 31, sect. I, n. 4.

255. Haec resolutio tamen, ex nostra sententia, valet tantum in casu, quo proles sequitur praedictam emissionem seminis. Quod si vero vir emittat semen super vulvam et non sequatur generatio, non inde censendam putamus consummationem, quia, etsi in tali emissione, sit *possibile* ut nonnulla nemaspermata ingrediantur vaginam, nullum tamen indicium certum huius ingressus habere possumus in singulis vicibus, cum possint nemaspermata etiam non ingredi, quacumque ex causa; signum certum ingressus habemus tantum in fecundatione; quae si abest, iudicari oportet de non facta consummatione, et tunc agi de casu, in quo semen extra effunditur, quod non consummat matrimonium. In tali casu, cum per huiusmodi emissionem, fecundatio raro occurrat, non debet praesumi consummatio, nisi certo constet; quae scientia haberi nequit, uti diximus, nisi per fecundationem factam.

256. Occasione primi casus, in quo habetur fecundatio, patet ex ea consummatione oriri etiam affinitatem. Nam cum affinitas oriatur etiam per copulam habitam cum femina dormiente, ebria, insana et etiam prorsus invita (et hic casus constat ex *c. 6, De eo, qui cognovit*), « quia, ut docet Sanchez cum communi, ea copula satis est ad generationem » [1]; ita semen emissum in praedictis casibus super genitalia mulieris in praefatis conditionibus, quod in vaginam penetraverit et fecundationem adduxerit, eo modo, quo consummat matrimonium, erit et causa affinitatis, quia coniuges effecti sunt una caro per copulam inchoatam.

257. Sibi contradicere videtur Sanchez, cum agens quaestionem an validum sit matrimonium, quando vir nequit seminare intra vas, sed casu matrix attrahat semen, haec habet: « Quod si revera femina ita arcta sit, aut *vir ita debilis aut calidus,* ut non possit cum femina hac coire, ut semen intra vas emittat, sed foras fundit, in quo casu, quando hoc iudicatur perpetuum et immedicabile impedimentum, diximus matrimonium esse nullum, mihi persuadeo (quamvis in nullo auctore invenerim) adhuc esse vere irritum ac proinde non consummari, *licet arte aliqua absque viri penetratione sit receptum semen intra vas, aut per matricis attractionem;* quia valor matrimonii non potest pendere ex casu raro et fortuito » [2]. Nam,

---

[1] Sanchez, *Op. cit.*, l. 7, d. 99, n. 37.
[2] Idem, ibid., l. 7, d. 99, n. 37.

si consummatur matrimonium, *iuxta omnes*, per receptionem seminis quacumque arte, absque corporum coniunctione, quae est omnino impertinens ad rationem consummationis; si affinitas inducitur absque penetratione vasis, sed tantum per receptionem seminis, ex omnium DD. mente, ut ait Sanchez [1], etiam a matrice attracti, immo etiam per semen immissum ope daemonis in vas feminae [2], quia id sufficit ad generationem, ut ipse A. docet, qua ratione non est dicendum consummatum ac validum matrimonium, si semen viri incapacis ad penetrandum attraxerit matrix, seu ex propria natura vaginam ingressum fuerit et fecundationem adduxerit, ut supponimus, cum per hanc tantum noscere possimus attractionem seminis? Ratio, qua valor matrimonii non potest pendere a casu raro et fortuito, non videtur valere; nam valor matrimonii pendet tantum a suis essentialibus constituentibus seu a possibilitate consummationis; quod vero modus actualis consummationis sit rarus et fortuitus vel communis non potest mutare naturam consummationis, quae tota est in generatione; at hic generatio habita est ac ideo consummatio: coniuges ergo iam facti sunt una caro; quapropter matrimonium censendum est validum. Nec huic solutioni obstat auctorum doctrina, qua traditur matrimonium consummari, affinitatem induci etc. *per copulam* aptam generationi etc., quia hi Aa. per copulam intelligunt medium *ordinarium* seu penetrationem, qua provideri possit generationi, minime vero intelligunt cetera media, quae pariter generationem inducunt; nam omnes Aa. docent, teste Sanchez, affinitatem oriri, consummari matrimonium quacumque arte etc. ut supra, semen penetret vas feminae, absque corporum coniunctione, quia id sufficit ad generationem, per copulam scilicet inchoatam.

258. Notetur vero hos casus, quos hic explanavimus, non esse mere theoricos, sed posse in praxi occurrere, cum, ex. gr., vir laboret hyperestesia glandis, qua semen emittit ante penetrationem, vel parvo membro praeditus in conatu copulae super vulvam iaculetur semen, vel pluribus aliis defectibus laboret ita, ut semen eodem modo emittat et nemaspermata vaginam ingrediantur, quae fecundationem inducant. In omnibus his casibus, si accedit praegnatio, agi de impotentia non potest, cum iam partes una caro effectae sint.

---

[1] Sanchez, *Op. cit.*, l. 7, d. 99, n. 8.
[2] Idem, ibid., n. 15.

De impotentia mulieris

259. Impotentia in muliere habetur, cum per se (scilicet spectata aptitudine ad generandum iuxta naturam organorum necessariorum ad generationem) et in perpetuum non potest generare, etsi possit coire et quidem cum voluptate. Ut physiologia docemur, ne mulier sit impotens, necessario debet habere aptitudinem recipiendi semen vel membrum virile in vaginam (saltem ordinarie), retinendi aliquid seminis ibi emissi, etsi in minima quantitate, habeat uterum physiologice evolutum, saltem unum ovarium sanum et ductus phallopianos pervios; omnia haec reddunt *possibilem* generationem et constituunt mulieris aptitudinem ad generandum. Quod vero mulier debeat in se experiri desiderium copulae, ut contingit in viro, vel voluptatem ex ea consequentem, ad fecundationem nullo modo est necessarium, cum nimia sint exempla mulierum, quae perfecte conceperunt in conditionibus physicis et moralibus magis differentibus, in quibus tum desiderium tum voluptas omnino deficiebant (I, 213). Impotentia igitur potest oriri ex anormali conformatione organorum generationis tum externorum tum internorum, vel ex eorum absentia vel atrophia. Ceterum indicium certum aptitudinis ad fecundationem in muliere habetur ex praesentia menstruorum, cum menstrua perfecte respondeant ovulationi, etsi absentia menstrui non possit *semper* esse indicium certum incapacitatis ad fecundationem, quia plura exempla contrarium ostendunt (I, 203 et 210). Demum recordamur virilem iaculationem in vaginam, etsi ordinarius et naturalis sit modus fecundandi, non esse tamen necessariam ad fecundationem producendam (I, 213, 3°) et sufficere, ad hanc, iaculationem in vulva, et nemaspermata, ob motum sibi proprium, posse in interiora organa permeare usque ad fecundandum ovulum; quare eo c'arius apparet copulam physiologice esse tantum *medium*, a natura ordinatum ad habendam prolem, quae est *finis* et copulae et seminis et uteri et ovulorum.

His praemissis casus certos praecipuos et maximi momenti impotentiae mulieris hic recensemus.

260. *Absentia vulvae.* — Etsi rarus sit hic casus, in quo mulieri desunt magna et parva labia, clytoris et ostium, tamen noscuntur nonnulli casus certi; in his diceretur pellem ventris continuare loco

vulvae, esse levem, ordinarie absque pilis, aut sat raris. Cum hac anomalia constitutionis ordinarie coniunguntur anomaliae vel absentia omnium organorum internorum; potest vero adesse interne vestigium vaginae superius clausae, uterus omnino solidus, impervius; cum deest etiam uretra, urina emittitur per umbelicum vel per anum, cum vesicula tunc communicet cum recto intestino; aliquando vero, ut fuit casus doctoris Legrand du Saulle (1876), uretra potest aperiri inter magna labia, quae tunc sunt tantum signa feminei sexus; ubera vel desunt vel sunt parum evoluta. Ars chirurgica nullius auxilii in hisce casibus esse potest [1].

261. *Hypertrophia labiorum.* — Aliquando labia adeo possunt volumine augeri, ut reddant coitum valde difficilem vel etiam *impossibilem.* Haec anomalia satis frequens est apud mulieres Persas, Turcas et Africae meridionalis; volumen enim, quod acquirunt, potest valde protuberare, velut maximus tumor. Idem obstaculum ad copulam constituit *elephantiasis* magnorum labiorum, communis apud mulieres sinenses et australianas, quae est maximum augmentum horum organorum, quae pervenire possunt usque ad genua. Anatomice inspectis his anomaliis, elephantiasis differt ab hypertrophia, cum non sit nisi inflammatio canalium lymphaticorum, coniuncta cum augmento texti connectentis (I, 9) et cum eius progressus clinicus alius omnino sit [2].

Etiam *coniunctio* utriusque labii potest esse causa *impotentiae*, saltem *relativae.*

262. Aliquando *hymen* (I, 199) adeo potest esse consistens, crassus et durus, ut nullo modo possit permittere copulam, quod potest esse causa *impotentiae relativae.* Quae crassities potest esse congenita seu a natura vel induci progrediente aetate. Potest tamen facile et absque omni periculo a chirurgo removeri. Cum vero hymen sit perforatus, possibilis est fecundatio.

In casu *imperforationis* mulieris, cum scilicet transverse in vagina exsistunt membranae, quae reddunt difficilem vel omnino impediunt congressum et menstrua, videndum est an praedictae mem-

---

[1] Debierre, *Les vices de conformation des organ. genit. et urin. de la femme* Paris, 1892, p. 304; Garnier P. *Impuissance physique et morale chez l'homme et la femme.* Paris 2, edit. p. 389 et ss.

[2] Garnier, *Op. cit.*, pag. 399 et ss.; Debierre, *Op. cit.* pag. 321 et ss.; Taylor, *Op. cit.* pag. 336.

branae sint perforatae, quo in casu potest fieri fecundatio, ut exempla docent, an omnes aut earum nonnullae tantum sint imperforatae; in his casibus fecundatio est impossibilis, cum non sit possibilis transitus nemaspermatum. Vix addere oportet penetrationem eo magis fieri posse, quo magis membranae iacent prope collum uteri.

263. *Absentia vaginae.* — Haec anomalia (I, 296) non infrequenter occurrit et cum desit canalis copulae haec est impossibilis. Multa facta medica certa noscuntur de hac absentia. Saepe absentia huius organi coniungitur cum absentia uteri, vel uterus potest esse parvus, durus solidus, absque cavitate; aliquando ordinariam evolutionem consequitur et ovaria possunt esse ordinariae magnitudinis et bene evoluta: at menstrua desunt; raro, tempore ovulationis, accedunt periodice dolores etiam cum haemorhagia supplementari ex oculis, pelle vel e pulmonibus. Aliquando in hoc statu vulva abest; plerumque tamen est perfecte evoluta cum reliquis organis externis. Aliquando absentia vaginae non est totalis et potest abesse eius pars superior vel inferior. Absentia vaginae potest secum ferre absentiam etiam ovariorum. Si abest vagina et cetera interna organa evoluta adsunt, mulier experitur sexualia desideria et carnis voluptates, iisque quocumque modo frui quaerit, etiam per coitum, in quo conatus membri virilis contra vestibulum vulvae potest efficere infundibulum satis breve, seu quamdam pseudo-vaginam; fecundatio vero est semper impossibilis.

264. Aliquando contingit etiam ut vagina careat ostio vaginali in vulva et ob anomalias, quae factae fuerunt tempore evolutionis embryologicae, communicet cum recto intestino vel cum uretra vel cum vesicula urinaria. Quae anomaliae non apparent ordinarie nisi tempore pubertatis, in quo notatur sanguinem menstruum emitti per rectum intestinum vel una cum urina periodice. Huius generis facta non pauca collegerunt medici et nonnulla etiam nostris diebus habita sunt. Uti patet, coitus normalis evadit impossibilis; at fecundatio et partus pluries habiti fuerunt per coitum uretralem et praeposterum. Notandum tamen fecundationem sequi posse coitum uretralem, si fit vesicula vacua; alias urina interimit nemaspermata. Tamen operatio chirurgica potest plerumque has anomalias removere et restituere organa apta ad copulam, pregnationem et partum [1].

---

[1] Garnier, *Op. cit.* p. 451 et ss.; Debierre, *Op. cit.* p. 234 et ss.

Omnia haec addidi, quia aliquando potest fieri ut, ob has anomalias, putetur abesse vaginam, cum careat ostio externo, dum, re, adest, etsi alios decursus non ordinarios habeat. In his casibus censemus non posse agi de impotentia, si vir defectum sciat et sponte contrahat cum tali muliere, quia, iuxta superius certam doctrinam traditam, haberi potest copula per has vias vere apta ad generationem, quod ad valorem matrimonii requiritur, et ad finem matrimonii principalem consequendum indifferens est qua parte genitalium os vaginae aperiatur, dummodo praefatus finis sit possibilis; copula enim est tantum *medium* ad habendum *finem*, ad quam ordinatum est matrimonium; finis vero in talibus anomaliis est omnino possibilis, ut experientia constat.

265. Aliam anomaliam valde gravem oportet hic notare, cum facilis possit evadere deceptio. Uretra, vagina et rectum intestinum separantur, ut notum est, ab invicem per subtilem partem interiectam; si aliqua causa fiat, ex. gr. ob morbos nonnullos uteri, vesiculae urinariae vel intestini recti, ut haec pars scindatur, possunt praedicti canales inter se communicare, efficiendo aperturam unicam, valde amplam, ita scilicet ut uretra vel intestinum rectum simulent vaginam, quae etiam hisce casibus abesse potest, et cum hoc defectu contrahatur matrimonium, ut aliquando accidit; partes externae vulvae possunt esse bene evolutae. Facile possunt urina et foeces emitti per hanc unicam aperturam. Aspectus externus mulieris nil anormale prae se fert; at desunt menstrua, et in hisce casibus semper deest aliquod organum essentiale; ubera ipsa minima evolutione notantur. Copula per falsam hanc vaginam potest effici, plerumque tamen cum magna difficultate et dolore. Uterus vel abest vel adeo insufficiens est, ut idem sit ac si non esset, nec communicationem habet cum reliquis organis. Huiusmodi mulieres evidenti et irremediabili impotentia laborant ad matrimonium [1].

266. Frequenter etiam evenit casus, quo mulier adeo angustum habeat ostium vaginae et vaginam ipsam, ut canalis vaginalis etiam calamo ad scribendum aequiparari possit, et haec est *arctitudo*, de qua loquuntur canones, theologi et canonistae; quae potest esse a natura vel per varias causas inducta, sicuti sunt lacerationes perinei ob casus vel in partu valde laborioso, etc. Arctitudo aliquando tanta

---

1. Garnier, *Op. cit.* p. 457 et ss.; Debierre, *Op. cit.* p. 190

est, ut ne ingressum quidem digiti minimi permittat, et, si coitus fit, membrum potest lacerare ac perrumpere vaginam cum gravi haemorrhagia, quae facile evadit mortalis. Arctitudinem vaginae afferunt etiam lotiones vaginales, quae *habitualiter* fiunt cum aquis adstringentibus (allumen, acidum tannicum, etc.). Etsi arctitudo facile possit ordinarie corrigi, dilatando arte et gradatim vaginam, tamen si copula, qualis requiritur ad generandum, numquam fuit possibilis, potest esse causa impotentiae absolutae vel relativae, iuxta naturam casus, neque iuxta hodiernam praxim est expectandum triennium, quia hic defectus mulieris impedit matrimonii consummationem cum omnibus viris aut saltem cum tali viro.

267. Huius occasione theologi movent quaestionem, *an mulier, arctitudine laborans, teneatur reddi apta copulae.* S. Alfonsus, relatis sententiis variis, dicit sententiam, quae obligat mulierem ad patiendam incisionem vel subeundam dilatationem, ut supra, quae est absque periculo vitae, esse quidem communiorem et probabiliorem speculative loquendo, sed practice valde probabile esse non teneri puellam ad operationem ob verecundiam; ait enim: « si puella non tenetur nec etiam ad servandam sibi vitam in aliquo morbo verecundo chirurgi manum pati, quomodo ad id tenebitur, ut ad usum coniugii aptam se reddat? Quid enim turpius (ait Tourn.) quam ut virgo nuda oculis et manibus chirurgi subiiciatur et incisionem foedam et gravem pati cogatur? » [1] Attamen notandum rationem a verecundia petitam per se non videri semper sufficere ad excusandam mulierem ab operatione, eo magis quia hic agitur de iure sui corporis, quod alteri parti tradidit, et quae pars hoc ius vult integrum et expeditum et quia operatio nunc temporis gravis dici non potest. Cum vero ratio pudoris maxime se teneat ex parte subiecti, hinc in singulis casibus iudicandum est et obligatio urgeri semper non facile potest. Quod etsi arctitudo non sit nimis gravis et per repetitos conatus copulae vagina ampliari possit, tamen si nimis arcta in praesenti sit, et mulier absolute recuset operationem, potest peti a R. P. dispensatio super matrimonium ratum et non consummatum ob impotentiam saltem relativam.

268. Post anomalias potiores vulvae et vaginae, quae constituunt perpetuum obstaculum ad fecundationem ac ideo impotentiam, considerandae sunt potiores *anomaliae uteri et reliquorum organorum.*

---

[1] S. Alfonsus, *Op. cit.*, l. 6, n. 1099.

269. *Uterus* aliquando potest *abesse;* impotentia tunc est absoluta et perpetua, cum impossibile sit provideri generationi [1], etsi existat vagina plus minus brevis et in pluribus imperforata et possibilis sit aliquis coitus. Absentiae uteri plures casus certi noscuntur (I, 300).

270. Ordinarie vero uterus non omnino deest, et valde imperfecte evolutus consistere potest; quare distinguitur *uterus deficiens seu rudimentalis, uterus fetalis, uterus infantilis et uterus pubescens.*

271. *Uterus deficiens* habetur cum uterus minimus est et valde immutatus, cum aliquando sit velut simplex massa muscularis absque cavitate aut cum minima cavitate uterina, aliquando vero habeat velut parvum funiculum utramque tubam coniungens, si tubae adsunt; possunt enim tubae aliquando abesse; vagina ipsa aliquando abest vel est atrophica; ovaria possunt existere vel deficere; aliquando vero vagina, tubae et ovaria sunt normalia; externe partes generationis sunt regulariter constitutae et nullam indicant internam anomaliam. Cum adsunt ovaria, habentur menstrua per vaginam fluentia, si uterus deficiens cavus sit, vel occurrunt molimina supplementaria, si cavitate uterus careat. Mulieres, hisce anomaliis notatae, nullo alio charactere externo, sive in voce, in forma et in evolutione corporis, sive in qualitatibus moralibus a ceteris sanis mulieribus distinguuntur. Cum uterus sit deficiens seu atrophicus, impossibilitas ad generandum est perpetua et absoluta et nullo modo remediabilis, ac ideo mulier est impotens. Notandum hunc defectum transmitti posse ad descendentes per haereditatem. Non est difficile in praxi certam notionem habere de tali utero per examen abdominis, intestini recti et vesiculae urinariae [2].

272. *Uterus fetalis* habetur, cum uterus servat eamdem magnitudinem, quam habent neonatae, nec amplius postea augetur; tubae et ovaria possunt esse normalia.

273. *Uterus infantilis* idem fere est ac fetalis, et in hoc tantum differt, cum sit paullisper magis evolutus.

274. *Uterus pubescens* est uterus etiam magis evolutus et in-

---

[1] Topai F. *De necessitate uteri in generatione et in matrim.* (latine reddidit I. Sestili). Romae, 1903. (Cfr. et Antonelli I. *De Conceptu*, etc. n. 114 et not. et Aa. in his operibus relatos).

[2] Debierre, *Op. cit.*, pag. 148 et ss.; Roubeaud, *Op. cit.*, pag. 753.

termedius habetur in sua evolutione inter uterum prout evolvitur primo tempore post ortum et illum, qui habetur ante pubertatem. Plerumque notatur organa sexualia externa esse parum evoluta et ubera atrophica.

275. Omnes hae praefatae anomaliae uteri eodem modo se gerunt ac uterus deficiens, cum impossibilem reddant generationem et ideo constituunt impotentiam.

276. *Collum uteri* potest aliquando esse imperforatum vel omnino, scilicet in toto canali cervicis, vel in eius parte externa vel in eius parte interna. Qui quidem defectus potest esse causa plurium malorum tempore pubertatis ob menstrua, quae fluere nequeunt [1]. Potest tamen removeri defectus per operationem; at donec non removetur, reddit impossibilem fecundationem.

277. *Oviductus* seu tubae falloppianae (I, 197) aliquando absunt omnino, et haec absentia potest esse in uno tantum latere vel in utroque; ordinarie ovaria desunt. Aliquando possunt esse absque canali. Sive absint, sive sint imperviae, fecundatio est impossibili [2].

278. Etiam *ovaria* possunt abesse (I, 306) natura et usque ad praesens plura exempla certa medicina collegit; ordinarie, una cum ovariis absentibus, notatur atrophia uteri et tubarum vel eorum absentia [3]. In ovariorum huiusmodi absentia desunt menstrua et mulier est absolute et perpetue orbata facultate generandi eodem modo, quo eunuchus utroque testiculo orbatus. Si abest tantum unum ovarium et remanet tuba respondens pervia et uterus bene evolutus, mulier generare valet. Ovaria possunt abesse etiam per operationem chirurgicam, uti frequentissime fit in praesenti. Si ablatio fuit radicitus totalis, cum scilicet peracta fuit per laparatomiam, habetur eadem incapacitas perpetua ad generationem et ideo impotentia est absoluta. Nec praesentia fluxus menstrui, qui per aliquod tempus haberi potest post operationem, est signum *semper* alicuius residui ovarici, quod remanere potuit, aut ovarii alicuius supplementaris; nam natura per aliquod tempus pergit eodem modo, vi legis persistentiae, habitum, quem antea retinebat; at paullatim cessat quilibet fluxus. Certum tamen est aliquando habitam fuisse praegnationem, ablatis ovariis,

---

[1] Debierre, *Op. cit.*, pag. 158.

[2] Roubeaud, *Op. cit.*, pag. 663; Debierre, *Op. cit.*, pag. 135-136.

[3] Roubeaud, *Op. cit.*, pag. 639.

quia, iuxta methodum operatoriam adhibitam (operatio per vaginam), ablatio non fuit certo totalis, aut si totalis, adfuit ovarium supplementare. Ceterum chirurgi tantum, qui operationem perfecerunt, possunt testari an fuerit ablatio radicitus totalis nec ne.

279. Absentiae utriusque ovarii aequiparanda est ovariorum *atrophia*, quae ante pubertatem haberi potest ob causas, hactenus non bene notas; possunt ovaria atrophia corripi etiam per morbos ipsorum, per inflammationes proximorum organorum etc. In casu atrophiae habetur impotentia absoluta, ut fit in casu atrophiae testiculorum in viro. Notandum, tum absentiam ovariorum acquisitam, tum eorum atrophiam, ordinarie non minuere libidinis aestum nec desiderium et voluptatem copulae; immo aliquando nonnullae harum mulierum insatiabiliter copulam exercent [1].

280. Ad causas impotentiae potiores hucusque relatas, quae referentur ad anomalias anatomicas, quarum ratio tota in evolutione embryologica invenitur, addendus est *vaginismus*, qui est causa, cur consummari nequeat matrimonium (cfr. I, 299) et obtinendi dispensationem a R. P. super matrimonio tantum rato.

De sterilitate viri

281. Sterilitas, ut vidimus supponit aptitudinem ad generandum, quae aptitudo tamen non reducitur in actum, quia aliquid *accidentale* obstat sive ex parte viri sive ex parte mulieris. Antiquitus et usque ad nostra haec tempora opinio erat, cum ex matrimoniis deficeret proles, absentiam generationis pendere a femina et numquam vel fere numquam putabatur hoc fieri posse etiam ex parte viri. Tantum recentissima nostra aetate, post studia perfecta anatomica organorum sexualium et studium microscopicum seminis virilis, certo compertum fuit, aliquando sterilitatis causam esse etiam in viro, etiamsi emissum eius semen omnino normale nudis oculis appareat, et statutum est matrimoniorum sterilitatem una vice supra sex produci a viro. Huius sterilitatis ratio 1° invenitur vel in absentia nemaspermatum temporanea, vel in absentia motus eorum, vel in minima eorum evolutione, vel quia in minimo numero adsunt, quod quidem

---

[1] Debierre, *Op. cit.*, pag. 120 et ss.; Roubeaud, *Op. cit.*, pag. 639 et ss.

constituit *azoospermatismum;* 2° etsi copula, ut in casu praecedenti, sit normalis, tamen semen non emittitur, vel guttatim tantum etiam post coitum, vel in minima quantitate, vel aliquo modo eius emissio impeditur; hoc constituit quod dicitur *aspermatismus.* Cuius aspermatismi habetur ratio in occlusione ductuum seminalium, quae fit vel in spatio interiecto inter vesiculas seminarias et dilatationes ampulliformes vel inter os externum uretrae et os praeputii, dum in azoospermatismo defectus oritur vel ex aliqua anomalia testium vel ex occlusione ductus deferentis, quae fit post dilatationes ampulliformes [1].

282. Causae frequentiores *azoospermatismi* plures sunt, quarum sequentes recensemus:

Blenorrhagia, quae afficit inferiorem partem epidydimi (I, 186), et potest inflammatio ita occludere lumen ductus, ut nullum nemasperma per illud transire possit; quae inflammatio potest pervadere unum tantum vel utrumque epidydimum. Cura apta potest hunc morbum totaliter removere. Blenorrhagia potest afficere etiam ductum deferentem, cuius causa, remota inflammatione, potest confici nodus durus, qui lumen claudit et impedit transitum nemaspermatum [2].

283. *Syphilis*, quae potest invadere unum aut utrumque epidydimum et adducere occlusionem canalium, ob quam nequeunt item permeare nemaspermata. Si statim suscipiatur cura antisyphilitica diligenter et constanter, non deest spes fundata morbum removendi. Syphilis invadit etiam testiculos, qui inflantur, fiunt duri, parum sensibiles, et vel servant ordinarium volumen vel valde augentur; morbus hic, qui dicitur *orchites syphilitica*, *sarcoceles*, potest invadere unum aut utrumque testem; gravis et valde periculosa est huiusmodi orchites, quia virus siphiliticum potest destruere lobulos testium (I, 186) et impedire omnino elaborationem nemaspermatum, vel obstruere lumen canalium efferentium. Tamen apta cura antisyphilitica adhibita, auferri potest morbus, etiam in casibus maioris gravitatis. Tamen si morbus a longo tempore perdurat, potest sequi atrophia testium, vel, si orchites graves complicationes adducit, genesis nemaspermatum potest deficere. In casu atrophiae habetur impotentia.

---

[1] Taylor, *Op. cit.*, pag. 141.

[2] Idem, ibid., pag. 145-147.

Etiam in casibus, in quibus haereditarie accepta fuit syphilis testium, cura antisyphilitica apta optimos effectus saepe praebuit.

284. In casibus orchitis et epidydimitis *chronicae* potest haberi sterilitas, quae potest etiam sequi ex ceteris formis orchitis.

285. Quoad spectat *tumores varios testiculi,* ac *tubercolosim ipsam testium,* prostatae et vesicularum seminis, consulendi sunt tractatus speciales et praesertim Taylor [1].

286. Azoospermatismus non oritur tantum ex morbis, qui laedere possunt testes et cetera organa sexualia interna, sed potest etiam ortum ducere ex anomaliis seminis ipsius. Cum enim per microscopium analysi subiicitur semen differentium virorum, notatur magnum discrimen adesse seminis illorum, qui robusta ac omnino virili sanitate gaudent, et eorum, qui debilem valetudinem ac corpus exile habent; in primis enim nemaspermata magna sunt, bene evoluta et vivaci motu dotata; in aliis vero pauca sunt, plus minus parva, minimo motu praedita. Praeterea in nonnullis viris videtur genesis nemaspermatum continuo procedere tota vita, in aliis vero nonnisi interrupte; in nonnullis rapida est eorum elaboratio, in aliis lente progreditur. Ex omnibus his rationibus patet, hosce viros, etsi servent capacitatem generandi, aliquando corripi sterilitate. Causae vero, quae hasce anomalias seminis frequenter inducunt, sunt relativae ad abusum coitus, ad mansturbationem, ad diluitionem seminis et ad statum generalem physiologicum corporis.

287. *Coitus nimis frequentes et excessivi;* nam ex experientia directa constat nemaspermata, ob hos coitus, non habere tempus sufficiens ad eorum perfectam formationem et in ultimis amplexibus nemaspermata esse pauca et valde exilia vel omnino deficere. Quies organorum et abstinentia a coitu permittit novam eorum regularem genesim. Hoc factum observatur etiam in excessiva mansturbatione.

288. Ut semen sit capax permeandi organa genitalia mulieris, *debet dilui in humoribus prostatae* et *ceterorum canalium,* per quos necesse est transeat, ut emittatur; hinc fit quod, si hi humores aliquo morbo ipsorum ductuum immutati sint, ut accidit in uretrite chronica et in inflammatione prostatae, vel sint nimis densi, vitalitas et motus nemaspermatum graviter patiuntur, et fecundatio effici non potest. Item si semen commiscetur puri, quod producitur in nonnullis morbis

---

[1] Taylor, *Op. cit.,* pag. 140-173.

uretrae et ductuum iaculantium, ex. gr. in blenorrhagia uretrae, nemaspermata moriuntur et fecundatio abest.

Status debilitationis generalis corporis potest producere nemaspermata sterilia vel suspendere eorum elaborationem. *Tuberculosi* affecti possunt diu gignere nemaspermata. — Quomodo vero se gerant varii processus *ex infectione* in corpore quoad genesim nemaspermatum, adhuc ignoramus, cum desint in praesenti scientificae observationes; tamen, iuxta doctorem Taylor, probabile est, donec perdurat activitas morbi ex infectione et etiam aliquanto serius, suspendi genesim nemaspermatum [1].

Quae vero *aetas* producat sterilitatem, nullo modo statui potest, cum scentifice demonstratum sit virum gignere nemaspermata toto tempore, quo vivit et testes sunt sani [2], et historice notum sit viros satis tarda aetate progressos genuisse, quorum exempla plurima exstant et etiam apud veteres nota erant [3].

289. Addendas censemus duas alias anomalias seminis, quae aliquando occurrunt et sunt causae sterilitatis temporaneae, cum curari possint, scilicet quae proveniunt ex *semine aquoso* et *semine colloide*. Sperma *aquosum* apparet valde turbidum, leviter flavum et constat muco tenui, in quo notantur nemaspermata viva vel mortua. Quod quidem provenit ex nonnullis morbis vesicularum seminis et ampullarum, qui adeo perturbant et immutant secretionem glandularum mucum secernentium, ut mucus fiat nimis liquidus et aquosus. Haec anomalia observatur, ex. gr. post blenorrhagiam epidydimi. Sperma vero *colloide* oritur ex morbis chronicis prostatae, quorum causa secretio prostatae non fit eodem tempore, quo iaculatio et semen apparet nimis densum et fere vitreum ; cuius nimiae densitatis causa nemaspermata impediuntur, quominus moveantur et ad uterum perveniant [4].

290. Altera causa sterilitatis, uti diximus, est *aspermatismus;* hac anomalia affecti habent quidem capacitatem exercendi copulam, at vel carent emissione seminis seu iaculatione tum tempore coitus, tum tempore excitationis sexualis, vel emittunt semen, minimae quan-

---

[1] Taylor, *Op. cit.*, pag. 181.

[2] Garnier, *Le generat. universel.*, etc. p. 518.

[3] Antonelli, *De Conceptu impot. et sterilit.*, etc. n. 103; *Pro conceptu impot. et steril.*, etc. n. 38.

[4] Taylor, *Op. cit.*, pag. 174-183.

titatis, vel iaculationem immutatam habent aut satis imperfectam. Causa huius anomaliae invenitur in nonnullis morbis, qui apparent inter dilatationes ampulliformes ductuum deferentium et vesiculas seminarias ex uno latere et os uretrae externum vel os praeputii ex altero, quorum effectus sunt angustia, vel obliteratio, vel destructio canalium, per quos debet transire semen, quod evidenter repellitur vel detinetur in canali uretrali tempore iaculationis. Impedimentum ad eius emissionem aliquando invenitur in vesiculis, in ampullis, in ductibus iaculantibus, aliquando vero in prostata, in canali uretrae, vel in ore uretrae externo, vel in ore praeputii [1]. Qui morbi potiores sunt calculi et ascessus prostatae, restrictiones et calculi uretrae et praeputii, quo fit ut iaculatio debilis sit et diu protracta, vel imperfecta, vel, cum erectio deficit, semen lente et guttatim emittatur, vel omnino iaculatio deficiat, uti est casus plurium, qui priapismo (I, 545) laborant.

291. Particularis momenti est aspermatismus, qui *psychicus* dici potest, et ille, qui ex *debilitatione nervea* oritur. *Primus* casus tunc habetur, cum nonnulli viri, tempore coitus, temporanee fiunt inhabiles ad iaculandum ob actionem inhibitoriam cerebri et, dum possunt cum nonnullis mulieribus copulari cum emissione, nequeunt iaculationem habere cum aliis copulando; quod quidem oritur ex actione, quam nonnullae conditiones externae exercent in cerebrum, quod inducit inhibitionem (I, 167) centri iaculationis; quae conditiones sunt, ex. gr. apathia, pavor, timor, nonnulla externa mulieris, defectus respondentis amoris feminae, et similia, quibus fit ut erectio et penetratio locum habeant, at iaculatio omnino deficiat. — *Alter* casus locum habet, cum vir, etsi erectionem patiatur partialem aut perfectam, tamen caret vi nervea sufficienti ad inducendas contractiones musculorum, qui debent semen propulsare usque ad iaculationem; qui quidem defectus item temporaneus est [2].

De sterilitate mulieris

292. Mulier dicitur *sterilis*, quae, cum sit aetate habilis et habeat aptitudinem generandi, tamen non generat. Sterilitas valde frequens est in matrimoniis, et, cum diu persistat, est causa saepe infelicitatis

---

[1] Taylor, *Op. cit.*, p. 184.
[2] Idem, ibid., pag. 191-192.

coniugalis. Uti mox diximus, sterilitas una vice super sex pendet a viro et quinquies a femina; hac ratione, in casu matrimonii sterilis, non est tantum attendenda mulier sed et vir; et ad cognoscendum ex quorum causa praecise sterilitas ortum habeat, opus est ut medicus utrosque coniuges ad examen revocet. Quod vero sterilitas maxima parte pendeat a femina, mirum esse non debet, cum noscatur valde complexum esse eius systema generationis et necesse esse ut nonnullae conditiones necessario adsint, ut singula interna organa rite fungantur; ita ex. gr. si tubae falloppianae tempore decisionis ovuli ex ovariis non perfecte aptantur loco decisionis, ovulum in ventris cavitate decidit et fecundatio frustratur. Insuper, inspectis officiis specialibus, quae habet uterus et vagina tempore menstrui, si aliquid menstrui non ablatum, per lotiones, remanet, adeo potest immutari, ut nemaspermata ab ipso interimantur. Accedit etiam quod praedicta organa facile pluribus morbis affici possunt, qui fecundationem impediunt vel inceptam suspendunt ac ovulum per abortum deperditur. Plures ergo sunt causae, cur mulier, etsi habeat a natura aptitudinem ad generandum, de facto non generat, quas praecipuas causas hic breviter exponimus.

293. *Ovaria*, si inflammatione chronica (*oophorites*) afficiantur, non conficiunt ovula vel ovula hac causa destruuntur.

294. *In inflammationibus chronicis uteri, tubarum et ovariorum* sterilitas est factum constans, quod quidem bene observatur apud meretrices, quae, hac causa, sunt regulariter steriles.

294. Si *pars fimbriata tubae falloppianae* non perfecte complectitur locum ovarii, ex quo ovulum proiicitur, ovulum cadit, ut diximus, in cavitate obdominis, nec nemaspermata possunt ad illud pervenire aut saltem nonnisi maxima difficultate, nec uteri cavitatem ingredi.

296. *Nonnulli tumores (cystes) ovariorum* possunt suspendere ovulationem.

297. Morbus, qui oritur in *tubis (salpingites)*, cum producat magnam quantitatem muci et puris, quae ad uterum perveniunt, impediunt quominus nemaspermata possint per ipsas tubas transire ad fecundandum ovulum et possunt etiam ab his secretionibus interimi. Aliquando nonnulli morbi tubarum reddunt adeo angustum lumen ipsum tubae, ut impediatur omnino transitus nemaspermatum; immo in nonnullis casibus (hydrosalpinges et piosalpinges) ovaria ipsa graviter simul afficiuntur.

298. *Uterus* ipse magnam partem habet in inducenda sterilitate. Si enim nimia angustia laborat in collo, sive congenita, sive acquisita ulceribus venereis, operationibus chirurgicis etc., nemaspermata nequeunt eum pervadere; quod quidem locum habet, si mucus efficitur densus in eodem loco vel si collum inflammatione laborat. In morbis, qui dicuntur *endometrites* et *endocervites*, mucosa uteri adeo immutatur et tanta est secretio muci et puris, ut nemaspermata moriantur in tali contactu et auferantur una cum fluxu. Protractio et forma valde conica partis inferioris colli uterini et tumores cuiuscumque naturae uteri ipsius valde obstant fecundationi.

299. In nonnullis *irregularibus positionibus* uteri seu in eius anomaliis positionis, invenitur magnum obstaculum ad transitum nemaspermatum; quod quidem locum habet in *antiflexione* et *retroflexione* uteri; in *primo* enim *casu* uterus curvatur supra vesiculam urinariam instar fere ferri equini, in *altero* curvatur, eodem modo, contra rectum intestinum; idem notatur in *antiversione* et *retroversione* [1] uteri; in *antiversione* uterus iacet super vesiculam, in *retroversione* vero iacet contra intestinum rectum; in utroque casu deest forma arcus, quae anomaliae ceterum possunt simul coniungi, inducendo retroversionem *una cum* flexione uteri. In omnibus his anomaliis positionis facile intelligitur, cum cavitas uteri sit penitus deformata et os colli uterini, per quod necesse est transeant nemaspermata, non amplius sit in linea recta cum axe vaginae, nemaspermata regulariter impediri, quominus uterum pervadant.

300. *Fibromata* [2] uterina adeo possunt deformare uterum aut eius normalem positionem pervertere, ut nemaspermata nullo modo in eius cavitatem penetrare possint. Etiam miomata uterina inducunt sterilitatem [3].

---

[1] Retroversiones uteri producuntur, praeter alias causas, etiam per mansturbationem et onanismum proprie dictum. (Schauta, *Tratt. completo di Ginecolog.* Torino, 1897, pag. 231).

[2] Ex tumoribus uteri, nonnulli oriuntur ex textis ipsis uterinis, quae constituunt hyperplasias eiusdem naturae ac uteri; hac ratione tumores huiusmodi uterini dicuntur *miomata (miomi)*, si resultant fere exclusive fibris muscularibus levibus; *fibromata (fibromi)* si praecipue constant texto connectenti, et *fibromiomata (fibromiomi)*, si ex texto musculari et connectenti simul conficiuntur. (Schauta, *Op. cit.*, p. 286).

[3] Certo pluries visae sunt praegnationes et partus normales etiam in utero miomate affecto; at, regulariter loquendo, mulieres miomate laborantes non concipiunt, vel, si concipiunt, praegnatio non assequitur suum finem, cum veniat abortus vel partus praematurus. (Schauta, *Op. cit.*, p. 301).

301. Accedunt etiam, ad inducendam sterilitatem, *lacerationes graves* tractus siti inter vulvam et os anale (perineum), quae valde possunt immutare organa genitalia mulieris.

302. *Nimia angustia vaginae* vel *eius prolapsus* possunt efficere valde difficilem vel impossibilem conceptionem. Quod item evenire potest, si vagina *excessiva latitudine* laboret, cum scilicet eius omnes partes relaxatione praeter ordinem afficiuntur.

303. In morbo, *vaginites purulenta* qui dicitur, pus interimit nemaspermata; [1] quod quidem locum habet etiam si secretiones vaginales sint acidae vel nimis alcalinae [2], ut frequentissime fit, vel dictus canalis inquinetur ob secretiones sibi proprias et ob menstrua hinc fluentia, cum negligatur has partes saepe abluere.

304. Sterilitas generatim occurrit etiam quum mulier *diabete* laborat; quod si praegnatio fiat, haec regulariter progreditur sicut partus et tempus puerperii. Si praegnatio interrumpitur, hoc fit causa mortis fetus correpti morbo simili morbo matris [3].

305. Cum mater afficitur *phthysi pulmonari valde progressa*, menstrua primo minuunt et postea omnino etiam cessare possunt; immo potest haberi etiam atrophia uteri et ovariorum. His rationibus hae mulieres saepe sunt steriles. Si vero concipiunt, praegnatio regulariter decurrit; at tuberculosis magis magisque augetur et frequenter haemorrhagiae pulmonares inducunt mortem mulieris post praegnationem [4].

306. Nec tantum pulmones possunt *tuberculosi* affici, sed *et organa genitalia*, sicut reliqua corporis organa, possunt eodem morbo laborare. Sive tuberculosis genitalis ab externo ortum ducat (ex. gr. ex coitu, obiectis mechanicis, manibus, etc.) sive ab interno, omnia organa genitalia possunt tuberculosi pervadi, et modo speciali tubae

---

[1] Taylor, *Op. cit.* p. 311.

[2] Cum secretiones vaginales sunt nimis alcalinae, removeri seu corrigi possunt cauterizando, per medicum, internum vaginae, vel melius abluendo vaginam per nonnullas aptas lotiones, quales ex. gr. alluuen gram. 2 in 100 gram. aquae, vel acidum boricum gram. 1 in 100 gram. aquae, vel boratum sodae gr. 2 in gr. 240 aquae. Constat per has lotiones pluries habitam fuisse praegnationem etiam post multos annos steriliatis. Si vero secretiones sunt nimis acidae, quod quidem noscitur immittendo in vaginam fragmentum cartae, quae inservit ad noscenda liquida acida (italice *carte di tornasole*), quae apud pharmacopolas invenitur, et fiunt rubri coloris cum acidis, aciditas removeri potest, utendo lotionibus vaginalibus cum aqua Vichy.

[3] Schauta, *Op. cit.*, p. 509.

[4] Idem, ibid., p. 513.

hoc morbo corripiuntur et non raro ex tubis diffunditur ad proxima organa et praesertim ad peritoneum. Ob hanc affectionem tubarum, sterilitas necessario consequitur. At, si una tuba remanet intacta, fecundatio haberi potest per hanc; quod item evenit, etiam in tuba affecta, si morbus sit in eius initio. At, ut videtur, morbus rapide progreditur tempore praegnationis et abortus accidit, quia simul uterus patitur [1].

307. Etiam *obesitas* seu *polysarcia* quam maxime favet sterilitatem [2].

308. Praeter has causas pathologicas, quae inducunt sterilitatem, notandae sunt aliae causae sterilitatis, quales sunt *onanismus coniugalis*, qui valde diffúsus invenitur in praesenti, causa vitandi liberos, *habitus in genere luxuriosi* [3], *debilitas generalis, anemia, chlorosis, masturbatio,* praesertim si malus habitus perseverat, *tumores*, qui partialiter occludunt vaginam etc. [4].

309. Ex hac brevi expositione liquet quamplurimas esse causas, quae accidentaliter impediunt generationem in muliere et nullo modo mirari debemus, si causa praesertim mulieris generatio aliquando non sequitur.

---

[1] Idem, ibid., p. 486.

[2] Taylor, *Op. cit.*, l. c.; Vulliet et Luteaud. - *Leçons de gynecolog. operat.* Paris 1890, p. 476.

[3] Graily Hewitt M. D., *Patolog. diagnosi e cura delle malat. della donna*, p. 808, et seqq.

[4] Idem, ibid., pag. 808 et ss.

CAPUT VI.

DE CONIUGIO HERMAPHRODITARUM

310. Supra (I, 266-282) diu loquuti sumus de hermaphroditis, quorum studium maximi momenti est, tum relate ad iura civilia et statum ecclesiasticum, tum relate ad matrimonium; nam iura civilia (electiones, vota, debitum militiae) et status ecclesiasticus nonnisi viris competunt et matrimonium non potest haberi nisi inter personas diversi sexus, quae per se possint generare; quam ob causam, si duae feminae vel duo mares matrimonium inirent, matrimonium non esset, ob defectum disparilitatis sexus. Quapropter hoc studium pariter necessarium est et medicis et curiis ecclesiasticis in casibus, qui occurrere possunt.

311. In primis notamus hermaphroditas *perfectos*, scilicet qui possint *fecundari* et *fecundare* in specie humana non adesse, et non amplius doceri posse cum veteribus et nonnullis modernis theologis, hermaphroditas dubii sexus debere eligere sexum, quem volunt quemque semper retinere debent et iuxta illum matrimonium inire; hermaphrodita enim ordinarie vel est mas vel femina vel, rarius, neuter. Historiae hermaphroditarum perfectorum, quas veteres nobis transmiserunt, inter fabulas sunt reiiciendae.

312. Notiones scientificae certae de hermaphroditismo nostra aetate debentur recentibus inventis embryologiae, quae hic summarie tradere necessarium putamus.

313. Ut recte intelligantur anomaliae, quae inducunt hermaphroditismum, oportet distinguere organa essentialia sexus *interna* et *externa* et notare organa *interna* duplici modo evolvi posse, cum duplicia sint, prout agitur de mare vel de femina, et organa *externa*,

cum sint eadem pro utroque sexu, non posse gignere nisi organa propria vel maris vel feminae.

314. Embryon humanus circiter quadragesimum diem vitae intra-uterinae, subtus diaphragma, utroque latere columnae vertebralis et in regione lumborum, ostendit nonnulla organa, quae sunt: *glandula*, quae dicitur *genitalis*, *ductus*, qui vocantur *Müllerii* et corpus quoddam, cui nomen *corpus Wolffii* (fig. 28). Donec haec organa in tali statu manent, impossibile est dicere utrum fetus mas vel femina erit, cum ex evolutione alterutrius horum organorum ortum ducant organa interna maris vel feminae. Et re quidem vera, paullo post, in evolutione normali, si unum ex his organis, scilicet ex. gr. ductus Müllerii, atrophia afficitur, bene evolvitur alterum organum seu corpus Wolffii; glandula genitalis tunc fiet testiculus et ductus corporis Wolffii erit canalis excernens testiculi ipsius; fetus erit mas; si vero contrarium locum habet, h. e. si corpus Wolffii atrophia afficitur, alterum organum bene evolvitur; glandula genitalis tunc fiet ovarium, ductus Müllerii fiet uterus, tuba, vagina et hymen, et fetus erit femina. Cum haec organa regulariter in sua evolutione procedunt, nulla anomalia in organis internis sequi potest.

315. At, si, ob causas nobis omnino ignotas, supponimus tum ductus Müllerii, tum corpus Wolffii uno eodemque tempore simul evolvi, tunc habebimus casum existentiae *simul* organorum internorum maris et feminae in eodem subiecto. Et, etsi huiusmodi evolutio non fiat absque detrimento utriusque organi, cum ovaria, testes et eorum ductus prae se ferant plures anomalias, tamen aliquando observatum fuit et tales testes gignere nemaspermata et talia ovaria conficere ovula. Habetur tunc casus hermaphroditismi *bilateralis* (I, 270). Si vero ex uno latere evolvitur tantum ductus Müllerii, ex altero corpus Wolfii, tunc habemus ovarium ex una parte, testem ex altera parte columnae vertebralis; agitur tunc de hermaphroditismo *alternante* (I, 270); si demum ex uno latere tantum corpus Wolffii, et ductus Müllerii evolvitur, res est de hermaphroditismo *unilaterali* (I, 270). Si, in primo casu utraque glandula genitalis, seu testis et ovarium, elementa sibi propria conficit, habetur hermaphroditismus perfectus *interne*.

316. At si huiusmodi anomaliae, propriae utriusque sexus, possunt contingere in organis internis, minime idem locum habere potest quoad organa *externa*, cum ex *eadem parte* organa externa alterutrius sexus proveniant et horum evolutio nullam relationem

habeat cum organis internis. Sciendum enim est, prope finem regionis caudalis columnae vertebralis embryonis, adesse quamdam cavitatem (cloaca), in quam finem habent et rectum intestinum et sinus uro-genitalis, in quo confluunt canales Wolffii, ductus Müllerii et, serius, ureteres. Cloaca vero extra aperitur per parvum foramen, quod dicitur *os cloacae*. Paullo post, membrana quaedam paullatim conficitur, dividens cavitatem cloacae in duas partes, una scilicet anterior, quae exclusive erit uro-genitalis, scilicet pro urina et elementis generationis, et una posterior, exclusive intestinalis, in qua aperitur finis intestini recti seu os anale, et inter duas has partes gradatim perficitur *perineum*. Interea, dum conficitur divisio partis uro-genitalis et analis, sexta hebdomada vitae intra-uterinae, in homine apparet, in utroque sexu, parva eminentia seu tuberculum, quod embryologice *tuberculum genitale* vel *phallus* dicitur; subtus vero notatur, in medio, sulcus, cui nomen *sulcus genitalis* et, circum, habet parvam plicam pellis, quae dicitur *plica genitalis;* dein tuberculum et os cloacae circumdantur duabus eminentiis pellis. Hinc, ut patet, cum divisio cloacae primitivae, per membranam supra dictam, perfecta evadit, habemus binas aperturas, scilicet aperturam uro-genitalem et aperturam analem.

317. Hic status anatomicus evolutionis perdurat fere usque ad primos menses vitae intra-uterinae, et, ut liquet, fetus, in his circumstantiis, *externe* nec mas, nec femina est. At, post haec, organa externa communia, diverso modo evolvuntur, prout fetus erit mas vel femina. Nam, *si fetus erit mas,* tuberculum genitale valde producitur et erit membrum, plicae genitales anterius coniunguntur et efficiunt quemdam canalem, qui erit uretra cum ductibus iaculantibus et prostata, eminentiae vero pellis, quae circumdabant tuberculum genitale et os cloacae, in linea media simul coniunguntur et constituunt bursas seu scrotum, in quo, prope finem vitae intra-uterinae descendunt testiculi. Si *fetus vero erit femina,* tuberculum genitale parum evolvitur et fit clytoris, plicae genitales producuntur et fiunt parva labia, in quo aperitur uretra et vagina; demum eminentiae pellis, quae circumdabant tuberculum genitale et os cloacae, magis augentur et constituunt magna labia.

318. His praemissis, liquet, omnem hominem *externe* esse vel marem vel feminam et organa externa utriusque sexus habere non posse. Tamen evolutio externarum partium genitalium frequenter plures anomalias prae se fert, ut supra vidimus (I, 283-306), et praecise ob

has anomalias ortum ducit hermaphroditismus externus, qui saepe magis implexus evadit ob anomalias internas, quae externas comitantur. Et cum externe quis videtur esse mas et femina, nonnisi apparens id est; nam vir potest habere membrum sat parvum ut clytoris putetur, et bursas non coniunctas, ita ut simulent vestigium vaginae. Item fieri potest ut, tempore pubertatis, nonnulla symptomata appareant, quae innuere videntur agi de sexu femineo, qualia ex. gr. evolutio uberum, modus femineus se gerendi in omnibus, immo et haemorragiae, quae fingunt menstrua. Quo fit ut huiusmodi hermaphroditae ut mulieres habeantur et matrimonium ineant. At haec signa sunt omnino *fallacia*. Nam haec indicia possunt inveniri etiam in maribus; nonnulli horum enim aliquando tempore pubertatis haemorragias patiuntur ex genitalibus; et fluxus sanguinis a naso, adeo frequens in pueris, incipiente pubertate, respondet menstruis vicariis feminarum; dein, evolutio uberum, vox feminea, incessus et modus se gerendi instar feminae potest pendere ex atrophia testiculorum, ut constat ex castratis viris post pubertatem, qui paullatim characteres femineos prae se ferunt. Hoc recenter (an. 1881) observatum fuit in Ernestina Guériot, quae simul cum puellis instituta fuit et paullo post decimum septimum aet. an. iniit matrimonium cum quodam viro. Examen medicum postea peractum ostendit agi de viro; habebat enim scrotum divisum in duas bursas, quae habitae fuere ut magna labia; sinistra bursa tantum continebat testem cum epidydimo, quo semen expellebat, absque nemaspermatibus; inter bursas notabatur quidam canalis, usu coitus effectus, superius omnino clausus. In hoc casu, ob divisionem scroti et ob factum trium tantummodo fluxuum sanguinis haud brevi tempore ut femina habitus fuit [1].

319. Si vero externe femina vir apparet, id fit, quia potest habere clytoridem evolutam extra ordinem, os vaginae valde angustum aut omnino deficiens.

320. Adde insuper aliquando hypospadiam (I, 286) coniungi cum cryptorchidia (I, 288), vel ovaria descendere per annulum inguinalem et sistere inter magna labia, efficiendo tumorem, qui haberi potest ut testiculus. Hac ratione, frequenter mares habiti sunt ut feminae et feminae habitae fuere uti mares. Accedit etiam, quod dubium de vero sexu, saltem usque ad pubertatem, et ratio educationis, institutionis et

---

[1] Garnier P., *La stérilité hum. et l'hermaphroditisme* etc., pag. 504.

vestiendi iuxta praesumptum sexum hermaphroditae, valde immutant characterem moralem subiecti et inducere in eo posse velut alteram naturam, quae omnia certo reddunt multo difficiliorem notionem veri sexus. Nam feminae, quae ut mares habitae sunt, causa educationis, qua institutae fuere, servant modo speciali, tempore pubertatis, plures characteres physicos et morales masculinos, etiam quoad instinctus sexuales; contrarium vero evenit in maribus habitis ut feminae, quorum institutio fuit omnino feminea. Tamen omnia signa, quae supra exposuimus (I, 276 et ss.) et quae aliquid conferre possunt pro statuendo vero sexu, prae oculis haberi debent. Patet examen hermaphroditarum pertinere exclusive ad medicos peritos, quorum relationes curiae ecclesiasticae valde attendere et intelligere debent, cum ipsi solum medici possint in pluribus casibus iudicium de vero sexu praebere. Attamen minime existimari debet sexum hermaphroditarum *semper* tuto nosci posse etiam a peritissimis medicis; nam glandula, quae verum sexum constituit, scilicet testis vel ovarium, nonnisi post mortem studio medico subiici potest. Quod quidem valet praesertim relate ad iura civilia.

321. Quod vero spectat ad *matrimonium* contrahendum, dicendum est hermaphroditas, qui tantum externe in genitalibus deformationes prae se ferunt et possident organa necessaria ad finem matrimonii praecipuum seu membrum capax erectionis et saltem unum testem sanum in casu viri, et vaginam, uterum bene evolutum cum tuba et saltem unum ovarium sanum in casu feminae, ita ut ex eorum matrimonio proles sequi possit, patet non esse arcendos a matrimonio.

322. Si vero hermaphrodita adeo externe est deformatus in genitalibus, ut nullo modo dici possit utrum mas sit, an femina, aut gravissima dubia, ex pluribus indiciis colligenda, impediunt quominus asseri possit utrum interne mas sit an femina, a fortiori vero cum graves deformationes externae cum fundamento putantur coniunctae cum immutationibus internis, ut atrophia, absentia organorum internorum, aliorumque defectuum substantialium, matrimonium permitti non potest; praecipua ratio est, quia matrimonium nonnisi cum personis certae disparilitatis sexus haberi potest, et hoc in casu posset contingere ut matrimonium contrahatur cum duobus maribus vel duabus feminis, ut pluries factum esse certo constat.

323. Notetur insuper in formis gravibus hermaphroditismi, hermaphroditas esse regulariter infecundos.

324. Utrum vero hermaphroditae, qui valent contrahere, ut supra, per haereditatem transmittant filiis eorum vitia organica, usque in praesenti non satis constat, cum desint observationes ad hoc institutae. At, eo modo, quo plures defectus physicos transmittunt parentes ad prolem, praesertim hypospadiam, epispadiam, polydactiliam etc., ita teneri potest etiam varias formas hermaphroditismi posse ad filios pervenire, ut habetur in exemplo a doctore Pozzi relato anno 1885 [1].

325. Casus hermaphroditarum marium, qui habiti sunt ut feminae, non sunt adeo rari, ut quis putare posset. Plurima enim exempla usque ad nostram aetatem a medicis comparata sunt; rariores vero videntur esse casus hermaphroditarum feminarum, quae habitae fuere ut mares, fortasse non quia *re* minus frequentes sunt, sed quia natura ipsa feminae, quae hosce defectus patitur et praesertim sensus pudoris, impedit quominus anomalias sexus patefaciant, et iis satis est haberi ut mares, masculino nomine vocari et a nuptiis abstinere. Necesse est, ut obstetrices praesertim non facile de vero sexu iudicium ferant, nisi certitudine comparata, nec magnam clytoridem ut membrum virile, nec bursas divisas et absentiam testium ut magna labia habeant et prae oculis teneant frequentiam hypospadiae, quae efficere potest ut mas velut femina putetur. Pro femineo sexu valde probabiliter standum est, cum clytoris, cuiuscumque sit magnitudinis, imperforata sit et urina fluit subtus eam, dummodo hoc ostium valde distet ab ore anali. Insuper necesse est, ut dubius sexus in libro natorum scribatur tum in paroeciis tum in municipiis, ut, cum agatur de matrimonio contrahendo, de militia suscipienda, de iuribus civilibus exercendis etc., possint institui examina scientifica de vero sexu, quando possibile id est.

326. Notetur demum hermaphroditas, ob eorum anomalias, quibus a matrimonio arcentur et recusant necessarium praevium examen, libidinem satisfacere quocumque modo solitario et cum aliis.

---

[1] Cfr. Debierre, *L'hermaphroditisme* ecc., pag. 133. — Apud. S. Congr. Concilii ultimis hisce annis pertractae fuere plures causae de hermaphroditismo, quarum *Ferentina* die 24 martii 1888, *Cameracen.* die 18 martii 1893 et *Pactens. 26 martii 1904*. In hoc postremo casu Carmela G. matrimonium inierat cum Calogero S.; post matrimonium vir invenit uxorem non fuisse uti reliquae feminae; et intentata causa civili, medici, inspecto corpore Carmelae, invenerum agi de viro, hypospadia affecto, cum peni rudimentali et scroto diviso in duas bursas continentes testes. S. Congr. evidenter declaravit nullitatem matrimonii, vetito Carmelae transitu ad alia nuptias.

CAPUT VII.

DE UTILITER SCIENDIS IN MATRIMONIO CONTRAHENDO

327. Antequam ceteras questiones de coniugio explanemus, nobis videtur maximi momenti nonnulla hic adiicere, quae valde utilia pro praxi Confessariis esse possunt, cum frequenter parenter vel ipsi, qui matrimonium contrahere volunt, ab iis consilium petant de quibusdam, quae maxime conferunt, ut ex coniugiis optimos in omnibus effectus consequantur; quibus rebus recte cognitis, consilia opportuniora praebentur, et non pauca mala etiam gravia impediri vel praecaveri possunt, quoad nupturientes. Quae omnia ad sequentia capita revocamus.

328. *De haereditate per generationem.* — Ut coniuges possint ex usu matrimonii filios procreare in omnibus sanos, oportet prae oculis habere vim et actionem *haereditatis.* Hoc nomine intelligitur *factum,* quo filii in se ipsis ostendunt characteres speciales, tum physiologicos et pathologicos, tum morales, vel parentum, qui eos genuerunt, vel eorum patruorum vel avunculorum et avorum, et transmissionem eorum characterum ad sequentes generationes. Quae haereditas si melius innotesceret, certo possibile immo facile esset valde minuere mala, quae tot matrimonia affligunt.

329. Plures *formae* haereditatis habentur, scilicet haereditas *directa,* qua genitores procreant filios, habentes eosdem characteres, quos ipsi prae se ferunt tum physicos, tum morales: haereditas *indirecta,* cum filii non retinent characteres physicos et morales eorum genitorum, sed illos parentum collateralium, ut sunt patrui, avunculi, consobrini; haereditas *retroactiva* seu *regressus,* cum filii non habent similitudinem physicam et moralem cum suis genitoribus, sed tantum cum suis avis; vel alicuius particularis quali-

tatis tantum praedispositio latens manet in actuali generatione, quae qualitas perfecte apparebit in sequenti generatione; quo fit ut in hac generatione filii non retineant characteres generantium, sed eorum avorum. Hoc factum notum iam erat antiquis medicis et philosophis, et continuata experientia nostrorum perfecte confirmavit. Demum adest haereditas, quae dicitur *ex influentia*, qua filii nullam habent similitudinem cum matre vel patre, sed in omnibus prae se ferunt similitudinem cum viro, cum quo mater antea copulam habuit; hac ratione, ut ait Fianus, filii adulterini multo maiorem habent similitudinem physicam et moralem cum patre legali, quam cum patre effectivo seu naturali. Haec forma haereditatis frequens est.

330. Haereditas potest dein dividi in haereditatem *physiologicam*, cum per ipsam transmittuntur filiis characteres mere physiologicos tum physicos tum morales, et in haereditatem *morbidam* seu *pathologicam*, cum per ipsam transmittuntur filiis morbi vel morborum praedispositiones.

331. Quaenam vero sint *causae*, quae haereditatis varias formas inducunt, penitus ignoramus, nec nobis videtur opportunum differentes hypotheses doctorum hic innuere, cum nullo solido scientifico fundamento, iuxta nostram sententiam, nitantur [1].

332. Praeter haereditatem, qua late utitur homo in variis animalium speciebus et quae tantam partem habet in humana quoque generatione, notatur etiam, in singulis hominibus, naturalis quaedam propensio ad immutandum in accidentalibus typum physicum et etiam moralem; quo fit, ut in familiis saepissime appareant disparilitates in iis, qui ex eisdem genitoribus proveniunt; hac ratione commune est invenire in familiis fratres et sorores, quae neque inter se, neque inter genitores similitudinem retinent; singuli aliquid habent specialis in statura, augumento corporis, incessu, loquela et in evolutione intelligentiae; immo et gemini ipsi, qui uno eodemque tempore evolvuntur, has differentias prae se ferre possunt; et gemini quoque, qui simul cohaerent, etiam per profundas corporis partes, hac dissimilitudine notantur. Aliquando etiam notatur difficile esse aliquem nexum invenire inter genitores et filios, ut est casus parentum, qui in eorum genealogia numquam claudum habuerunt et ge-

---

[1] Ad noscenda plura de haereditate eiusque causis iuxta doctores, cfr. Delage, *L'hérédité et les grands problèmes de la biologie generale*. Paris, 1903.

nerarunt claudum. Quam partem seu actionem habeant singuli genitores in haereditatem directam, statui non potest. Aliquando enim filius omnes characteres patris habet, aliquando matris, aliquando vero characteres utriusque, scilicet patris retinet ex. gr. staturam, matris vero colorem pellis et oculorum, pinguedinem, vocem, incessum; et idem dici potest de singulis characteribus physicis et moralibus. Ex summa omnium characterum differentium, qui continuo observantur in singulis subiectis humanae speciei, concludendum est maximam inesse naturae humanae vim variationis, etsi typus humanus semper immutatus remaneat, et hac causa numquam inveniuntur duo subiecta cum iisdem characteribus.

333. Inspectis vero notis, quas filii recipere possunt a parentibus, haereditas potest referri ad notas *structurae* et *anomaliae* corporis, vel ad *characteres physiologicos*, vel ad *morbos*, vel ad *horum praedispositionem*.

334. Ob haereditatem *structurae* physicae, filii haereditate a parentibus accipiunt staturam; ordinarie enim fit ut alta statura genitorum notentur praediti et filii; immo aliquando dicta statura constans est in pluribus familiis. Idem evenit de parentibus pygmaeis seu minimae staturae, quae ordinarie nonnisi filios pygmaeos generant. At haec anomalia staturae immutari et corrigi potest, si coniuges diversam habeant proportionem corporis.

335. Item certum est *polysarciam* seu excessivam pinguedinem transmitti posse per generationem ad filios.

336. Quod spectat ad deformitates seu *anomalias* corporis, dicendum est et ipsas posse transmitti ad filios, quales sunt deviatio columnae vertebralis, gibbositates, claudicatio, polydactylia, albinismus, labium leporinum (seu labium superius in medio divisum), surdomutismus [1], coecitas etc. Huiusmodi haereditatis quamplurima facta certa scientia medica collegit. At oportet notari aliquando hanc haereditatem procedere per saltus, ita scilicet, si pater aut mater claudi erant, potest filia vel filius non esse claudus; horum vero filii, etiam omnes, claudi nascuntur. Idem dicendum de hypospadia et epispadia (I, 286, 285).

---

[1] Iuxta Delage surdo-mutismus raro habetur per haereditatem; nam citat factum, quod in instituto surdo-mutorum Londini, super 148 pueros surdo-mutos, nemo ex iis provenerat ex parentibus surdo-mutis, in Irlanda ex 203 parentibus surdo-mutis, tantum unus habuit puerum surdo-mutum et ex 47 matrimonils, in quibus uterque coniux erat surdus et mutus simul, duo tantum habuere puerum surdo-mutum. (*Op. cit.*, pag. 215, nota).

337. *Mutilationes* vero *accidentales*, quas parentes patiuntur, difficilius haereditantur a filiis; at plures casus certi noscuntur huiusmodi haereditatis.

338. Horum defectuum nonnulli curari possunt medicina vel chirurgia, nonnulli vero minime. Utrum vero genitores his anomaliis curatis ac sanati, possint adhuc generare filios prae se ferentes ablatas eorum anomalias, scientifice non constat usque ad praesens.

339. Haereditas *physiologica* complectitur transmissionem eorum characterum, qui referuntur ad vitam moralem, quae ab his plus minus immutari potest; huiusmodi characteres potiores sunt constitutio seu *robur* corporis, *temperamenta*, *longaevitas*, *fecunditas*, *visus* et *qualitates auditus*.

340. Notum est *robur* seu *constitutionem physicam* genitorum directe transire ad filios; coniuges enim debilis constitutionis et valde discrepantis aetatis numquam gignunt filios robustos. Natura constitutionis valde prae oculis genitoribus esse deberet, cum agitur de matrimonio filiorum ad praecavendos tristes effectus vitae coniugalis relate ad prolem.

341. *Temperamenta* experientia continua docet quotidie transmitti ad filios; et coniuges, qui eiusdem sunt temperamenti, gignunt filios, qui idem temperamentum habent magis intensum. Ita duo nervosi vel duo sanguinei generant filios magis nervosos vel magis sanguineos. Temperamenta vero possunt mutari et corrigi, si coniuges opposita habeant temperamenta; ita ex patre e temperamento sanguineo et matre e temperamento lymphatico procedunt ordinarie filii, qui bene se valent, scilicet qui nec sanguinei nec lymphatici sunt. Attamen notetur ad impediendum augmentum temperamentorum per excessum, natura ipsa providit, cum ordinarie instinctus ipse naturalis efficit, ut nupturientes contrarium temperamentum quaerant. At saepe hic instinctus naturalis negligitur, cum per matrimonium quaerantur divitiae, honores, nobilitas etc.

342. Etiam *longaevitas* saepissime haereditate transmittitur ad descendentes.

343. Quod spectat ad *fecunditatem*, certum est maximam actionem in hanc habere haereditatem; facta enim plura noscuntur maximae fecunditatis haereditariae in pluribus familiis.

344. De *visu* dicendum est, eo modo quo transmittitur coecitas, ita transmitti posse etiam myopiam et presbyopiam. Hic etiam, ad vitandum effectum haereditatis, oportet ut coniuges non habeant eum-

dem defectum. Quod dici debet etiam, quoad haereditatem, de defectibus *auditus*, qui videntur transmitti posse.

345. Maioris momenti, relate ad matrimonium, est haereditas nonnullorum *morborum*, quam valde cavere debent tum parentes, tum futuri coniuges, ne postea in gravia et saepe irreparabilia damna incurrere debeant. Plures sunt morbi haereditarii; at notabimus tantum potiores et frequentiores, scilicet syphilidem, scrophulam, phthysim, cancrum et guttam.

346. *Syphilis* idem est ac lues venerea, quae pluribus modis recipi potest, quorum tamen principalior est copula cum affectis syphilide. Hic morbus in praesenti, ob maximam corruptionem morum, frequentissimus, immo communis est. In quo vero consistat, cuius sint symptomata et damna corporis, inferius dicimus; hic tantum de ea loquimur, quatenus transmittitur haereditate ad filios. Syphilis non tantum afficit individuum, sed et speciem humanam, cum a syphiliticis generati graviter patiantur, aliorum commiserationem excitent et praemature moriantur, causa tantum parentum, quorum peccata luunt. Virus syphiliticum mariti inficit uxorem et filios nondum natos; et, cum videtur lues omnino cessasse, post aliquod tempus, etiam plurium annorum, illico nonnulla gravissima symptomata manifestantur, quae adducunt plures morbos cerebri et medullae spinalis, qui ruinam et amissionem salutis coniugibus afferunt. Mulier affecta syphilide, a viro accepta, nequit amplius ordinarie materna munera obire in gestatione et partu, cum frequenter abortum aut partum praematurum patiatur infantis iam mortui aut moribundi. Si praegnatio tempus ordinarium assequitur, infans nasci potest vivus, at syphilide affectus. Gravior est syphilis infantis, si uterque coniux syphilide laborabat. Si infans nascitur vivus, eius syphilis potest cito apparere aut progressu temporis et esse mortalis aut minime; si, ut aliquando et raro fit, infans nascitur non affectus syphilide, ordinarie cito moritur, cum non habeat vires sufficientes seu aptitudinem physiologicam ad vitam, cuius causa est syphilis parentum; vel si non moritur cito, plures morbi, qui strictam habent connexionem cum syphilide, non tardant eius vitam miserrime vexare et perturbare. Quod si in hisce postremis conditionibus filius non moritur, eius vita debilis erit et ante tempus peribit quolibet etiam parvo morbo, ob deficientiam resistentiae organicae, vel degeneratione afficietur; quo fiet ut plurimi morbi, etiam graves, omnium organorum oriantur.

347. Vis haereditaria syphilidis pergit suam actionem morbosam

etiam in secundam generationem, ita ut filii aliquando non recipiant morbum directe a suis parentibus, sed ab avunculis [1]. His praemissis de haereditate syphilidis, quae quam maxime evadit contagiosa, facile apparet quanta cura, quanto studio et diligentia parentes invigilare debent ne matrimonia cum hac lue affectis contrahantur, saltem inconsulto medico, ut infra videbimus, et continuo vigilare in filios, ne meretricias domus adeant, ut communiter contingit, quae syphilidis sunt receptacula, nec cum syphiliticis societatem ineant; virus enim syphiliticum multiplici modo contrahitur, et, semel contracto, indicia seu symptomata syphilitica fere statim apparent et diu perseverant in affligendo corpus, etiam si cura medica non negligatur. Ad hoc accedit quod, remota apparenter syphilide, plures post annos potest illico reapparere cum symptomatibus gravissimis, et, iuxta doctorem de Vaulx, infantes, qui nascuntur infecti syphilide, super novem perire sex et amplius ante secundum aet. annum, et eos, qui concepti fuere in statu syphilidis, ex sexdecim, duodecim mori in utero et dein expelli per abortum [2].

348. *Scrophula* alius morbus est haereditarius, naturae tuberculoidis, valde diffusus in praesenti, qui potest tamen haberi absque haereditate, cum scilicet nonnullae causae physicae ad illam infantes praedisponunt, quales ex. gr. sunt aetas valde progressa parentum, mala qualitas et deficientia victus, domus non salubres, absentia proprietatis personalis, defectus aëris et lucis etc. Scrophula affecti pueri saepius laborant etiam rachitismo, pellem habent pallentem, mucosas albidas, quod significat certam anemiam, frequenter inflammationibus connexivae (I, 139 *a*) afficiuntur et plus minus totum corpus abundat adipe. Quod vero speciale in scrophula habetur, sunt ganglia lymphatica, praesertim colli, quae tumefiunt, absque doloribus; quorum finis est suppuratio, nisi chirurgus operatione hanc praeveniat. Scrophula potest etiam secumferre, accedente phthisis baccillo, ulcera (*scrophuloderma*), nonnullos morbos aurium et oculorum, ossium inflammationes et plures alios morbos gravissimos, quales ex. gr. albuminuriam, tuberculosim cerebri et pulmonum. Scrophula potest afficere pueros a primis vitae mensibus usque ad secundum et tertium aet. annum; et consequentiae persistunt tota vita.

---

1 Cazalis, *La Science et le Mariage*, Paris 1900, pag. 23 et ss.

2 Seraine, *Codice della generazione*, Roma 1897, p. 277.

349. *Phthysis* seu *tuberculosis* item haereditarius est morbus, qui valde diffusus est in praesenti et quamplurimi ob eam moriuntur; immo numerus mortuorum ob phthysim computatur esse septem super decem in genere humano; in Gallia, ex. gr. circiter 150,000 quotannis hoc morbo pereunt, iuxta doctorem Cazalis [1]. Phthysis corripit individuum, et, cum sit haereditaria, afficit etiam speciem. Causa sunt nonnulla minima organisma viventia, quibus nomen est *bacteria* vel *baccilla* a Koch dicta, quae valde diffusa in aëre sunt quaeque per respirationem in pulmones transeunt, ibique possunt se se evolvere, nisi robur subiecti eorum evolutionem impediat. Possunt etiam cetera corporis organa pervadere pluresque tuberculoses efficere; tuberculosis vero pulmonaris maxime frequens est, cum magis directe bacteria in pulmonibus penetrent cum aëre. Phthysis est *contagiosa* et contagium locum habet praesertim per salivam emissam a morbo infectis super terram vel pavimenta cubiculorum, quae, postquam exsiccata evaserit, in aëre diffundit bacteria ob motum aëris ipsius vel personarum. Attamen, ut tuberculosim quis accipiat, non sufficit tantum ut bacteria in pulmonibus penetrent, quia tunc omnes hoc morbo affecti essemus, sed requiritur, ex parte subiecti, quaedam praedispositio ad phthysim, quae praedispositio habetur per haereditatem a parentibus acceptam et debilitationem physiologicam causa malae et insufficientis nutritionis, quae ortum ducit a difficultate se se nutriendi ob particulares alios morbos, ex deficientia cibi, defectu aëris puri, praegnationibus repetitis, febri typhoide, diabete, alcoolismo, malis affectionibus spiritus etc. Ordinarie tuberculosis communis hominem afficit post pubertatem a decimo octavo aet. anno usque ad trigesimum; omnis aetas tamen potest incurrere morbum, qui potest plures menses perdurare, cuius exitus ordinarius est mors vel post paucas hebdomadas mortem item adducere. Etsi, iuxta nonnullos DD., hic morbus curari et removeri possit, praesertim per abundantem alimentationem (hypernutritio) et nonnulla medicamenta et vivendo in locis, ubi aër purus et balsamicus est, immo etiam sponte possit abire, quamvis sat raro, tamen mortalitas est terribilis, cum hoc morbo affecti nequeant diligenti et continuatae curae medicorum, ob paupertatem aut alias causas, se se subiicere. Iam, quoad spectat ad haereditatem, etsi pater tuberculosus possit, iuxta

---

[1] Cazalis, *Op. cit.*, pag. 51.

nonnullos doctores, inficere fetum per nemaspermata, quae haberent baccilla, quae transeunt ad fetum directe, et mater tuberculosa possit habere ovulum cum germine phthysis, tamen potius tenendum est, regulariter, non transmitti a parentibus germen ipsum morbi, sed gravem immutationem organicam, scilicet maximam debilitatem vitalem, causa toxinarum [1], quibus abundant parentes, ac ideo maximam facilitatem morbum ipsum contrahendi qualibet causa, etiam levi, quae aliis sanis minime noceret. Hinc nati a phtysicis frequentissime aegrotantur morbis laryngis, bronchiorum et pulmonum, et, ob deficientiam congenitam resistentiae organicae, cito in tuberculosim incidunt.

350. Tuberculosis vero matris gravior est quam tubercolosis patris ob rapidum progressum morbi causa praegnationis et lactationis; et, ob deficientem aptitudinem ad vitam, quamplurimi fetus pereunt in utero aut paullo post ortum.

351. Ceterum plures et gravissimi morbi comitantur filios phthysicos aut ad phthysim praedispositos, ut inferius videbimus.

352. Hinc maximi interest ut apertis oculis parentes et filii agant, cum res est de matrimonio ineundo. Si in uno, vel a fortiori in utroque sponso, tuberculosis est *certa,* quae certitudo ceterum facile comparatur per examen sputorum microscopicum, matrimonium omnino dissuadendum est quantum fieri potest; damna enim secutura innumera sunt pro coniugibus et prole nascitura. Si matrimonium iam initum fuit et tuberculosis apparet certa, quid agendum relate ad usum coniugii, infra dicemus. Si demum tuberculosis *dubia* est, sive ratione haereditatis, sive quia videtur aut putatur tuberculosim curatam et remotam fuisse, necessarium ducimus consilium medici, qui in casu consilium dare potest quid sit de huiusmodi statu et quaenam pericula adesse possint in matrimonio contrahendo. Certo nulla adest lex irritans matrimonium horum infelicium; at recta prudentia et publicum bonum certo etiam postulant ut mala consectaria ex contagio tam frequenti omnibus modis impediantur, saltem quantum fieri potest.

353. Alius morbus gravissimus, qui nullam curam specificam

---

[1] *Toxinae* sunt venena, quae bacteria in corpore conficiunt, causa eorum processuum vitalium. Vis veneficii toxinarum pendet a natura bacteriorum ipsorum; in fere omnibus morbis *ex infectione* inventum est germen pathogenum, causa morborum ipsorum.

adhuc habet, est *cancer*, in praesenti adeo frequens, praesertim in mulieribus. Consistit in formatione texti, quod indefinite evolvitur, et ortum ducit vel a particulis textorum embryonalium vel a fermentis specialibus, quae dicuntur *blastomiscetes*, corporis texta comprimit, donec atrophia haec afficiuntur, et tumor adducit ulcera omnino incurabilia, semper mortalia; nam operatio chirurgica ablationis tumoris, quae adhibetur praesertim si sero fiat, non impedit recidivam, quae mortem paullo post certo adducit. Singula organa corporis possunt cancro corripi; sed praesertim apparet in labiis, stomacho, hepate, uberibus et utero. De natura huius morbi usque in praesens fere nihil certi noscitur. Certum tamen est per haereditatem transmitti ad filios saltem ad hunc morbum propensionem vel melius praedispositionem, quod constat ex quotidiana praxi et ex operationibus, quae in nosocomiis peraguntur. Dein notetur quod stimulus quicumque localis aut generalis sufficit ut in textis praedispositis provocetur ortus morbi.

354. Eo modo, quo praefati morbi possunt transmitti ad sequentes generationes, ita etiam omnes morbi *nervorum* a simplici nervosismo usque ad hysteriam, epilepsiam, idiotismum et mentis alienationem, iuxta Delage, transmitti possunt [1].

355. Demum notandum veteres et recentes statisticas certo probare etiam *intelligentiam* et *bonas qualitates morales* transmitti ad filios per generationem.

356. Item *conatus ad crimina* recentes statisticae probant eodem modo transmitti. *Alcoolismus* ipse parentum quam maxime nocet filiis, qui nascuntur cum omnibus effectibus veneficii alcoolici, et praesertim cum affectionibus etiam gravibus nervorum, cum monstruositatibus ob anomaliam evolutionis et inaptitudinem ad vitam et cum maxima facilitate contrahendi morbos ex infectione; immo saepissime fetus pereunt in utero aut paullo post ortum. Filii alcoolicorum facile laborant microcephalia, hydrocephalia, imbecillitate mentis, idiotismo, pluribus psychosibus seu morbis spiritus, impulsu ad crimina, hysterismo, debilitate voluntatis, depravatione characteris etc. (cfr. I, 455 et ss.).

357. Quae hucusque diximus de haereditate, satis ostendunt quantum attendenda sint omnia haec, ut ex matrimoniis optimi in omnibus

---

[1] Delage, *Op. cit.*, pag. 212.

effectus sequantur, et quomodo nupturientes non nimis debent curare externum aspectum compartis, quae celare potest formas morbosas haereditarias, quae, cum erumpunt, miserabilem et infelicem reddunt eorum vitam coniugalem eorumque liberos acerrime vexant aut praematura mors aufert; parentes studere debent ut futuri sponsi, praeter bonitatem moralem, nulla haereditaria labe inficiantur, quod nosci potest examinando statum physicum et moralem genitorum eorumque atavorum. Procul dubio, si omnia haec prae oculis haberentur cum agitur de matrimonio, nec tot incommoda et calamitates familias affligerent, nec quamplurimis vita coniugalis intolerabilis evaderet, nec tanta haberetur in natis debilitas et inaptitudo ad vitam, qui hac ratione saepissime nonnisi ad breves dies vel horas in hoc mundo apparent pluribus morbis iam affecti ac dein, miserrime et tot doloribus physicis vexati causa parentum, moriuntur [1].

358. *De aetate contrahentium.* — Notum est iure canonico statui annum decimum et secundum pro femina, ut possit nubere, cum scilicet circiter hoc tempus acquirat aptitudinem generandi, cum tunc ordinarie menstrua incipere soleant.

359. Haec aetas potest appellari aetas *a iure,* quia cum hoc tempore, generatim loquendo, feminae ordinarie fiant habiles ad generationem, ius eis matrimonium permittit. Sed potentia seu aptitudo ad generandum, physiologice spectata, duo elementa consideranda praebet, h. e. 1° *aetatem,* quae indicat *de facto* capacitatem generandi praesertim per menstrua cognoscendam, 2° *corpus* physice bene evolutum. Quoad *primum,* notamus, quod, etsi plerumque anno decimo tertio vel decimo quarto incipere menstrua soleant, tamen hoc tempus multum variabile esse constat, iuxta indolem mulieris, habitationem ruri vel in civitate, bonam aut malam vitam, lectiones habitas honestas vel turpes, constitutionem sanguineam aut lymphaticam, temperaturam loci, cum menstrua locis calidioribus praecedant, frigidioribus vero sequantur aetatem supra dictam etc. Insuper in memoriam revocandum est, aliquando menstrua habita fuisse 12°, 17°, 18°, 19°, 20° aetatis anno, immo etiam in primo et secundo vitae anno [2]; in In-

---

[1] Quoad haereditatem, praeter tractatus de physiologia et pathologia, et Delage supra citat. cfr. Lucas, *Traité philosophique et physiologique de l'heredité naturelle à l'état de santé et de maladie,* Paris 1850; Richard *Des rapports coniugaux,* Paris 1898, p. 222 et ss.; Seraine, *Codice della generazione,* Roma 1897, p. 249 et ss.; Guinard, *Précis de teratologie* etc., p. 19; Garnier, *Op. cit.,* passim.: Cazalis, *Op. cit.* fere totum opus.

[2] Cuzzi, *Op. cit.,* P. I. pag. 125.

dia etiam 30°-47° anno; in Europa septentrionali media aetas primi menstrui est quindecim annorum. Item habitae fuere praegnationes, etsi modo exceptionis, 9°, 10°, 11°, 12° aetatis anno, immo etiam octavo aet. anno. Ex his deducitur, pro praxi, non posse agi *ordinarie* de impotentia, respectu aetatis absolutae, nisi considerentur menstrua; *ordinarie* dicimus, quia potest haberi potentia generandi etiam deficientibus menstruis, cum ovulatio haberi possit etiam absque menstruis (I, 210).

360. Quoad *alterum* elementum physiologice considerandum, ut ex matrimonio optimi effectus consequantur, evidens est corpus coniugum debere esse plene evolutum, robustum, physice sanum, adeo, ut possint fortem ac sanam prolem gignere. Alias non pauca incommoda coniugibus et liberis secutura facile erunt. Notum est enim, generatim loquendo, robur infantium sequi robur parentum, eodem modo quo parentum imbecillitas, physicae anomaliae et morales qualitates transmittuntur haereditate pueris. Si genitores nondum assequuti sunt perfectum augmentum corporis, quod post vigesimum aet. annum contingere solet, et nondum fortitudinem praesertim nerveam adepti sunt, quomodo ex eorum corporibus debilibus poterit fortitudo ac optima valetudo ad filios pervenire? Saepe in his conditionibus physicis generati ante pubertatem moriuntur; et si fit, ut hanc ipsi consequantur, multi morbi frequenter illos comitantur, inter quos generalis debilitas, anormalis evolutio corporis, anemia, chlorosis, magna sensibilitas nervorum, imbecillitas mentis etc. Haec de *muliere*.

361. Quod spectat ad *virum*, ius canonicum statuit tempus quatuordecim annorum aptum ad nuptias, quo tempore ordinarie incipit pubertas; at, physiologice, pubertas virilis habetur cum testes incipiunt conficere semen, h. e. a decimo tertio ad decimum sextum aet. annum (I, 188). Etiam pro viro oportet expectare tempus, quo corpus plene evolutum sit, quod contingit post vigesimum aet. annum, ut ex matrimonio veniant boni effectus, tum relate ad coniuges, tum relate ad prolem, nisi graves rationes contrarium suadeant.

362. Insuper, tempore pubertatis, notum est in utroque sexu oriri prima incitamenta instinctus sexualis, ob quae naturaliter fit, ut mulier ad virum tendat et versa vice. Hoc tempore maxime vigilandum est Confessariis, ut omnibus adhortationibus, consiliis et praesertim frequentia actuum pietatis et Sacramenti Poenitentiae et Eucharistiae adolescentes et puellas suadeant, ut ad hos primos sensus

animum non apponant et mentem ac spiritum alio divergant, mentem optimis lectionibus distrahant, opere, labore, recreationibus honestis, ambulando, ludendo, frequenter vacent, quia, hoc tempore, nisi occupatio distractionem mentis ferat, et si iuvenes in his motibus carnalibus insistant, facillime plura vitia contrahunt et, quantum in eis est, matrimonium inire conantur ante aetatem convenientem, vel viri mulieres publicas adeunt, ut communis est casus, praesertim in magnis civitatibus, in quibus iuvenum marium syphilis adeo frequens est. Haec matrimonia praematura saepe malos consequuntur effectus in ipsis coniugibus, qui tunc nimio ardore et nimia fequentia actu coniugali utentes, debilitatem, exaltationem nerveam ac languorem ex hoc referre facile possunt; et si forte prolem obtineant, haec aegrotans, debilis, scrophulosa non raro evadit. Hac causa repetendae etiam sunt malae praegnationes, partus et tempora puerperii difficiliora et impossibilitas lactationis. Et res aliter habere se non potest, quia corpus utriusque suas vires necessarias nondum habet, ex quo debilitas facultatis generativae in utroque, et fetus, cum non possit aptam et sufficientem nutritionem ex utero matris habere, facillime abortu perit, ut experientia testatur.

363. Item Confessarius, nisi iustae et graves adsint rationes, numquam de matrimonio ineundo consilium dabit, quum aetas utriusque nimis differens sit, ut evenit in muliere adhuc puella et viro sene aut vice versa, quia proles, si concipiatur, multa incommoda pateretur et saepissime adulteria haec matrimonia comitantur.

364. *De consanguineitate.* — Si multa incommoda afferunt matrimonia ante aetatem convenientem inita, multo maiora adducunt matrimonia inter consanguineos, nisi perfecta physica valetudine gaudeant, quod valde difficile in praxi contingit. Generatim loquendo, in matrimoniis consanguineorum pericula pro prole graviora sunt, quo propior est gradus consanguineitatis, cum matrimonia inter avunculum vel patruum et neptem, materteram et nepotem, consobrinos et consobrinas nonagies super centies noceant proli; ad tertium gradum et ultra pericula minuunt. Damna prolis, quae ex his matrimoniis proveniunt, ex experientia, sunt: conceptiones imperfectae, partus praematuri, fetus monstruosi, praedispositiones ad morbos systematis nervei et praesertim ad surdo-mutismum, hysteriam et epilepsiam, parva evolutio facultatum mentis, magna mortalitas infantium, scrophula, tuberculosis et albinismus. Insuper, si in parentibus nonnulla aderant germina morborum, facillime ad filios hae-

reditate transmittuntur, aut matrimonia sterilia evadunt aut filii aegroti plerumque nascuntur [1].

365. Ratio intrinseca horum malorum non constat; tantum ex continuata experientia docemur quo maiorem esse diversitatem sanguinis in coniugibus, eo meliorem ac robustiorem prolem oriri et oppositum locum habere pro nimia eorum propinquitate. Item si coniuges sint ambo eiusdem temperamenti et characteris physici varia incommoda prolem ordinarie sequuntur, quae locum non habent si magna adest disparilitas et etiam earumdem qualitatum oppositio; ita ex. gr. ex duobus lymphaticis infans lymphaticus ac multis morbis propensus, ex duobus, in quibus sanguis praevalet, infans eiusdem sanguinei temperamenti oritur. Tamen videtur natura ipsa ad hoc providisse, cum ordinarie, naturali instinctu, puella delicatula et lymphatica virilis iuvenis amore capiatur, iuvenis ex flavo capillo amore puellae e capillo nigro, puella parva statura amore viri ex alta statura etc. Tamen notandum, ut iam diximus, huiusmodi instinctum saepe suffucari a parentibus, qui in matrimonio ineundo aliis extrinsecis rationibus moventur, quam voce naturae. Si tamen in characteribus physicis magna differentia requiritur, oppositum in characteribus moralibus necessarium est, ut pax, concordia et mutuus amor diu perduret.

366. Ceterum notum est consanguineitatem in linea recta dirimere matrimonium *indefinite* in quocumque gradu; in linea vero collaterali seu obliqua usque ad quartum gradum inclusive, et Ecclesiam, in hac linea, numquam dispensasse in primo gradu, rarissime vero in secundo ob graves rationes [2]. Haec dispositio iuris ecclesiastici perfecte cohaeret doctrinae physiologicae et valde necessaria est; nam Ecclesia, hoc modo, non tantum providet honestati et pudori consanguineorum, sed quam maxime attendit bonum civilis societatis, cum nonnisi inter extraneos coniugia praescribat, quibus et fecunditas uberior est et pessima consectaria matrimoniorum cum consanguineis praecaventur.

367. *De diversitate conditionis.* — Nisi iustae et graves adsint causae, non sunt ordinarie nimis probanda matrimonia inter divitem

---

[1] Ziino, *Op. cit.*, vol. I, pag. 287; Garnier P., *La stérilité* etc., pag. 97 et ss. et *La Generation universelle* etc. pag. 361 et ss.; Sebregondi-Ceriani, *I matrim. tra consanguinei*, etc. Firenze 1888.

[2] Cfr. De Luca, *Praelectiones iur. canon.*, Romae 1898, *De rebus*, n. 160.

et pauperem inita, quia ex his matrimoniis proles debilitatur, concordia coniugalis et institutio prolis gravia detrimenta capere potest, cum natura, mores, indoles unius nimis discrepet a qualitatibus physicis et moralibus alterius coniugis, iuxta diversam eorum educationem habitam, et saepe huiusmodi matrimonia gignunt fastidium, negligentiam, odium etc.

368. Idem sentiendum de matrimoniis *ex convenientia* appellatis, in quibus unice intenduntur opes, divitiae, honores, nobilitas etc.

CAPUT VIII.

DE USU MATRIMONII

369. Antequam quaestiones de usu matrimonii attingamus, cum ordinarie apud recentes coniuges magna inveniatur ignorantia, ex qua saepe quaestus, afflictiones, dolores oriuntur, quia fere omnibus his suasum est, peracto matrimonio, posse copulam exercere quin aliquid cavere debeant, utile ducimus sequentia notare, ut ex usu matrimonii ii effectus veniant tum coniugibus, tum proli, quos natura per matrimonium intendit.

370. Viro suadendum est ut omni cura studeat, ne mulier unquam sensus pudoris et verecundiae amittat; pudor enim et verecundia debent perfecte consistere cum usu matrimonii. Hinc oportet ut coniuges, sine rationabili causa, turpes sermones, obscaena verba, immorales lectiones numquam sibi permittant; sensus enim gentiles ac delicata sensibilitas mulieris et praesertim eius verecundia multum detrimenti pateretur; obsequium, amorem, affectionem, quae ante matrimonium habebantur et ambos felices efficiebant, omnino conservent opus est in vita coniugii; animus pudicus et mens aliena a turpibus in muliere decor est ac columna firmissima prosperitatis ac salutis familiae. Omnes actus, verba aut quidquid turpe, non necessarium, paullatim cor mulieris corrumpunt, amorem mutuum minuunt, statum matrimonialem aggravant; ex quo frequenter oritur ardor libidinis, negligentia in rebus domesticis, discordia, absentia mutui amoris, proditiones et adulteria. Hoc praesertim viri ante oculos ponendum est, cum ex eo, fere semper, omnia mala indicata procedant.

371. Hortandi sunt coniuges, praesertim recentes, ubi casus aderit, ne copulam ineant ex quacumque levissima causa vel ludu, sed

tantum quum eius necessitatem aut sufficientem rationem utilitatis habent. Amplexus enim frequentiores multa mala afferunt, ut supra de impotentia et sterilitate recensuimus.

372. *Itinera,* quae nuptiarum causa statim post matrimonium fiunt, non sunt laudanda, immo dissuadenda, quantum fieri potest, quia cum omnibus excitationibus physicis et moralibus ex copula exortis, coniunguntur incommoda itineris, quae possunt etiam abortum inducere.

373. *Status physicus et moralis et hora* ad copulam habendam nullo modo sunt res negligendae; status enim animi parentum in copula multum influit in qualitates physicas et morales prolis. Ita concepti in ebrietate, praesertim ex parte patris, sunt saepe satis proclives ad alienationes mentis, ad amentiam et scrophulam. Status animi debet esse tranquillus, non gravibus cogitationibus aut sensibus odii, iracundiae exagitatus; et in copula non debet tantum prae oculis satisfactio carnalis haberi, sed cogitatio quod in illo actu completur per parentes maximum officium, quod natura ipsis credidit, scilicet subministrare elementa ad novam creaturam conficiendam ad aeternam coeli gloriam destinatam. Si haec prae oculis a coniugibus habentur, omnes meliores effectus ex copula retrahuntur; quum vero copula nimio ardore et quodam instinctu brutali peragatur, praeter alias malas consequentias, etiam nimia defatigatio corporis, ob nimiam vim nerveam deperditam, consequitur.

374. Quamvis insuper copula obtineri possit quavis diei hora, tamen *horae matutinae* videntur esse physiologice consulendae, cum corpus tunc melius se habeat ob reparationem virium in sommo peractam; animus ipse etiam favorabiliores conditiones praebet.

375. Sane valde lugendum est quod in actu copulae tantum quaeratur voluptas carnalis et nullo fere modo cogitatio feratur ad effectum, quem natura per coitum intendit. Ordinarie loquendo, dici potest formationem novi hominis non dirigi ratione, sed casu, et coniuges nullam curam habere ut soboles gignatur fortis et in omnibus sana. Et nil aliud affert funestiores consequentias proli, quam status physicus et moralis parentum tempore coitus. Certum est, physiologice, nonnulla esse tempora, quibus copulae vacari potest et tempora, quibus oporteret a copula abstineri; tale tempus abstinendi, ex. gr. esset convalescentia post graves morbos ex infectione nondum perfecta, vel cum morbus nondum omnino disparuit, convalescentia ex gravibus morbis, qui magnam debilitatem afferunt, chlorosis et ane-

mia graves, et omnes illi corporis status, qui secum habent magnam diminutionem virium aut nervei systematis debilitationem. Actus copulae maximi momenti est iuxta naturae rationem; per ipsum enim nova conficitur creatura; et ea ratione, qua officia maximi momenti requirunt diligentem ac rationalem praeparationem, ut prospere eveniant, ita actus copulae deberet maximam praeparationem postulare ex parte coniugum, ut status animi et corporis tales essent, quales necessarii sunt ut proles physice et moraliter sana concipiatur, ne postea ipsos poeniteat concepisse cum vident infantes a se natos plurimis morbis vel anomaliis corporis et mentis affectos, vel ad morbos valde praedispositos, ea tantum de causa quod copulam male perfecerint; neve liberorum querelas audiant, qui conditionem valetudinis et infirmum corporis et animi statum negligentiae et brutali instinctui parentum tribuere possunt. Iterum dicimus statum coniugii requirere convenientem praeparationem ad tantum opus, quae per aptam tantum educationem moralem et religiosam comparari potest.

376, Nisi iustae adsint rationes, non est probanda ratio, quae in *nobilioribus familiis* invaluit, qua coniuges separate vivunt, non tantum lecto, sed etiam cubiculo, et copulam peragunt sub die, in *sofà*, scamno aut quocumque alio loco simili. In hoc enim casu facillime domestici possunt de copula suspicari et curiositate aut malitia permoti rem observare; amor mutuus coniugum facile deficit et lata potest patere via crimina coniugalia perpetrandi ab utroque.

377. *In familiis pauperioribus* vero oppositum saepe locum habet; frequenter enim in eodem cubiculo aut etiam in eodem lecto dormiunt coniuges cum filiis, coram quibus copulam agunt; filii et praesertim adolescentes mares, de actu coniugali iam edocti, facillime somnum simulant, ut commodius copulae parentum assistere valeant. Nemo est qui non videt quanti scandali et peccatorum pro filiis ferax haec ratio utendi matrimonio sit; ex hoc enim repetendi sunt saepe incestus inter fratres et sorores, tactus impudici inter eosdem, mansturbatio et causae immoralitatis et malae vitae. Absolute Confessarius reprobare debet huiusmodi usum coniugibus, et omnibus rationibus his suadere, ut copulae vacent tantum in absentia filiorum et nullo modo falli sinant eorum somno, dummodo adhuc in tenerrima sint aetate, in qua pluribus continuatis horis vere dormiunt; et hoc etiam cum maxima cautela.

378. *Lotiones vaginales*, quibus mulieres ad servandam proprietatem genitalium utuntur, non sunt faciendae, nisi saltem duodecim

post horas a copula [1], quia, alias, semen deperditur cum emissione lotionis adhibitae vel vita perimitur et dein deperditur, iuxta naturam lotionis, quod fecundationem omnino impedit, et, si ita fiat ad vitandos liberos, esset peccatum grave onanismi.

---

[1] Surbled Dr. G., *La Morale dans ses rapports avec la Méd. et l'hygiène*, Paris 1891. p. 71.

CAPUT IX.

DE CIRCUMSTANTIIS COPULAE

A. — De situ coniugum.

379. S. Alfonsus [1] cum Auctoribus habet: « Situs naturalis est ut mulier sit succuba et vir incubus; hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis et receptioni in vas femineum ad prolem procreandam. Situs autem innaturalis est, si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel praepostere more pecudum, vel si vir sit succubus et mulier incuba ». De situ innaturali docent theologi esse tantum veniale, dummodo non peragatur ex prava concupiscentia, sicut ex. gr. ex affectu bestialitatis, sodomiae, aut huiusmodi congressus habeatur tantum ex voluptate, excludendo scilicet fine prolis; iusta vero accedente causa, nullum est peccatum. Tota ergo ratio situs naturalis est in faciliorem immissionem seminis in vaginam et proinde in generationem facilius obtinendam.

380. Certo copula in situ naturali perfectior est, quam in situ innaturali; attamen et alii modi coëundi, innaturales appellati, eiusdem sunt effectus quoad fecundationem, cum et multos populos conspicimus his uti etiam exclusive; ita ex. gr. in Sudan et apud Esquimenses et Konjagos et in Australia coitus fit praepostere, more pecudum, apud Kamsciadales, Nigros Loangi, Tschiutscios et Namollo fit ex latere, et generationi semper providetur. Praeterea quum coniuges situm mutant, semper aliquam rationem habere supponitur, etiamsi plenioris voluptatis tantum, et, dum finem generationis non

---

[1] S. Alfonsus. *Op. cit.*, l. 6, tract. 6, n. 917.

excludant, in praxi ne veniale quidem erit. Neque ad hoc obstare potest quod aliquid seminis extra effundatur, tum quia seminis, quod 1-6-8 gram. in iaculatione emittitur, etiam parva quantitas, quae in vaginam introducitur, satis est ad fecundationem, quum plura millia nemaspermatum contineat; tum quia, illud quod extra effundi potest, per accidens supponitur fieri, cum coniuges in huiusmodi copula nihil agere velint, ut semen ex industria extra effundatur. Ceterum copula stando, ex latere vel praepostere aut si vir sit succubus et mulier incuba optime perfici potest quoad generationem, sicut in situ naturali; sedendo vero, puto, non ita, quamvis sat habeatur ad generationem.

381. Ratio *physiologica,* cur in mutatione situs finis generationis obtinetur, in hoc consistit, quod ad fecundationem unum tantum nemasperma (I, 188) satis est ad fecundandum ovulum, et in iaculatione semper plura millia emittuntur; quando ergo aliquid seminis in vaginam penetrat, ob motum proprium nemaspermatum, haec progrediuntur usque ad uterum, ad tubas et ovaria; eo magis quod eorum vitalitas per plures dies (I, 213, 3°) perdurat, et, si in ovulum occurrunt, fecundatio sequitur. Dein, peracta iaculatione et cum vir recesserit, ordinarie semen semel infusum in vaginam, non amplius emittitur, quum, tunc, parietes vaginales ita inter se cohaerent, ut vicissim se tangant, ex quo magna difficultas exitus; immo, etiamsi pars aliqua ob speciales conditiones vaginae extra emittatur, illud quod remanet adhaerens mucosae et plicis vaginae, semper multo abundantius est quam necessitas fecundationis requirit.

382. Hinc, cum ex mutatione situs, generatio non impediatur, sufficit quaevis etiam mediocris rationabilis causa, quae veniale omnino tollat.

383. Immo aliquando *mutatio situs necessaria* esse potest, ex. gr. in variis anomaliis positionis uteri (anteflexionis, retroflexionis etc.), vel si alias aliquod periculum aut incommodum timeatur, ex. gr. in periculo abortus ex copula primis hebdomadis praegnationis habita, si vir sit nimis pinguis aut e modis rudibus, si defatigatio sit nimis grandis, si mulier in abdomine aliquo morbo aut tumore laboret, si mulier aut vir sint curvi, si aliter non possent copulam perficere ratione frigiditatis, si mulier sit nimis gracilis aut aegrotans, si penis sit curvus aut longitudine minime evolutus etc.

384. Si tamen mutatio situs per se non obstat fecundationi, quoad *valetudinem* vero non eiusdem est effectus; nam, ex sententia me-

dicorum, si vir sit succubus, in coitu magnam defatigationem ipse patitur, incommoda cerebralia et etiam haemorrhagiae uretrales sequi possunt; stando vero, multo graviores effectus oriri queunt, quales ex. gr. dolores in renibus, macies, atrophia crurum, paralysis etiam perfecta cum immutatione anatomica partis inferioris medullae spinalis, ut ex autopsia aliquando cognitum fuit.

B. — DE TEMPORE MENSTRUI.

385. Duplex fluxus sanguinis in muliere distinguitur a theologis, quorum alter semel quolibet mense locum habet, ut supra (I, 201 et ss.) vidimus et menstrua constituit, et est perfecte physiologicus; alter vero, quem appellant *fluxum extraordinarium*, ob quem mulier gravi haemorrhagia laborat, qui etiam diu perdurare potest; haec haemorrhagia oritur ex causa morbosa, quae in organis generationis sedem habet, uti fit ex. gr. in *menorhagia* et *metrorhagia*, ex malo coitu, ex catharrho uterino, ex morbis ovariorum aut sanguinis; producitur etiam in *polypis fibrosis et fibromiomis uterinis* etc. Hic, ut patet, res est de veris morbis, qui cura medica omnino indigent.

386. Quoad copulam tempore menstrui habitam, theologi tradunt esse veniale ob quamdam indecentiam, quae tunc invenitur; aliqua vero accedente causa rationabili, nullum esse peccatum. Copulam vero habitam tempore fluxus extraordinarii licitam declarant, quia, cum fluxus multum perduret, abstinentia viri ab usu matrimonii esset nimis diuturna et gravis.

387. Quoad hanc doctrinam, notamus: certo copula tempore menstrui habita nonnullam indecentiam prae se ferre videtur; tamen ratio a theologis allata, scilicet quia hoc tempore mulier non potest retinere semen ac proinde minus generationi provideri potest, (S. Alf. l. c.) non videtur magni facienda; nam (I, 219 et ss.) mulier fecundari potest quocumque tempore, quod intercedit ab una menstruatione ad alteram et aliquando tempore menstruationis potest fecundatio facilior evadere. — Alia ratio vero, quam ipsi afferunt, sci-

---

[1] S. Alfonsus, Lib. 6, n. 925.

licet quod filii, si hoc tempore concipiantur, possint esse leprosi, vel monstruosi aut imbecilles, multo minus attendenda est; nam etiam alio tempore concepti possunt nasci imbecilles, et quidem ob alias causas, quae non sunt ob copulam tempore menstrui; at fetus leprosi et monstruosi inter fabulas reiiciendi sunt. — Item ratio petita ab iisdem Aa. ex sanguine menstruo, qui a natura eiicitur, utpote corruptus, multo minus etiam tenet. Sanguis enim menstruus eiusdem naturae et qualitatis est illius, qui per vasa corporis decurrit et corpus nutrit, ut ex analysi microscopica et chemica constat; ac proinde nullo modo infectus dici potest. Tempore, quo deerant notiones certae de natura menstrui, dici poterat sanguinem menstruum esse infectum et naturam per menstrua illo se exonerari. Cum vero in praesenti scientifice noscatur relatio inter ovulationem et menstrua, (I, cap. XIII), quae sunt res seu functiones perfecte physiologicae, de infectione huius sanguinis amplius dici non potest.

388. Physiologice vero inspecta copula tempore menstrui, dicendum ipsam afferre posse multa incommoda valetudini mulieris et praesertim graves haemorrhagias. Tota natura enim mulieris, et praesertim systema nerveum, causa ovulationis et menstrui, particulari statu afficitur et eius uterus sanguinis congestione iam laborat. Si igitur hoc tempore copula admittitur, ad omnes excitationes illorum organorum adduntur vehementes excitationes et motus copulae, quae valent quam maxime haemorrhagiam menstruam augere et dolorosam et diuturnam etiam efficere cum non parvis incommodis valetudini. Accedit etiam, quod, si fetus concipiatur, abortus occurrere potest. Qua re, si coniuges de his damnis admoneantur, facilius a copula abstinere valebunt.

389. Ceterum, quum copula habita extra tempus menstrui nunquam fecundationem attulit, potest etiam consiliari tentamen hoc tempore, ex consilio medici, qui varie pro variis casibus iudicare potest habita ratione temperamenti, status physici ac moralis, indolis mulieris etc.

390. Quando vero agitur de fluxu *extraordinario* res omnino aliter iudicanda est. Omnes illi morbi, ex quibus diuturna emissio sanguinis pendet, sub medico cadunt et graviter timeri potest fore ut copula morbum valde aggravet. Quapropter in omnibus casibus diuturnae haemorrhagiae, ad noscendum utrum copula noceat nec ne, iudicium medicorum attendendum est. Doctori Capellmann videtur

etiam, invito medico, copulam agere veniale et aliquando mortale evadere posse [1]; cuius sententiam omnino amplector, ob gravissima incommoda et pericula, quae exinde oriri possunt.

C. — DE TEMPORE PRAEGNATIONIS.

391. S. Alf. habet (lib. cit. n. 924) copulam tempore praegnationis habitam, dummodo excludatur periculum abortus, non posse excusari a peccato veniali, nisi adsit periculum incontinentiae vel alia honesta causa, quae, iuxta Gury [2], vix alioquin unquam abesse potest.

392. Hinc ergo, ut patet, inquirendum est quando adsit *hoc periculum abortus,* quod omnino illicitam reddit copulam. Generatim loquendo, dicendum est, ut paullo superius adnotavimus, fortes excitationes ac graves hyperaemias uteri, abortum inducentes, aliquando ex copula oriri, quando haec praesertim nimio ardore ac vehementia aut pluries, parvo interiecto tempore, ex. gr. nocte, peragatur. Insuper experientia constat multo gravius existere periculum abortus primis conceptionis mensibus, h. e. a secundo ad quartum mensem et nono mense [3]. Ceterum notandum non semper ex copula finem generationis obtineri; et, etiamsi hic revera obtineatur, cum id certo cognosci statim nequeat, non potest ob id copulam prohiberi. Abortus tamen hic obtineri frequentissime potest, quia contractiones, quae ex copula ortum ducunt, ovulum iam fecundatum ex membrana uterina solvere, et, cum parva copia sanguinis, eiicere valent, quin mulier id advertat.

393. Distinguendum deinde est inter mulierem fortem ac robustam et mulierem debilem ac ad abortum praedispositam; quae praedispositio pendet a nimia sensibilitate nervorum, ab anemia, a chlorosi, a nimia quantitate sanguinis, a nonnullis febribus acutis, ab inflammationibus ac hyperaemia uteri aut ex perturbationibus localibus ac generalibus [4], ac demum a repentinis affectionibus ac sensationibus receptis, ut fortis pavor, timor etc., quae motus reflexos (I, 166)

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 155.

[2] Gury-Ballerini, tom. II, n. 913, 2°.

[3] Pénard, *Guide pratique de l'accoucheur*, 1879, Paris, 5ª edit., pag. 85.

[4] Capellmann *Op. cit.*, pag. 157.

in utero excitant. Quo fit ut hisce casibus facilius, quam in ceteris mulieribus, abortus sequatur.

394. Ceteroquin haec praedispositio non facile dignoscitur; potest tamen sufficientem scientiam de ea haberi: 1° ex iudicio medici, qui ex complexu circumstantiarum actualium iudicare valet utrum periculum abortus adsit, nec ne; 2° quum mulier abortum iam passa est ex copula in praecedentibus praegnationibus, cum ipsius abortus nulla alia causa externa notari potuerit. Etiam hoc in casu, copula habita ob iustam causam veniale non excedit, puta ad concupiscentiam sedandam, cum de hoc periculo absoluta certitudo haberi difficillime possit. Qua re hisce in adiunctis, advertendi sunt omnes coniuges ne copulam renovent pluries eodem tempore, h. e. ex. gr. nocte, sed una vice contenti evadant, et non nimis vehementer aut impetu eam perficiant.

395. Quum vero agitur de muliere sana ac robusta, exceptis primis mensibus et ultimo, sat grave periculum abortus ob copulam timeri non posse videtur.

396. Quandoque tamen abortus oriri potest per causas externas directe agentes, quaeque necessariae scitu sunt pro praxi. Ex Capellmann potiores sunt: omnes motus et actiones aut concussiones, quae nimiam contractionem musculorum abdominis ferunt, saltationes in orbem, equitare, vectio in curribus per vias male stratas aut asperas, in via ferrea, suere per machinas pede movendas, movere aut efferre gravia pondera, voluntaria ac nimia coarctatio vestium circa ventrem. Dein advertendum est maximam parsimoniam vel melius perfectam abstinentiam necessariam esse in usu alcoolici potus, qui, cum cito per sanguinem in fetum trasvehatur, hunc illico occidere potest; item numquam, absque praescriptione medica, sanguis mitti debet, cum haec emissio maxime agat in inducendum abortum [1].

D. — DE TEMPORE PUERPERII.

397. Nonnulli theologi, qui videri possunt apud S. Alf. (lib. cit. n. 926) tradunt copulam hoc tempore habitam nullum constituere peccatum, quum immunditia, quam ceteri in hoc cernebant, sit tan-

[1] Capellmann, ibid., pag. 156 et ss.

tum materialis, non moralis; alii vero theologi dicunt esse veniale ob quamdam indecentiam, nisi iusta accedat causa, aut etiam mortale, si gravis morbus vel notabilis aggravatio morbi immineret, quando copula habeatur statim post partum, nempe eodem die vel sequenti. Ergo, pro praxi, copula licita censenda, iuxta theologos, dummodo non agatur tempore supra dicto aut grave damnum non afferat.

398. Tamen haec quaestio non tantum moraliter, sed et magis physiologice inspicienda est. Ubi de partu supra (I, 241) nonnulla exposuimus, adnotavimus conditionem valetudinis absolute particularem mulieris et quomodo gravibus incommodis subiaceat causa ipsius partus. Hic addendum est, quod labores et dolores partus, aliquando fere intollerabiles, fortis haemorrhagia, quae numquam abest, laceratio mucosae genitalium internorum, emissio placentae, fortes conatus ad expellendum fetum, perturbatio maxima generalis totius organismi, excitatio nervosa, conatus ad vomitum et omnia alia symptomata, partum comitantia, vires mulieris quam maxime debilitant ac exhauriunt, etsi mulier, peracto partu, quemdam sensum satisfactionis experiatur. Dolores partus praeterea possunt per paucum tempus aut plures dies perdurare, quamvis in primiparis tempus medium sit, sec. Veit, viginti horarum et in multiparis duodecim hor. Attamen omnia ista phaenomena, quae in non praegnantibus essent graviter morbosa, in his sunt perfecte physiologica seu normalia, etsi, ut recte notat Dr. Schröder [1], nonnulla observentur, post partum quae potius rationem habent morbi, quales sunt ex. gr. degeneratio naturae istologicae uteri, huius maxima exfoliatio et novae mucosae evolutio.

399. Organum, quod prae ceteris graves perturbationes et mutationes passum est et cui maxime attendendum, est uterus, qui, valde ex praegnatione amplificatus, paullatim volumen primitivum acquirere debet, quod perfectum omnino nonnisi dicendum est post sex hebdomadas. Magna est huic activitas hoc tempore, cum dici possit naturam fere novum uterum tunc conficere. Hoc transacto tempore, puerperale tempus finem habet et menstruationes denuo apparent, (si mulier suis uberibus infantem non alit, multo serius vero si ipsa lactet), quae menstrua indicant mulierem iam aptam esse ad novam

---

[1] Schroeder, *Op. cit.*, pag. 197.

praegnationem. Uterus, qui statim post partum 1000 gr. ponderis habebat, post primam hebdomadam 500 gr., post quatuordecim dies 350 gr. (etsi hic multae variationes sint) et tantum post sex hebdomadas normale volumen retinet, saltem quantum fieri potest; insuper primis diebus post partum uterus ordinarie anteflectitur et tantum paullatim ordinariam formam physiologicam assequitur.

400. Praeterea, etiam vagina fere pristinam amplitudinem assumere debet; ad haec accedunt purgationes, quae et *lochi* dicuntur, et consistunt praesertim in emissione sanguinis cum liquido seroso, muco vaginali et fragmentis epithelii localis, quae perdurant ordinarie fere usque ad quartam hebdomadam, si mulier alit infantem, et diutius si non alit, quamvis a decima quarta die et ultra purgationes minimae sint [1].

401. Ex dictis facile intelligitur, in tali statu mulieris, quamcumque etiam levem causam, quae secum ferat excitationem genitalium et nervorum, esse causam directam inducendi graves morbos et plura pericula et incommoda in eius valitudine. Qua re, excitatio maxima genitalium et nervorum totius organismi ex copula facillime augeret emissionem sanguinis, inflammationes et positiones vitiosas uteri. Omnia haec phaenomena et incommoda non tantum in debilioribus, sed etiam in robustioribus mulieribus fieri possunt, quum et hae ex labore et effectibus partus maxime debilitentur. Quapropter vir suaderi debet ut abstineat ab usu matrimonii, saltem primis duabus hebdomadis post partum; quod facilius obtineri potest, si de gravissimis incommodis et periculis mulieris admoneatur; ceterum experientia constat pericula semper adesse, usquedum organa generationis ad pristinum statum reducta sint. Tamen, toto tempore primas duas hebdomadas sequente, copulam agere, sine gravi ac rationabili causa, absque periculo (quod certo non adeo grave est) esse non potest.

402. Pro muliere, praesertim primis hebdomadis, optimum est quod debitum non petat, dummodo non laboret nymphomania puerperali. Et sane omnino brutalis et absque ratione dicendus esset vir, qui non commotus statu physico absolute particulari et gravi mulieris, quae cum patientia magnum opus naturae et fortes dolores

---

[1] Schroeder, *Op. cit.*, pag. 216, 219 et 220.

patitur, copulam attentare vellet, praesertim primis duabus hebdomadis. Concupiscentia, quae hoc tempore oriri potest, compescenda aut aliis modis licitis sedanda curetur.

E. — DE TEMPORE LACTATIONIS.

403. Communissime, ait S. Alf. lib. cit. n. 911, (theologi) affirmant licere. Et bene quidem, quia periculum inficiendi lac, ut nonnulli theologi aiunt, per copulam nullum omnino est. Ad haec, cum lactatio perduret fere duos annos, toto hoc tempore abstinentia ab usu matrimonii periculum sat grave peccandi coniugibus praeberetur. Toto hoc tempore insuper menstrua suspenduntur, quamvis aliquando durante lactatione reappareant; supra notavimus fecundationem hoc tempore esse difficiliorem. Si quis vero obiiciat, ob possibilem praegnationem, lactis diminutionem ac diluitionem defectum nutritionis sufficientis ac damni puero afferre, respondetur id nihil facere contra liceitatem copulae hoc tempore, tum quia sat difficilis et incerta est futura praegnatio, tum quia, etsi haec sequatur, vitae infantis iam nati aliter provideri potest, etiam nutritione artificiali aut nutrice venali.

404. Ceterum si praegnatio hoc tempore accedit, non statim agi debet de suspendenda lactatione matris, quia non paucae mulieres sunt, e robusta physica constitutione, quae possunt absque notabili detrimento nati et nascituri pergere lactationem; damnum enim mensurari debet ex mutatione quam patitur lac, ob quam puer non amplius potest ex huiusmodi lacte perfectum nutrimentum habere; hinc in singulis casibus oportet iudicare de necessitate suspendendi vel minime lactationem. (I, 486).

F. — DE TEMPORE MORBI.

405. S. Alf. (lib. cit. n. 950) habet: « Coniux non tenetur reddere debitum, si inde grave damnum vel periculum sibi vel proli merito timeat. Unde non tenetur sequentibus casibus:

1° Si illud petat maritus morbo contagioso laborans, v. g. gallico, peste, lepra (nisi tamen haec ante matrimonium fuerit cognita et non sit nimis gravis).

2° Certum est non teneri coniugem reddere debitum cum gravi periculo propriae vitae aut sanitatis.

3° Certum est coniugem non solum non teneri, sed nec etiam posse reddere cum gravi periculo suae salutis... Probabiliter tamen poterit coniux reddere alteri infecto, etiam cum periculo gravi propriae sanitatis 1° si proles sit necessaria ad bonum commune, 2° si coniux infectus petens esset in probabili periculo incontinentiae..., 3° si redderet ad vitanda magna dissidia, vel ad fovendum amorem coniugalem; et etiam ad vitandum periculum incontinentiae propriae, et tunc potest etiam petere... Haec tamen omnia intelligenda si morbus sit diuturnus et quasi habitualis, ut lepra, morbus gallicus, phthysis etc.; non vero si sit de illis, qui de brevi et facile solent mortem afferre, ut est infectio pestis aut leprae leoninae; 4° si coniux sanus possit praeservativis facile vitare contagium sive eius periculum ». (Cfr. etiam Gury-Ballerini n. 915, III; 916, 6°).

406. Uti patet, usus licitus matrimonii tempore morbi pendet a natura morbi ipsius, scilicet ab iis morbis, qui possunt damnum aut periculum affere coniugibus aut proli; hinc necessarium est nonnulla adiicere de his morbis, ut facile appareat, quid sentiendum ac tenendum in praxi.

407. In primis distinguendi sunt morbi in morbos *contagiosos* et morbos *non contagiosos*. Inter primos theologi ponunt *morbum gallicum* seu *syphilidem*, cui addenda est et *phthysis*, quae, ut notum est, contagiosa evadit. Duo hi morbi, et primus praesertim, cum frequentissimi in praxi sint, oportet ut Confessarius de his brevem scientiam habeat, ut recta consilia praebere possit.

408. *De syphilide.* Plaga maxima nostrae aetatis, gravissimorum ac horribilium consectariorum ferax in coniugibus et proli, est hic morbus. Ortum ducit ex receptione *viri syphilitici* specialis, quod brevi tempore totum corpus graviter afficit et ad alios facillime transmitti potest. Haec transmissio his modis fieri potest: 1° a persona infecta ad sanam directe aut indirecte; 2° a matre ad fetum sane conceptum, quae, tempore praegnationis per placentam inficitur, aut probabiliter vice versa fetus, a patre infectus, matrem inficere potest; aut demum 3° nemaspermata aut ovulum possunt iam virus continere, iuxta nonnullos DD., unde fetus in sua prima conceptione syphiliticus evadit (*syphilis haereditaria*), 4° in transitu fetus per vias naturales infectas. Etsi syphilis multis modis ad alios per contactum transire potest, modus princeps vero transmissionis

est copula, ob quam contactus partium perfectior est et leves scissurae mucosae genitalium aditum praebent veneno se commiscendi cum sanguine. Faciliores et communes viae transmissionis dein habentur ex osculis, ex lactatione infantium iam infectorum (cum ex eisdem uberibus alii infantes nutriantur, qui inficiuntur), ex circumcisione (cum peracta operatione, saepe operator, si est infectus, sanguinem ore sugens, morbum transmittit), ex ferris chirurgicis non bene sterilizatis, ex vaccinatione, ob quam pus ab infante infecto ad alios communicatur, ex usu obiectorum, quae iam personis infectis inservierunt, ex. gr. novacula, crateres ad bibendum etc.

409. Regula generalis huius morbi est quod potest transmitti ad quoscumque homines, cuiuscumque aetatis, conditionis ac varietatis.

410. Ob syphilidem *organa generationis* in utroque sexu in primis inficiuntur, postea paullatim omnia organa externa et interna corporis.

411. Statim ac, quovis modo, virus in aliquam partem corporis penetravit, nulla morbosa affectione homo illico afficitur (*tempus incubationis*); post vero decem aut ad magis triginta vel quadraginta dies pars infecta immutatur, et in loco infectionis apparet *parva vesicula*, quae facile rumpitur ob attritus et paullatim exstenditur. Hoc ulcus primum indicium est syphilidis, et potest oriri vel in praeputio, in ore uretrae et quocumque loco virus acceptum fuit. Paullo post vasa lymphatica membri obdurescunt et glandulae inguinum tumefiunt. Character huius periodi videtur esse morbus mere localis (*syphilis primaria*).

412. Tempore eruptionis, quo scilicet, cum virus in vasa lymphatica penetraverit et ex his in vasa circulationis sanguinis, totum corpus male afficitur; notatur febris, quam comitantur sensationes dolorosae, quae omnes corporis partes, ut ossa, articulationes, musculos, nervos, etc. afficere possunt; primum locum tenent capitis dolores, qui aegrotos vehementer vexant, dolores rheumatici in articulationibus, in musculis, augmentum sudoris tempore noctis, absentia somni ex irritatione nervea consequente et anemia; ad haec, apparent eruptiones in pelle corporis, quae consistunt in parvis maculis rubris, ordinarie rotundis, cuius numerus sat variabilis est; aliquando, et praesertim in capite, vera ulcera syphilitica apparent, ob quarum secretiones capilli coalescunt.

Ad effectus syphilidis accedit defluvium capillorum (*alopecia*),

qui, ob defectum nutritionis, pauci fiunt, et, tantum rarissime, omnino cadunt, calvitie tunc occurrente. Etiam ungues manuum et pedum decidunt et saepe vera ulcera ibi efformantur.

413. Eodem modo, quo partes externae corporis hoc morbo graviter afficiuntur, etiam mucosae internae item aegrotant. In primis notandae papulae (*placche*) mucosae oris et praesertim labiorum ac linguae, quae tumefit, ugolae, palati et tunsillarum, quae omnes affectiones *anginam syphiliticam* constituunt; accedit etiam laryngites et pharyngites, quae esse possunt etiam sedes ulcerum, quae texta destruunt, secum ferentes amissionem, aliquando etiam perfectam, vocis. Oculi ipsi, scilicet eorum iris, potest gravi inflammatione laborare (*irites syphilitica*). Dein eisdem eruptionibus obteguntur genitalia mulieris externa, mucosa nasalis et laryngea et illa organorum genitalium internorum, et trachaeae et bronchiorum et intestinorum. Omnia haec magnos dolores patienti afferunt (*syphilis secundaria*).

414. Ex effectibus syphilidis horribilioribus notatur perforatio palati ob ulcera (ital. *gomme*) hic efformata, quae, nisi cito curentur, destructionem fere totius palati et ossium nasi adducere possunt ita, ut cavitas nasalis, oralis et faryngis unum spatium efficiant et facies ac os horribili modo deformentur; secretiones ex his exortae gravissime fetent; vox ipsa debilitatur.

Ossa vero gravissimis morbis ex syphilide laborant; periostium inflammatur plus minusve et saepe suppuratio sequitur, ex qua pus emanat in superficie corporis se se extendens; ossa aliquando ita debilitantur ut etiam saepe facillime frangantur aut exfolientur ob cariem (*caries syphilitica*). Ossa, quae praecipue hoc modo immutantur, sunt ossa capitis, tibiae, ulnae et radii ac sternum; ossa capitis possunt hac ratione etiam perforari et membrana externa cerebri, h. e. *dura mater*, denudari ac proinde facillime meningites sequitur; nervi ipsi possunt etiam graviter pati; etiam ossa metacarpi et falangum aliquando fortiter tumefiunt; suppurantur; digiti breves fiunt et deformantur; in pedibus hi morbi rarius observantur.

415. *Articulationes* etiam tumefiunt addendo novos dolores doloribus.

416. Virus syphiliticum in *corde* potest reddere durum eius pericardium (I, 53) et esse causa endocarditis; potest accedere et cardiopalmus (*cordis palpitationes*); immutationes syphiliticae etiam in arteriis observantur, quarum ratione ortum ducunt saepe gravissimae perturbationes in toto organismo ob defectum nutritionis.

417. Quoad systema *nerveum* syphilide affectum, cerebrum, medulla spinalis et nervi ipsi ob vicina ulcera graviter patiuntur; ex his oriuntur vehementes cephalalgiae (*dolores osteocopii*), defectus somni, depressio psychica, apoplexia cum hemiplegia, dementia paralytica, impedimenta in prolatione verborum usque ad perfectam aphasiam, coecitas, plerumque utriusque oculi, ac surditas, plerumque tamen unius tantum auris.

418. In *pulmonibus*, *iecure*, *splene* ac *renibus* graves item morbi notantur.

419. *Testiculi* vero ita immutantur ut saepe parvi fiant (*atrophia testium*), et epidydimus (I. 186) epidydimite laborat. Si vero syphilide laborat uterque testiculus, azoospermia sequitur cum absoluta impotentia, et aliquando etiam apparent omnes characteres, qui in eunuchis observantur, quales ex. gr. mutatio vocis, rotunditas in formis corporis et atrophia penis (*syphilis tertiaria*).

420. Omnes hi morbi lente et gradatim ordinarie manifestantur; attamen aliquando phaenomena graviora fere illico a susceptione veneni syphilitici notantur, quae *syphilidem malignam* constituunt (vulgo *sifilide galoppante*), in qua praesertim locum habet maxima facilitas reincidendi in morbum, aliquando etiam tempore ipso curae medicae.

421. Quoad vero spectat *ad syphilidem haereditariam*, iam diximus hanc producere saepissime interruptionem praematuram praegnationis ac proinde abortum; et etiam, cum infantes statuto tempore nascuntur, maxima eorum pars primo tempore vitae extrauterinae morte corripitur; illi demum infantes, qui non moriuntur praefato tempore, debiles, deformes sunt et paullo serius, et etiam tempore pubertatis, syphilis cum suis morbis eos facile invadit; omnes hi ordinarie cito moriuntur; et, si vivunt, indicia morbosa et characteres praematurae et apparentis senectutis prae se ferunt [1].

422. *Relationes* vero *syphiliticae*, quae notantur *inter genitores et fetum*, sequentes sunt, ex doctore Schröder:

1° Si in copula mater et fetus inficiuntur, fetus moritur et abortus sequitur. Si vero fetus vivere pergat, ordinarie praemature editur debilis ac macilentus et paullo post moritur;

---

[1] Quoad syphilidem cfr. Dr. Struempelli. Adolfo, *Trattato di patologia speciale medica e terapia*, 3ª ediz. sulla 4ª ted., vol. III, p. II, Milano, ed. Vallardi Fr. et Vigouroux, *Traité complet de médecine pratique*, tom. IV, pag. 202 et ss.

2° Si, tempore conceptionis, syphilis patris latens erat, eadem consectaria patitur fetus, et mater ipsa (probabiliter causa fetus) infici potest. Syphilis matris, etsi difficiliorem conceptionem reddat, attamen eam non impedit; si conceptio sequitur, vehementior apparet infectio fetus. Si vero matris syphilis latens erat, fetus apparenter sanus nascitur, at serius infectione pervaditur;

3° Si, tempore conceptionis, syphilis patris aut matris formam tertiariam iam attigerat, aliquando fetus immunis evadit; attamen nonnulli fetus edi possunt cum morbis syphilidis secundariae;

4 Si demum tempore conceptionis mater sana erat et tantum tempore praegnationis infecta fuit, infans sanus nascitur et vivit, dummodo infectio non fiat tempore partus vel puerperii; nascitur vero infectus, si mulier infectionem passa est primis mensibus praegnationis [1].

423. His praemissis, patet gravissimum esse periculum transmissionis syphilidis ex coniuge syphilitico ad alium coniugem et ad prolem, per copulam.

424. Hic quaeri potest: 1° *Quanto tempore adest periculum inficiendi coniugem et prolem per copulam?* Respondendum est hoc periculum valde minui cum cessat syphilis secundaria et minus esse in syphilide tertiaria, de quibus stadiis medici est semper decernere. Quoad mulierem vero, hoc periculum diutius perdurat ita, ut, etiam aliquod post tempus, infans morbis syphiliticis laborare possit. In primo et altero periodo infectionis periculum absolute proximum et certum est. — Quaeri potest 2°: *Quanto tempore perdurat periculum inficiendi quoad genitores et prolem?* Respondendum est decursum syphilidis sat variabilem esse pro multis circumstantiis et singulis casibus. Qua re ad vitandam transmissionem, tutius requiritur longius quam brevius tempus. Hinc, nisi tres saltem anni elapsi sint, pro regula generali et absoluta, ab infectione, periculum semper existit, et, si agatur de matrimonio contrahendo, dummodo speciales et graves rationes contrahendi non adsint, optimum erit quinque et sex annos expectare, iuxta doctorem Strümpell. Generatim loquendo, quo longius est tempus ab infectione transactum, quo aptior et fortior fuit cura medica morbi, praesertim primis temporibus ipsius morbi, tanto minus postea evadit periculum infectionis [2].

---

[1] Schroeder, *Op. cit.*, pag. 370.

[2] Strümpell, *Op., cit.*, pag. 192-193.

425. Doctor Vigouroux sequentes conditiones requirit, ut syphilidem passus possit contrahere matrimonium, ex D.re Fournier: 1° Ut subiectum *in praesenti* nullum omnino retineat signum syphilidis, quod significat morbum fere certe disparuisse; 2° Ut sit valde longum tempus, quo contractus fuit morbus, dummodo ceterae conditiones adsint; 3° Ut aliquod tempus transegerit immunitatis absolutae post curam medicam, saltem duorum annorum spatium; 4° Ut morbus habitus fuerit benignus; 5° Ut cura medica fuerit sufficiens ad avertendum morbum [1].

426. *De phthisi.* — Quod phthisis morbus infectivus seu contagiosus sit, nullo modo dubitari potest. Producitur phthisis ex nonnullis minimis organismis, quibus nomen *bacteria*, quae in variis corporis organis sedem habere et hic degere possunt, tubercolosim producendo. Hic de *tuberculosi pulmonari* tantum agimus. Quam maxime diffusus est hic morbus et tanta debet esse hominis praedispositio ad hunc morbum, cum ex tabulis statisticis constet circiter septimam partem generis humani tuberculosi perire. Haec microrganisma lentissime suam evolutionem agunt, et semel in corpus introducta, facillime, praeter pulmones, cetera organa inficiunt ut stomacum, intestina etc. Phthisis non tantum ab homine ad hominem transmittitur; sed etiam ab animalibus ad hominem; ita ex. gr. modus huius transmissionis videtur esse lac, si ubera animalis tuberculosi laborabant, dummodo autem lac sufficienti ebullitioni non subiectum sit. Etiam per organa genitalia transmitti potest. Habitus tubercularis, seu quaedam ad hunc morbum praedispositio, maximi momenti est ad phthisim facillime contrahendam; quae praedispositio ceterum etiam haereditaria est, ut diximus. Attamen hoc discrimen intercedit a syphilide, quod liberi ex parentibus syphiliticis fere semper cum signis syphilidis nascuntur, dum geniti a parentibus phthisi affectis rarissime cum phthisi oriuntur, quamvis eos facillime serius hoc morbo affici possint ob quamdam maximam facilitatem ad aegrotandum seu ob minimam resistentiam organicam, quam ex parentibus haereditate acceperunt. Periculum infectionis augetur ex frequentia aut cohabitatione cum phthisicis.

427. *Praecipuus character* phthisis est *affectio mere localis;* quam ob rem facile a syphilide distinguitur. Attamen periculum in-

---

[1] Vigouroux, *Op. cit.*, pag. 296-302.

fectionis in hoc residet, quod et organa, ad vitam essentialia, facile affici possunt, cum queat hic morbus facillime e loco primario ad multa alia corporis loca se se extendere, ut sunt cerebrum, intestina, etc. Cum vero praefata microrganisma sedem alicuius organi elegerint, laedunt sive destruunt paullatim plus minus partem corporis affectam, ex quo eius officium physiologicum etiam profunde immutatur. Phthisis pulmonaris sat varie, quoad effectus, decurrit, cum aliquando multos post menses, aliquando vero nonnullas post hebdomadas mortem afferat.

428. Hoc morbo affecti, cito macilentes fiunt; pallescunt; cibos aversantur; pellis eorum anemica fit. Aegroti de generali lassitudine quaeruntur; et etiam primo morbi tempore levis febris et sudores nocturni illos vexant. Ceterum decursus huius morbi satis variabilis est. Accedunt etiam catharrus bronchiorum, amissio sanguinis e pulmonibus, rumores speciales in respiratione, efformatio cavernarum in pulmonibus ob horum destructionem etc. [1].

429. Insuper notum est phthisi affectos ordinarie magna concupiscentia agitari et fortes erectiones pati.

430. Item notum est mulieres phthisicas praegnantes, saepe tempore puerperii perire [2].

431. Ex paucis dictis de syphilide et phthisi patet, quid resolvendum sit *de copula hoc tempore habenda*. Quum effectus syphilidis sat horribiles sint et, causa abortus ex ea sequentis, quamplurimi infantes absque baptismo pereant, et morbus ipse non sit diuturnus, cum per curam medicam ordinarie aliquod post tempus, si sat levis sit, removeri possit, dicendum est copulam hoc tempore non esse permittendam; eo magis, quia damnum infectionis pro coniuge sano et prole certum sit. Abstinentia a copula facillime obtinebitur, si coniux de maximis damnis pro comparte et prole admoneatur; quae damna et incommoda possunt reddere valde infelices coniuges et prolem, quae cogitur peccata parentum inculpabiliter luere.

432. De hac re ita loquitur doctor Capellmann: « In hoc morbo periculum per copulam alterum bene valentem coniugem inficiendi evitari fere nequit, saltem quamdiu externa morbi signa adsunt. Sed in latenti quoque (quando non videntur signa externa) syphili mariti

---

[1] Struempell, *Op. cit.*, Vol. I, pag. 217 et ss.

[2] Schroeder, *Op. cit.*, pag. 371.

accidere potest, ut mulier, ubi primum gravidetur, morbo inficiatur. Tum infirma pars si copulam peteret, atroci conatu adoriretur alterius partis sanitatem; sana autem pars, si vellet tali morbo tanta cum probabilitate inficiendam se exponere, iam non caritate moveretur, sed meo iudicio insania capta esset. Hac in re ne periculum incontinentiae quidem causam esse honestantem existimo. Severius id videatur; sed quicumque vidit et quotidie videt quas sequelas horrendissimas hic morbus secum habeat, mihi assentietur. Atque idem ego existimo, ne *unum* quidem inveniri medicum, qui meam sententiam reiiciat. Accedit etiam, quod in prole, quae ex tali copula nascitur, sequelae perniciosissimae sunt. Infantes sunt syphilitici sicut parentes, saltem plerumque, etiam tum, cum latet parentum syphilis; abortus frequentissimus erit, vel immaturus editur infans, vel ipsi partus maturi primis vitae mensibus miserrime pereunt. Sexcenti infantes hoc modo et saepius ne baptizati quidem parentum peccata luunt » [1].

433. Quoad vero copulam in phthisi habendam, notandum est grave periculum infectionis adesse per oscula, et, uti videtur, aliquando etiam per copulam, quamvis per hanc non proximum sit. Cum vero phthisici magna concupiscentia saepe agitentur et *ex modico copulae usu* grave damnum illis non proveniat, videtur haec posse eis permitti. Magna parsimonia tamen illis in hac re omnino commendanda est. Quod vero filii, ex hac copula forte geniti, aliquando phthisici aut ad phthisim praedispositi nascantur, non videtur obesse; tum quia hereditas morbi aliquando per saltus procedit, et ideo non *semper* certum est prolem infectam evadere; tum quia, ut ait S. Thomas, « quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse » (ap. S. Alf., lib. VI, n. 951); tum quia demum certi esse non possumus utrum ex copula hic et nunc habenda proles revera generetur.

434. Ad morbos vero *non contagiosos* quod attinet, videndum est utrum ex copula morbus gravetur et periculum mortis afferat, nec ne. In primo casu, copula ut illicita censenda est; in altero casu nequaquam, cum grave damnum aut periculum nullo modo metuendum sit. Huc revocandi sunt morbi externi, ut ait Dr. Capellmann, et chirurgici, dummodo ex vulnere nondum clauso, iuste ob copulae

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 158-159.

excitationem laceratio eiusdem et profusio sanguinis timeatur. Assentior omnino d.ri Capellmann excludendos esse morbos genitalium, praesertim mulieris, qui, licet in primis leves, saepissime ex copula gravissimi evadere possunt; qua de re semper medicus consulendus est.

435. Quando vero ex copula, in morbo habenda, timeatur *possibilitas abortus* nec ne, recolenda sunt, quae de copula tempore praegnationis iam diximus; advertendum tamen est, ut tradit Capellmann, nonnullos morbos acutos adesse, praesertim coniunctos cum febre vehementi, qui facile disponunt ad abortum.

436. In ceteris morbis denique cum febre coniunctis et praesertim in morbis acutis et inflammatoriis, ut sunt peritonites, pneumonia, pleurites, pericardites, meningites, hyperaemia cerebralis et in vitiis cardiacis et in pluribus similibus, copula semper grave damnum illatura est, et etiam aliquando mors repentina inter vel post copulam sequi potest. In his omnibus semper consulendus est medicus et eius iudicio omnino obtemperandum [1].

G. — De tempore ebrietatis et post prandium.

437. S. Alf. habet (lib. VI, n. 948): « Non tenetur reddere si petens sit amens; quia talis non est capax usus dominii, nec petit cum ratione et humano modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter tamen uti petere, ita reddere licet tam ebrio quam amenti, nisi esset periculum fetus enecandi ».

438. Ad rationem a S. Alf. allatam, addendum est quod, ut iam innuimus, concepti in ebrietate facillime nascuntur proclives ad alienationes mentis, ad amentiam ac scrophulam, et alcool potest inficere etiam, iuxta D.rem Capellmann, ovulum ipsum et semen; ad hoc accedit quod proles facile nasci potest etiam hebes ac surdomuta.

Quapropter coniux non tenetur reddere coniugi ebrio.

439. Copula statim post prandium absque periculo non evadit, donec duae vel tres horae saltem a prandio transierint [2].

---

1 Capellmann *Op. cit.*, pag. 168 et ss.

2 Garnier P., *La Génération universelle*, pag. 288.

H. — DE USU IN CERTA ANOMALIA VULVAE ET IN IMPOTENTIA CONSEQUENTE.

440. Alia quaestio hic occurrit, *an scilicet copula censenda sit licita in parte praepostera*, cum scilicet mulier habeat vaginam, sive per operationem, sive ex nativitate, communicantem cum recto intestino, loco vulvae, adeo ut os anale locum vulvae teneat et per illud etiam menstrua profluant. — *Affirmative* respondemus; quia, cum in hoc casu os anale sit loco vulvae et illam sufficiat, copula est vere generativa, cum possit ex ea fieri fecundatio et partus, sicut plura exempla testantur; aliunde copula normalis non est possibilis. Non nimis rarus est hic casus in praesenti; et recentissime Romae habitus fuit, mulieris scilicet, quae per operationem chirurgicam habuit vaginam communicantem cum recto intestino, quaeque optime concepit et peperit. Saeculo XVIII magna quaestio orta fuit, an, in praefatis adiunctis, copula censenda esset licita nec ne; in qua quaestione theologi Cucufe et Tournemine liceitatem tuebantur contra doctores Sorbonae. Attamen, paullo post, casum ad Benedictum XIV delatum fuisse fertur, qui probavit huiusmodi copulae liceitatem in praedictis circumstantiis. Ita hanc historicam quaestionem inveni apud doctores [1]. Tamen pluries quaesivi in tractatibus variis et documentum authenticum approbationis Papae Benedicti non mihi fuit possibile invenire.

441. Quaestiones maximi momenti sunt quae referuntur ad usum matrimonii, cum, post matrimonium validum et consummatum, occurrit impotentia perpetua, absoluta, quae ante matrimonium esset causa illud impediendi iure naturae. In primis praemittimus quae supra de copula diximus, scilicet quod ad impotentiam matrimonium consequentem attinet, quaerendum est quandonam censeatur licitus usus matrimonii et quando illicitus. In memoriam revocandum est quod ad generationem, per se, necessarius non est ingressus membri in vaginam, neque seminis immissio in eam, sed satis est ut vir semen apponat inter magna labia, immo in vulva ipsa, ex quo ne-

---

[1] ROUBEAUD, *Traité de l'impuissance et de la stérilité*, 3ª edit., Paris 1876, pag. 411 et ss.; VULLIET et LUTEAUD, *Leçons de gynecologie operatoire*, Paris 1890, 2ª edit., pag. 418; VIGOUROUX, *Traité complet de médecine pratique* etc., Paris. vol. 4, pag. 377.

maspermata possunt vaginam ingredi et fecundationem operari; hinc sequitur non esse prohibendum usum coniugii, cum, sive ob exiguitatem membri, aut eius depressam vim, aut ob quamlibet aliam causam ex parte viri, sive ob particularem aliquam conditionem vulvae vel vaginae aut ob quamcumque aliam causam ex parte feminae, congressus aptiori modo fieri non possit; sufficit, ut sit licitus, ut generationis *aliqua saltem spes* adsit, etiamsi, per accidens et praeter intentionem, saepe semen non immittatur in vaginam directe, vel nullo modo.

442. *Quid vero de congressu cum viro vel femina omnino impotente*, si ex. gr. vir per operationem amitteret utrumque testiculum, vel muller ítem per operationem privaretur omnino ovariis vel utero, vel ovariis et utero simul, quodque frequenter nunc temporis in feminis accidit? Haec quaestio, hoc modo posita, penes veteres auctores non invenitur, si excipias casum viri facti eunuchi post matrimonium. Casus ab auctoribus inspecti de impotentia perpetua et absoluta, consequente matrimonium, referuntur plerumque ad feminam, quae semen non retinet, vel non valet seminare eodem tempore ac vir in copula, vel ad virum, qui seminare nequit in vaginam. Quaestiones hae omnes, quae nullam difficultatem praebent, si firma teneantur principia certa physiologiae, scilicet de necessariis ad fecundationem et de non necessitate seminandi in vagina.

443. Ad solvendam propositam quaestionem, oportet recolere principium certum, scilicet copulam a natura ordinari tantum ad generationem, cuius causa copula ipsa tantum existit; remoto vero fine naturali copulae per se et in perpetuum, necessario cessat ratio existentiae copulae, ac ideo eam exercere, cum eius finis necessarius et naturalis numquam haberi possit in perpetuum, illicitum est; et qualescumque sint alii fines, ob quos illam quis licite exercere valet, sive sint intrinseci sive extrinseci matrimonio, tunc tantum copula evadit absque peccato, cum eius praecipuus finis, h. e. proles, absolute impossibilis non evadat; alias, copula esset actus contra naturam, qui numquam licet. Hoc explicite docent doctores. S. Thomas ad rem habet: « dicitur actus ille esse *contra naturam* in genere luxuriae, *ex quo non potest* sequi generatio secundum communem speciem actus; non autem ille, ex quo non potest sequi propter *particulare* aliquod *accidens,* sicut est senectus vel infirmitas » [1]. Item S. Thomas

[1] S. Thomas, *Quaest. disput.*, De Malo, q. 15, a. 2. ad 14.

docet: « ad *generationis utilitatem* coitus ordinatur » [1]; item « illa actio dicitur esse contra legem naturae, quae *non est conveniens fini debito*, sive quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, sive quia de se est improportionata fini illi. *Finis autem, quem natura ex concubitu intendit est proles procreanda et educanda*... Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem, quae in ipso est, non referendo *ad finem* a natura intentum, contra naturam facit; *et similiter etiam nisi sit talis concubitus, qui ad illum finem convenienter ordinari potest* » [2]; et « *habet hoc ratio naturalis, quod homo utatur generationis actu secundum quod convenit generationi et educationi filiorum* » [3]. (Cfr. nn. 100 et 189). Atqui in praefatis casibus, cum actus copulae nequeat ordinari ad utilitatem generationis, nec per illum intendi possit eius finis seu proles, nec ad prolem convenienter ordinabilis sit, ergo copula ex A. D., est illicita, cum sit contra naturam.

444. Quam doctrinam A. D., quae nititur iure naturae, passim tradunt Auctores, uti supra vidimus; Aa. ipsi vero haec habent de eunuchis factis post matrimonium validum, quoad usum ipsius, et de impotentia consequente, generatim sumpta.

445. *Reiffenstuel* docet: « Tenentur coniuges perpetuo impotentes effecti abstinere ab omni attentatione copulae, non item a tactibus, osculis, amplexibus, de qua materia, utpote theologica, amplius vide apud Sanchez... Solum nota quod licet Sanchez, dum docet licitos esse tactus, amplexus et oscula etc. coniugibus impotentibus, id limitet, dicendo « dummodo fiant absque periculo pollutionis »; tamen haec limitatio non videtur necessaria; consequenter praefati tactus lascivi dictis coniugibus etiam cum periculo pollutionis sunt liciti, dummodo absit periculum consensus in illam. Ratio fundamentalis est, quia universaliter nemo tenetur abstinere ab actu alias sibi licito, etsi praevideat secuturam ex eo pollutionem modo absit periculum consensus in illam, prout cum communi aliorum ipse docet Sanchez et alii » [4].

446. *Amort* tradit quid in casu impotentiae certae, sequentis matrimonium, liceat coniugibus; « non licent, ait, amplius ea omnia,

---

[1] S. Thomas, *Contra Gentil.*, l. 3, c. 122.
[2] Idem, *In lib. Sent.*, d. 33, q. 1, quaestiunc. 3, sol. 1.
[3] Idem, *In Epist. I. ad Corinth.*, c. VII, lect. I.
[4] Reiffenstuel, *Op. cit.*, tit. XV, n 65.

quae vel ex natura actus vel ex dispositione personali coniugum, causant periculum propinquum pollutionis. Ratio est, quia ubi finis redditur illicitus, nempe copula carnalis, redduntur etiam illicita media intrinsece ordinata ad finem, nempe excitatio spirituum seminalium, ex qua pronum est sequi pollutionem »[1]. Item: « *Usus matrimonii ordinatur ad finem matrimonii, nempe ad generationem prolis,* saltem mediate per se. Patres et theologi veteres ferme universim docent, coitum coniugalem esse illicitum, nisi in ordine ad generationem prolis, ita ut vel ordinetur vel ordinabilis sit in hunc finem »[2].

447. *Illsung:* « Si impotentia primum superveniat contractui, non dissolvitur matrimonium et talibus coniugibus adhuc licent tactus et oscula, secluso periculo pollutionis, et copula ipsa, si impotentia tantum sit ad effundendum verum semen, non autem ad penetrandum vas muliebre »[3].

448. *Mastrius de Meldula,* loquens de eunuchis, qui nequeunt valide contrahere, ne ad finem secundarium, nempe ad sedationem concupiscentiae, docet cuius naturae debeat esse copula ut sit licita; « Nam, ait, non est matrimonium ordinatum in remedium concupiscentiae, nisi quatenus coniunctio, qua fit satis concupiscentiae, ex natura rei ordinatur *ad finem principaliorem generationis,* qualis non est eunuchorum; non enim potest valor matrimonii ab eius fine primario seiungi, saltem quoad hoc, ut possint coniuges copulari per se ad gignendam prolem, et licet ad valorem matrimonii non requiritur ut possit effundi semen simpliciter fecundum, omnino tamen requiritur ut verum semen possit effundi, quod utique fundunt senes aut aliter steriles, quorum tale verum semen adhuc sit ex accidentali indispositione infecundum »[4].

449. *Salmanticenses* haec habent in casu praefato impotentiae consequente matrimonium: Si « vir ob frigiditatem vel nimium calorem non possit inter vas feminae seminare, vel illa ita coarcta fuerit ut a viro penetrari nequeat et hoc experimento iam constet, non licet eis conari ad copulam cum periculo pollutionis. Si tamen impotentia superveniens sit effundendi verum semen vel ob frigidi-

---

1 Amort, *Op. cit. De Matrim.,* § II, quaer. 116.

2 Idem, ibid., quaest. 22.

3 Illsung, *Theol. pract. univers.*. Venetiis 1600, tract. VI, d. 9, q. 3, a. 2, n. 122.

4 Mastrius de Meldula, *Op. cit.,* Q. 17, a. 2, n. 477.

tatem vel ob ablationem testiculorum, vel ob aliam rationem, cum tamen non possit claustra pudoris penetrare, licet inter illos conatus ad copulam, sicut antea » [1].

450. *Laymann* docet: « Inter coniuges, quibus impotentia post nuptias advenit, oscula et tactus ad declarandum affectum coniugalem vel sedandam concupiscentiam licite exerceri posse, *si pollutionis periculum absit*, sicut docet Sanchez l. 9, d. 17, n. 21. Quin etiam ad carnalem copulam conari ipsis concessum est, quamdiu probabilis spes superest ipsam aliquando perficiendi, licet praeter intentionem pollutio contingat, ut notat Caiet... Si vero desperatum sit posse aliquando copulam perfectam inter coniuges obtineri cum missione seminis in vas, tunc abstinere tenentur propter pollutionem vitandam » [2].

451. *Giribaldi* loquens de eunuchis, qui nequeunt habere per matrimonium ne finem quidem secundarium, qui nonnullis modernis Aa. satis esse videtur ad contrahendum, ait: « facile negatur consequentia (scilicet contrahendi ob finem secundarium), non solum quia valor matrimonii non debet separari ab illius fine primario, quantum ad hoc, quod possint coniuges copulari per se ad gignendam prolem, sed etiam quia finis secundarius debet esse satisfacere concupiscentiae per copulam per se aptam ad generationem prolis, cuiusmodi non est copula spadonum, qui carent vero semine » [3].

452. *Perez:* « Eunuchus factus post matrimonium potest usum habere, quia vir ille iure suo utitur, vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit; semen autem verum non emitti contingit per accidens » [4].

453. *S. Alfonsus* tradit: « Si (impotentia) subsequatur matrimonium, non irritat illud, etsi *usum ita impediat ut soli contactus et oscula liceant extra periculum pollutionis* » [5].

454. *Ballerini Palmieri:* « Tunc enim tantummodo prorsus illicitus est dicendus congressus coniugalis, quando natura ipsius in se spectata, nullo omnino modo naturalis eiusdem effectus, conceptio scilicet seu generatio, sequi ex eo potest » [6].

---

[1] Salmanticenses, *Op. cit., De Matrim.*, c. 12, punct. 11, n. 134.
[2] Laymann, *Theol. mor.*, l. 5, tract. 10, P. 4, c. 11, n. 4.
[3] Giribaldi, *Op. cit.*, tract. X, c. 3, dub. 2, n. 37.
[4] Perez, *Op. cit.*, d. 37, sect. X, n. 4.
[5] S. Alfonsus, l. 6, n. 1095, dix. 2.
[6] Ballerini-Palmieri, *Op. cit.*, vol. 6, n. 1269.

455. Eamdem doctrinam tradunt Gury-Ballerini *Comp. theol. mor.*, vol. 2. n. 855, n. 3; Fabbri, *Univ. theol. mor. princ.*, 1898. vol. 2, n. 2327 et 2382; Pichler, *Op. cit.*, tit. XV, n. 6; La Croix, *Op. cit.*, l, 6, p. 2, n. 317; Dens, *Tractat. de Spons et Matrim.*, Lovanii 1790, pag, 301; De Luca, *Op.* supra cit., n. 599, bis, etc.

456. Hac doctrina exposita, evidenter sequitur: 1° copulam a natura ordinari ad prolem et tantum huius intuitu esse licitam, neque sedationem concupiscentiae obtineri posse nisi per copulam, aptam ex natura sua, ad generationem; 2° in casu impotentiae orientis post matrimonium validum, nullo modo esse licitam copulam ob periculum pollutionis; sed tantum licere tactus, amplexus, oscula citra periculum pollutionis, immo etiamsi adsit periculum pollutionis, dummodo absit consensus in eam; 3° eunuchum factum post matrimonium posse copulam exercere, sicut antea.

457. His consequentiis traditis, oportet videre quid ipsae valeant et quomodo solvere possunt casum propositum.

458. *Prima* consequentia in omnibus recta et tenenda est, cum proveniat ex doctrina de natura et essentia matrimonii, ut supra diffuse probavimus.

459. *Altera* consequentia potest haberi ut consectarium primae; nam cum finis naturalis copulae sit possibilitas prolis, hac omnino perpetue et per se absolute ablata, deest ratio emissionis seminis, quae tantum ad prolem a natura ordinatur; quod si per tactus, oscula etc. inter coniuges sequitur pollutio praeter intentionem et per accidens et remoto consensu in eam, non potest esse peccatum, cum ipsi habeant, ob eorum statum, ius ad hos actus, dummodo tactus non sint adeo impudici et turpes, ut inducant proximum et certum periculum pollutionis vel consensus.

460. Quoad vero *tertiam* consequentiam, modo ad examen eam revocabimus. Interea addimus praefatos Aa. et alios etiam, qui tuentur posse eunuchum, factum post matrimonium, exercere copulam, sequentibus uti rationibus seu argumentis:

1° Eunuchi quod non emittant semen « contingit per accidens. Porro id quod per accidens contingit, non tollit ius per se » [1].

2° Eunucho non est vetita copula sicut non est prohibita viro, si constet « prae morbo semen esse corruptum, vel sterile, vel co-

---

1 Rosset, *Op. cit.*, vol. 3, n. 1491; Sanchez, *Op. cit.*, l. 7, d. 102, n. 7.

pula sit prope tempus partus, in quo non est possibilis generatio. Adde, senibus decrepitis, iam ad generandum impotentibus, a nullo negari usum coniugii, si coire valeant » [1].

3° Quod eunuchus sit infecundus non est ipse causa huius infecunditatis, iuxta Lehmkuhl [2].

4° « Ex divina institutione ipsa copula perfecta ordinatur ad prolem generandam uti ad finem proprium, et ideo quotiescumque constaret impossibilem esse talem consequi finem, illicita quoque esset copula perfecta, sicut in sterilibus, senibus, vel cum muliere praegnante » [3].

461. Iam, notamus omnes has rationes non probare liceitatem huiusmodi congressus, cum in falso innitantur. Nam, ad 1^m^ negandum omnino est, quod sit *per accidens*, quod eunuchus non emittat semen ; aliquid enim dicitur contingere *per accidens*, quando via ordinaria et *normali* contrarium obtinet, adeo ut, quod *per accidens* fit, non sit nisi quaedam particularis ac transitoria derogatio de iis, quae ordinarie et generaliter fiunt; ac ideo quod semper fit eodem modo et non alias fieri potest, iuxta speciem propriam, non amplius dici potest fieri per accidens, sed necessario, absolute, per se, scilicet ex natura sua. Hinc eunuchus post matrimonium factus, etsi talis per accidens factus sit, tamen, data semel hac conditione absentiae testium, non potest dici per accidens non valere emittere semen, sed omnino necessario, absolute, per se, h. e. inspecta natura status praesentis, qui omnino et in perpetuum elaborationem seminis prohibet. Omnino contra per accidens esset, si eunuchus posset semen emittere, cum ad eius emissionem sit penitus inhabilis. Sicut pro viro, physiologice sano, naturale et necessarium est emittere semen in copula, ita pro eunucho naturale et necessarium est illud emittere non posse; in utroque casu natura ipsa physiologica personae hoc efficit. Ac proinde, quod eunuchus actualiter non valeat emittere semen non potest dici esse per accidens, sed ex natura ipsius seu per se, cum numquam oppositum fieri contingat. Quod eruitur etiam ex Const. Sixti V de eunuchis, supra relata. Nam, si eunuchus posset *licite* exercere copulam, scilicet qualis requiritur pro validitate con-

---

[1] Sanchez, ibid.

[2] Lehmkuhl, *Op. cit.*, vol. 2. n. 835, 4, 5.

[3] Rosset, vol. cit., n. 1489.

iugii, posset etiam valide contrahere ipsa ratione qua steriles valide contrahunt, qui per accidens non generant; at, ut copula sit licita in matrimonio, ex ipsa Const. clare docetur debere esse cum emissione seminis apti ad generationem, ac proinde hac ratione non posse eunuchum contrahere, ne ob remedium quidem concupiscentiae, quod tantum consequi fas est, cum adest capacitas generandi. Demum accedit, omnes Aa. et Sanchez ipsum tradere doctrinam, qua ad compescendam libidinem non satis esse quamcumque copulam, sed illam, quae per se sit apta ad generandum; quam certe non potest exercere eunuchus.

462. Dein dicitur: « quod per accidens contingit, non tollit ius per se ». — Resp. — Ius, de quo hic agitur, evidenter est ius coniugale. Iam vidimus, ex natura ipsius matrimonii, prout est institutum, ex iure pontificio et doctrina theologorum et canonistarum, certum esse per matrimonium non accipi aliud ius in corpus alterius, nisi in ordine ad generationem. « *Ius reale*, quod per matrimonium contractum acquiritur, *aliud non est, quam ius utendi corpore coniugis ad usum generationis* », ut cum communi tradit Laymann [1]. Et hoc tam verum est, quod si finis huius usus sit absolute, per se, impossibilis, perpetuus et antecedens, matrimonium impedit vel dirimit. Ergo ius coniugale est ius ad copulam per se fecundam. Iam, acquisito hoc iure, certum est non necessario sequi, coniuges teneri ad huius usum; hinc, hoc ius rite distingui debet ab eius **usu**; ius semel acquisitum non amittitur per impotentiam perpetuam supervenientem matrimonio, sed tantum amittitur eius usus, cum deficiat finis essentialis, ad quem ius ipsum erat a natura ordinatum. Et ne in remedium quidem concupiscentiae licite eunuchus exercere potest hoc ius, cum hoc ius tantum respiciat eius naturalem finem seu prolem, ob quam per matrimonium idem ius acquiritur, et nonnisi illa copula, quae necessaria est ad valorem matrimonii, obtineri potest finis sedandi concupiscentiam; alias eunuchi contraherent valide. Supra vidimus insuper S. Thomam docere, actum matrimonialem non posse excusari, h. e. fieri absque peccato, sine tribus bonis, matrimonio essentialibus.

463. Ad 2[um] quod attinet, in primis notamus *semen numquam corrumpi*. Dein procul dubio non est prohibita copula, si semen sit sterile, vel copula habeatur prope tempus partus vel a senibus decrepitis,

---

[1] Laymann, *Theol. mor.*, l. 5, tract. 10, P. II, c. 1, n. 1.

quia in omnibus his casibus absentia prolis *vere per accidens* habetur; nam 1° sterile semen, quod ex multis causis oritur, per opportuna medicamina corrigi potest, cum plerumque nonnisi a debilitate generali vel ex vitiis praehabitis pendeat; at est semper vel potest fieri *verum semen,* quod non est casus eunuchi, qui nullum semen habet. 2° Tempus praegnationis brevi transcurrit et postea nova praegnatio est possibilis; immo plura habentur exempla superfecundationum; accedit etiam, quod, ut copula sit licita, non requiritur necessario ut semper sit fecunda; sufficit ut coniuges possint *aliquando* generare, etsi hic et nunc seu actualiter, aliquid obstet, ut in casu est praegnatio, ad obtinendam prolem. 3° Senes decrepiti non sunt incapaces generandi, cum in ipsis confectio seminis per totam vitam perduret et noscantur quamplurima exempla senum, qui tardissima etiam senectute genuerunt; ac ideo, donec coire valent, sempre in eis praesumenda est capacitas generandi. Hinc sequitur eorum copulam esse perfecte iuxta naturam, etsi, actualiter, per accidens non generetur proles. Eunuchus vero non potest amplius et in perpetuum generare, quia nullum omnino habet semen. Ex quo sequitur negandam esse paritatem rationis.

464. Ad 3^{m}: quid interesse potest, quod eunuchus ipse non sit causa suae ipsius incapacitatis ad generandum? Quod quis eunuchus factus sit casu, vel per operationem chirurgicam, vel ex industria, nihil omnino refert; rationes superius adductae totam vim illiceitatis servant. Quae ratio, si valeret, secum ferret necessitatem valide contrahendi ex parte eunuchi, si quis eunuchus factus esset absque culpa propria seu non voluntarie; quod falsum est. Non enim causa eunuchismi hic inspicitur, sed natura tantum facti ipsius seu actus proprius eunuchi relate ad matrimonium et ad ius coniugale.

465. Quoad 4^{m} cfr. praec. n. 2.

466. His praemissis, patet per impotentiam supervenientem matrimonio valido, coniuges amittere penitus *usum* iuris coniugalis. Haec resolutio certe adversatur sententiae nonnullorum, qui contrarium tenent. At sententia quaelibet tantum valet, quantum rationes, quibus ipsa innititur; si rationes in falso fundantur, etiam sententiam ruere necesse est, ut contingit in nostro casu.

467. Casus impotentiae ortae post matrimonium plures sunt et possunt referri ad alterutrum coniugem vel ad utrumque, cum scilicet ex. gr. vir passus est avulsionem testiculorum quacumque ratione, vel mulier amiserit per operationem radicitus utrumque ova-

rium, vel uterum, vel uterum et ovaria simul. Casus vero valde frequens in praxi in praesenti est casus mulieris, cui ablatus fuit uterus vel operationem porrensem (I, 434) subiit.

468. In huiusmodi impotentia *neuter potest petere neque reddere;* sed tantum possunt exercere actus imperfectos, qui coniugibus liciti sunt, dummodo non secum ferant periculum proximum pollutionis vel consensus in eam [1], si per accidens contingat.

469. Hic adiicimus casum valde frequentem in praxi nostris diebus, scilicet *quomodo se gerere debet mulier privata, post matrimonium validum et consummatum, ovariis, vel utero, vel utero et ovariis simul, si maritus sanus vult omni modo copulam cum ea exercere* et, nisi obtemperet, minis eam deterreat et demum etiam percutiat? — Resp. Nullo modo potest ipsa pravo viri desiderio obtemperare, tum quia per praedictos defectus amisit usum iuris acquisiti per matrimonium, tum quia, ob id, daret operam rei per se illicitae, scilicet actui copulae effectae, intrinsece malae. Quapropter debet omnibus viribus se se opponere et resistere ad modum virginis violatae. Neque hic casus aequiparari potest casui viri onanistae, cui mulier obtemperare potest, ob vim viri in eam et passive se habere. Nam in casu viri onanistae, ex parte mulieris licita est copula, cum habeat eius ius et usum liberum, et, cum tanto incommodo non teneatur, ex charitate, impedire peccatum viri; in casu vero mulieris excisae, ipsa iam amisit usum iuris, ac proinde copula ab initio est ipsi intrinsece illicita.

In praxi vero, cum ordinarie coniuges, quibus supervenit impotentia, sint in bona fide, Confessarius sedulo curare debet ut in bona fide eos relinquat et proinde de illiceitate usus matrimonii omnino sileat, ne peccatum materiale evadat.

---

[1] Cfr. Sani, *Theol. moral. pastoral. De sexto Decalogi praec. ac de reb. turpibus,* Bagnacavallo 1904, pag. 439 et ss.

CAPUT X.

DE ABRUPTIONE COPULAE

470. Quaestiones, quae referuntur ad abruptionem copulae ob aliquam causam rationabilem, frequentes in praxi sunt et earum claram habere scientiam necessarium est. Theologi sequentes casus pertractant:

471. 1° *An mulier possit se tactibus post copulam ad seminationem* [1] *excitare, si vir peracta iaculatione se retrahat, antequam mulier seminet?* — Communior est sententia affirmans, iuxta S. Ligorium (ib. n. 919), quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum coniugalem, qui consistit in seminatione utriusque coniugis; unde sicut potest uxor tactibus se praeparare ad copulam, ita etiam potest actum copulae perficere; tum quia, si mulieres post talem irritationem tenerentur naturam compescere, essent ipsae iugiter magno periculo expositae mortaliter peccandi, cum frequentius viri, quia calidiores, prius seminent...; tum quia, ut plures sentiunt, seminatio mulieris est necessaria vel saltem multum confert ad generationem; nihil enim a natura frustraneum agitur ». — Ad rationes a S. D. allatas, addi potest: 1° quod si defectus huius secretionis et ideo voluptatis pluries repeteretur, valetudo mulieris aliquid detrimenti pateretur ob insatiatam libidinem; et si nunquam posset tactibus ad hanc se excitare, nunquam haberet plenitudinem voluptatis, ad quam ius habet ob matrimonium initum. Systema nerveum et genitale graviter pariter afficerentur, et natura iuris coniugalis postulat, ut ex utraque parte plenitudo voluptatis sequatur, in quantum possibile est; hac impedita, valetudo generalis certo perturbatur;

[1] Nomine seminationis hic intelligimus emissionem seminis ex parte viri et muci vulvo-vaginalis ex parte feminae, qui mucus tamen nullo modo est necessarius ad generationem et indicat perfectam voluptatem consecutam.

2° quod, etsi haec secretio feminae non sit necessaria ad generationem, ut diximus, tamen multum aut aliquid conferre admitti debet; nam per ipsam facilior evadit coitus, et, cum ipsa sit alcalinae naturae, valet immutare actionem acidam secretionis vaginalis, quae, hac ratione, posset etiam interimere nemaspermata; hac causa certo perutilis est ad generationem; ac ideo hoc modo potest vere considerari ut factum complementare copulae. His praemissis deficit omnino fundamentum rationis illorum, qui negant hunc actum licere mulieri, utpote ipsi habeant ut veram masturbationem. — Ratio vero, qua actus consistit in seminatione utriusque coniugis, non tenet; nam quod theologi nomine feminae seminationis intelligunt, non est necessarium ad generationem et plurimae feminae huiusmodi distillationem non patiuntur aliquando in copula.

472. Miror quidem quod doctor Debreyne, [1] dicat mulierem non posse post copulam se tactibus ad seminationem excitare, quia hoc esset vera pollutio (!) et postulat ut vir in actu coniugali diutius immoretur aut alterum actum repetat. Quod vir, physiologiae ignarus, ita loquatur, facile intelligitur; minime vero medicus ut Debreyne. Actus enim coniugalis, ut physiologia et experientia docet, peracta iaculatione, perfectus est ex parte viri et membrum fere statim relaxatur; quare impossibile est diutius copulam protrahere. Alteram attentare copulam statim ac prima peracta fuit, fere semper impossibile evadit, quia relaxatio et defatigatio quaedam, aliquando etiam vehemens, sequitur, et nonnisi aliquod post tempus, et aliquoties notabile, novam tentare copulam, cum erectio sufficiens iterum venerit, certum est possibile, immo et facile. Qua re neutrum ex dictis D.ris Debreyne est possibile. Quod vero hi tactus rationem mansturbationis non habeant, eruitur ex hoc quod omnes permittunt mulieri tactibus ad copulam se praeparare, quia hi tactus cohonestantur per copulam proxime habendam. Forsitan et hi tactus pro Debreyne mansturbationem constituunt? Plena voluptas ex copula sequenda est; et si haec non obtineatur, quod quidem multis ex causis provenire potest, non ei liceret tactibus illam procurare, cum sit pars integralis copulae, ut nuper diximus? — Non idem tamen resol-

---

[1] Debreyne P. I. C., *Essai sur la Theologie morale*, 4a edit., Bruxelles 1844. pag. 188 et seq., et *La theologie morale et les sciences medicales*, 6a edit., Paris 1884, pag. 144, *Maechialogie*, pag. 335.

vendum est, mulier invita copulam onanisticam causa viri, passa sit. Nam mulier ius habet tantum ad plenam voluptatem ex copula capiendam, cum haec sit apta ex parte utriusque ad generationem, quod non est in tali casu. Alii vero Aa. contrarium sentiunt.

473. 2° *An vir possit se tactibus ad iaculationem excitare, quum mulier iam seminaverit et a copula se retraheret, quin expectaret viri seminationem? — Negative omnino,* quia haec seminis emissio nullo modo refertur ad complementum actus generativi et habet rationem verae mansturbationis. Cum enim vir ob retractionem mulieris non amplius vas muliebre possideat, actus in se expletus est, dummodo iterum copulam non attentet. S. Alfonsus (n. cit.) refellendo rationem nonnullorum, qui affirmabant posse mulierem se tactibus ad seminationem excitare, quum vir semen in copula emiserit antequam mulier seminaverit, ait: « Si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viris casu, quo mulier post suam seminationem se retraheret et vir maneret irritatus; at DD. dicunt id vetitum esse viris ». Paritas haec rationis hic neganda absolute est, quia, quae dicitur seminatio mulieris, anatomice et physiologice spectata, nihil habet cum semine viri, nec necessaria est ad generationem. Tota confusionis causa in hoc est, quod veteres theologi idem faciebant, quoad generationem, et seminationem viri et liquidum emissum a muliere. Si hoc ad generationem nullo modo necessarium est, idem dici non potest de viri semine; absque illo fecundatio haberi potest, absque isto nullo modo. Permittendo tactus mulieri usque ad seminationem, ut in casu supra dicto, nihil fit contra generationem; immo haec aliquo modo facilior redditur; permittendo contra, viro, semen deperditur et generatio omnino frustratur, quod contra naturam et matrimonium est; aliis verbis esset vera et propria dicta mansturbatio seu pollutio voluntaria.

474. 3° *An vir possit se retrahere a copula ante iaculationem, cum uxor iam seminaverit aut sit in probabili periculo seminandi?* — S. Alfonsus dicit non posse sine gravi culpa, « quia tunc ipse est causa ut semen uxoris prodigetur; communiter docent... Hoc tamen non erit intrinsece malum, ut aliquo casu permitti non possit, puta si vir desisteret a copula ob periculum mortis, vel scandali aliorum; tunc enim licite potest se retrahere etiam cum periculo pollutionis, quia haec per accidens et praeter intentionem eveniret, et contra non tenétur cum periculo tanti damni generationem procurare; ita

communiter... Haec sunt certa apud omnes » (S. Alf., l. c., n. 919; Marc., t. 2, n. 2112, 3°).

475. Nobis videtur distinguendum esse; duplicem partem enim casus habet, scilicet aut mulier iam seminavit aut nondum. In *primo* casu dicimus virum posse, ob aliquam causam rationabilem, se retrahere, quia mulier iam plenam voluptatem ex copula retulit, cum distillationem iam passa sit; quod vero haec distillatio prodigetur, nihil momenti est, cum hoc liquidum mulieris non sit necessarium ad generationem et plenae voluptati ipsa ius habeat. Ratio ergo cur S. D. de mortali damnat, in falso innititur; ac proinde ita mortale tollitur. Causae vero, quae huiusmodi abruptionem cohonestant, sunt, praeter illas a S. D. citatas, plures, ex quibus ex. gr., magna defatigatio ac perturbatio, timor aliquis morbi, spasma in pede aut crure, incommoda ac gravis positio mulieris, quae dolorem afferat, si vir iudicet, iaculatione mulieris peracta, se non valere iaculari aut valde sero, magna concitatio ac pulsatio cordis, quae vehementer alterutrum coniugem terret, timor alicuius morbi repentini etc.; in omnibus his et similibus casibus potest vir se retrahere, etiamsi ex abruptione copulae sequatur pollutio per accidens et praeter intentionem.

476. In *altero* vero casu, cum scilicet mulier sit in probabili periculo explendi voluptatem per distillationem, dicendum virum posse adhuc se retrahere, *in praefatis circumstantiis,* sine peccato; quia, in dictis adiunctis, prosecutio copulae ei fit fere impossibilis aut valde difficilis aut valde incommoda, nec tenetur ob tale grave incommodum et periculum prosequi actum.

477. 4° *An femina graviter peccet, si se retrahat a seminando* (distillatione), *cum vir iam seminaverit? — Affirmative,* iuxta S. Alf. (l. cit. n. 918), quia agitur de damno tertii, videlicet prolis generandae. Attamen communior (et hodie multo) est *sententia negans,* quia fecundatio effici omnino potest absque illa seminatione, h. e. effusione muci. Non tenentur coniuges aptiori modo coire, ut ait Marc. (loc. cit., n. 2112, 4°) et sufficit ut generatio non impediatur. Ne veniale quidem mulier committit, quia ipsius seminatio nullo modo impedit generationem, et si ipsa velit perfectiori voluptati sua sponte renuntiare, non est damnanda; finis enim, quem natura per coitum intendit, nullo modo impeditur.

478. 5° *An graviter peccet vir se retrahendo, cum iam seminaverit, non expectando seminationem mulieris?* Ob rationes, quaesito tertio allatas *negative* (Marc., loc. cit.). Quinimo ne leve quidem

peccatum ordinarie erit, cum aliqua causa fere semper adsit, quae impediat ut diutius copula protrahatur, ut est fere immediata relaxatio membri, sensus defatigationis ex coitu consequens, timor morbi alicuius ob concitatam circulationem ac respirationem, praesertim si vir aliquo morbo cardiaco laboret, aliquod incommodum physicum superveniens in actu copulae, impressio moralis etc.

479. 6° *An femina graviter peccet, si post actum copulae surgit, ambulat, laborat aut aliquid aliud facit, cum intentione expellendi semen ex copula receptum ? — Affirmative* ob malam intentionem, qua studet finem generationis vitare. Tamen omnes conatus huius generis prorsus inutiles sunt ad hunc finem obtinendum, quia, peracta copula, ut pluries notavimus, parietes vaginales statim inter se cohaerent et vaginam occludunt ita, ut nil seminis ordinarie emittatur; et etiamsi, ob particulares conditiones alicuius vaginae, aliquid seminis effluat, illud tamen, quod parieti et plicis mucosae adhaeret, satis est ad plura millia ovula fecundanda. Qua re, si Confessarius de hoc mulierem moneat, quod scilicet illi conatus effectum volitum nullo modo consequuntur, facilius ipsa abstinebit et sic mortale tollitur, utpote in sola voluntate sit.

480. 7° *An coniuges graviter peccent, si, incaepta copula, seminationem cohibeant,* scilicet *copulam abrumpant ante seminationem ?* — S. Alf. de hac re (l. cit., n. 913) docet: « Si coniuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale; illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter coniuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis; ita communiter. Dixi 1. *si ambo consentiunt;* nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certo graviter peccat, ut dicunt omnes Aa. praefati. Dixi 2. *per se loquendo;* nam sapienter advertit Sanchez l. cit. cum Veracrux id ordinarie esse mortale, quia ordinarie adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi coniuges experti sint oppositum; quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari saltem a veniali, quidquid dicat *Sanchez ibid. cum aliis* ». — Ergo, iuxta hanc sententiam a S. Alf. allatam, tota ratio absentiae mortalis per se est (dummodo non adsit periculum extra vas seminandi), quod copula incaepta haberi possit instar tactus verendorum, qui coniugibus ad minus non est mortalis, semper tamen illicitus.

481. Insuper num. 934, ubi quaerit quid dicendum si ex turpibus actibus coniuges praevideant pollutionem secuturam in se vel in

altero, S. D. affert triplicem sententiam, cuius prima, quam ipse non damnat, hos actus « excusat ab omni culpa etiam in petente, si pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam; et modo tactus non sit adeo turpis ut iudicetur inchoata pollutio (prout esset digitum morose admovere intra vas femineum); ac praeterea adsit aliqua gravis causa talem tactum adhibendi, nempe ad se praeparandum ad copulam, vel ad fovendum mutuum amorem. Ratio, quia tunc iusta illa causa tales actus cohonestat, qui alioquin non sunt illiciti inter coniuges; et si pollutio obveniat, hoc erit per accidens. Dicitur si *adsit gravis causa*, nam si non adsit, praedicti actus non excusantur a mortali ». S. Alf. vero (ibid.) damnat hos actus de mortali, dummodo non fiant causa se praeparandi ad copulam.

482. Haec quaestio difficilis non rara est in praxi. Mihi videtur cum Capellmann [1] necessario distinguendum esse in casu praefato, scilicet 1° an coniuges *ante* copulam habeant intentionem eam copulam et dein abrumpendi ante seminationem, *ne proles gignatur;* et 2° an coniuges absque intentione eam abrumpendi, copulantur, et dein, utroque consentiente, ob ratio nabilem aliquam causam, interrumpunt ante seminationem. Resolutionon eadem est in utroque casu.

483. Iuxta benigniorem sententiam supra allatam, ad excusandos turpes tactus ab omni peccato, requiruntur nonnullae conditiones, quae sunt: 1° ut pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam; 2° ut tactus non sit adeo turpis, ut iudicetur inchoata pollutio, prout esset admovere morose digitum intra vas; et 3° ut adsit gravis aliqua causa cohonestans tales tactus, ut esset, ex. gr., ad fovendum mutuum amorem, ad avertendam alterius zelotypiam, ad sedandam concupiscentiam etc. Iam, ex his conditionibus, *prima* potest plus minus facile inveniri, cum pendeat a statu subiecti, ab eius sensibilitate, a facilitate praebendi assensum pollutioni etc. *Altera* conditio omnino abest; requiritur enim ut tactus non sit nimis turpis, qualis esset admovere digitum morose intra vas. At introductio penis in vas non tantum turpis actus, sed turpissimus est et directe et proxime agens in pollutionem; si enim simplicem introductionem morosam digiti in vaginam theologi recte habent ut inchoatam pol-

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 109.

lutionem, etsi nonnisi indirecte et reflexe agat in pollutionem, certo a fortiori introductio penis, cuius motus in vas naturaliter et necessario ordinatur ad emittendum semen, habenda est ut vera inchoata pollutio. Et theologi ipsi postulant, ut in tactibus his turpibus, ut sint liciti, absit periculum pollutionis proximum. Quoad *tertiam* conditionem dicendum est causas praedictas nullo modo excusare hos tactus; nam ut habeantur praedicti fines, aliis mediis uti possunt coniuges, quae non inducunt proximum periculum pollutionis, quae media ipsis, ob easdem causas, sunt licita, quales ex. gr. sunt tactus non adeo turpes, oscula, amplexus. At aliquid notare oportet *de ratione sedandae libidinis per inchoationem et abruptionem copulae*, qua nonnulli theologi censent posse licite sedari. Statim dicimus finem sedandae libidinis non posse haberi, nisi per copulam cum emissione seminis in vas, scilicet quae sit apta ad generationem ex parte utriusque; nam sedatio concupiscentiae hoc tantum modo necessario habetur, dum itroductio penis et abruptio copulae ante iaculationem nullo modo minuit, multo minus vero extinguit, sed quam maxime aestum libidinis auget et inflammat. Qua re abruptio copulae non potest inservire ad compescendam libidinem, cum, contra, ipsa concupiscentiae ardorem vehementer adcrescat.

484. Dein, qui hisce actibus et praevia intentione vitandi prolem, incipit copulam et cohibet seminationem, quid aliud quaerit nisi voluptatem hoc modo explere? Si usus matrimonii habitus ob *solam* voluptatem non caret peccato, etsi tantum veniali, nonne et hi actus copulae censendi sunt peccatum, quod homo omnino effugere debet? Nonne a fortiori hanc occasionem vitare necesse est, quae causa est immediata et proxima graviter peccandi? Quapropter, qui quaerit, qualibet causa, filios non generare, debet ab hac copula omnino se abstinere, ac proinde prorsus illicita huiusmodi copula censenda est. Accedit etiam quod coniuges per matrimonium acquirunt tantum ius in corpus alterius ob finem generationis, et non ut se exponant periculo proximo et immediato graviter peccandi, nec acquirunt ius ad peccata etiam levia impune patranda. Haec est solutio *primi casus* [1].

485. Quoad *alterum* casum vero, alia est ratio iudicandi. Coniuges

---

[1] Adverte tamen *aliquando* posse accidere casum, quem resolvit Diana, apud Gury-Ballerini, *Op. cit.*, vol. 2⁰, n. 919, 2⁰, nota.

enim, uti oportet, incipiunt copulam, et, etsi in mente non habeant filios generare, tamen generationem non excludunt; quod quidem sufficit ut actus sit licitus; dein, aliqua rationabili accedente causa ex utriusque consensu et cum possint ipsi tunc iudicare quantum sit periculum pollutionis in abruptione copulae, possunt certo interrumpere, si periculum pollutionis nullum est, ut esset ex. gr. in initio copulae, ob aliquam deficientiam desiderii sexualis etc., et quidem, rationabiles ob causas, quas superius numeravi, absque peccato.

486. Ceterum in omnibus hisce quaestionibus, quae referuntur ad abruptionem copulae, etsi rationabiles causae peccatum tollant, tamen si frequenter huiusmodi actus repeterentur, pessimae consequentiae sequerentur valetudini coniugum, et praesertim mulieris, quaeque sunt, quas superius, de onanismo coniugali loquentes (I, 573 et ss.) recensuimus.

CAPUT XI.

DE FECUNDATIONE MULIERIS ARTIFICIALI

487. Fecundatio, ut iam vidimus, consistit in compenetratione substantiae nemaspermatum cnm substantia ovuli et potest fieri omnino absque corporum commixtione, dummodo semen aliquo modo per organa genitalia mulieris pertingere ac fecundare ovulum valeat. Primae tamen notiones certae fecundationis habitae fuere tantum labente saeculo decimo octavo per fere innumeras experientias Lazzari Spallanzani, celeberrimi scientiarum naturalium cultoris et in Papiensi Universitate Professoris, anno 1767. Desiderio motus scientifice inquirendi modum fecundationis, permultas fecundationes artificiales instituere potuit, quas habebat ponendo semen marium animalium in contactu ovulorum feminae eiusdem speciei; hac methodo potuit fecundare ova ranae, bufonis, bombicis mori et aliorum animalium. Immittendo praeterea semen canis in vaginam feminae canis, haec gravida evasit et duos mares et feminam peperit. Ex eius experientiis innotuit in quo consistebat fecundatio. Quod vero illustris Spallanzani in animalibus instituit, paullo post (an. 1799) doctor Hunter, anglicus, in muliere, quae cum viro hypospadone (I, 286) matrimonium inierat et quae causa huius defectus numquam fecundari potuit, aggressus est, iniiciendo in eius vaginam, mediante syringa, mariti semen, ex quo facile praegnationem passa fuit.

488. Ab illo tempore fere usque ad dimidium nuper praeteriti saeculi parum aut nihil de artificiali fecundatione amplius cogitatum fuit. Anno vero 1838 doctor Girault, methodum Hunterii perficiens, illam proposuit ad fecundationem habendam in muliere quadam, quae, cum magna angustia colli uterini laboraret, numquam a viro suo fecundari potuerat et per virilem syphunculum, ad hunc finem aptatum, fecundationem obtinuit.

489. Nostra vero aetate novae et perfectiores methodi artificialis fecundationis mulieris inventae ac propositae fuere, et in praesenti videtur haec fecundatio artificialis magis in dies in America et etiam in nonnullis Europae partibus locum habere. Praecipui modi exequendi talem fecundationem consistunt: 1° in coëundo ex parte viri mediante involucro, cui nomen *condom*, ita ut aliquid spatii sit inter involucrum et glandem penis; semen hoc modo iaculatum, peracta copula, per incisionem condom, in parvo syphunculo vitreo, antea calefacto, colligitur, et per virum ipsum aut per medicum introducitur in cavitatem uteri; mulier postea per viginti quatuor horas supina in lecto remanere debet, ut facilior reddatur progressus nemaspermatum: 2° in coëundo more ordinario et normali; peracta iaculatione, in vaginam parvum instrumentum metallicum introducitur, cuius officium est semen iaculatum colligere et introducere usque ad cavitatem uteri; mulier postea per plures horas supina iacet, ut supra; haec operatio a viro ipso vel a medico peragitur; 3° immittendo parvos saccos spermate omnino circumsparsos in profundum vaginae usque ad collum uteri; ad hoc necesse est ut colligatur semen aut prope vaginam in coitu emissum aut ex mansturbatione.

490. His praemissis, quaeri potest quanam de causa fecundatio artificialis nunc temporis tantum invaluerit et medici ipsi in nonnullis casibus satis commendent. Ad hoc respondemus causam fere unicam esse casus adeo frequentes sterilitatis mulieris, et coniuges, quacumque ratione, maxime optare prolem. Multae enim sunt causae sterilitatis mulieris, ut supra vidimus; potiores tamen et frequentiores sunt aciditas muci vaginalis, quae nemaspermata occidit; obstacula cuiuscumque generis ostii colli uterini, quae progressum nemaspermatum usque ad cavitatem uteri impediunt; nimia angustia ipsius ostii; deviatio uteri, ex qua sequitur ostium colli non amplius esse in medio axis vaginae, sed ex latere aut in quacumque alia parte canalis vaginalis, ex qua positione adest fere semper impedimentum progressui seminis; deviationes mobiles uteri, qui in mulieribus, latam pelvim habentibus aut sat macilentis, situs diversos occupat pro varia positione corporis mulieris etc. Ex his omnibus et aliis causis evidens est semper agi de sterilitate.

491. His praemissis, quaeritur utrum fecundatio artificialis sit licita.

492. Ad haec usque recentiora tempora, nonnulli theologi, ex

quibus Ballerini-Palmieri [1] contra aliquos, liceitatem tuebantur etiam in casu, quo semen per voluntariam pollutionem obtentum fuisset. Attamen Congregatio S. Officii, quaestionem amovit seq. resolutione:

« Die 24 martii 1897. — In Congregatione generali S. R. et U. I. habita coram Emis ac Rmis Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito dubio: *an adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio?* omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabitaque DD. Consultorum voto, iidem Emi Cardinales respondendum mandarunt: *non licere* ».

Quam responsionem S. Pontifex 26 aprilis approbavit [2].

493. Notandum hac S. O. resolutione artificialem fecundationem *proprie dictam* illicitam tantum declarari, non vero omnes operationes, quae opus naturae aliquo modo adiuvant; hinc ex. gr. non videtur esse illicitum si quis, ob causas supra allatas, copulam physiologico modo perageret, et postea, sive digitis, sive syphunculo, semen, in vaginam iam immissum, ulterius, usque ad ostium uteri, impelleret ad fecundationem certius obtinendam. Ratio est, quia fecundationis artificialis nomine proprie dictae intelligitur immissio seminis, habiti *per mansturbationem*, in vaginam femineam; in casu nostro, cum copula naturali modo peracta sit et semen iam vaginam possideat, non videtur aliquid illiceitatis prae se ferre ulterior immissio per digitos aut syphunculum in organa interna mulieris [3]. Ratio vero illiceitatis in casu S. O. videtur esse quod pollutio voluntaria sit semper malum seu peccatum et numquam liceat bonum aliquem effectum ex malo, uti causa, habere.

---

[1] Ballerini-Palmieri, *Op. cit.*, vol. VI, n. 1304, pag. 688.

[2] *Monitore ecclesiastico*, aprile, pag. 27 seqq.

[3] Genicot, *Op. cit.*, vol. II, n. 545, VI; Sani, *Op.* et *vol. cit.*, n. 1912.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO ECCLESIASTICO

494. Ut notum est, *abstinentia* (extra ieiunium) consistit in prohibitione manducandi carnes certis anni diebus, quarum loco sufficiuntur pisces aliaque animalia, quae piscibus aequiparantur.

495. Praeceptum abstinentiae viget universaliter feria sexta cuiuslibet hebdomadae, excepto die Nativitatis D. N., si occurrat in praedicta feria, ex privilegio Honorii III pro iis, qui nec voto nec regulari observantia adstricti sunt, et sabato, ubi viget, nisi legitima consuetudo aliud praescripserit vel accesserit privilegium S. Sedis, ut in pluribus locis est in praesenti. In pluribus vero Galliae regionibus ex consuetudine servatur abstinentia tribus diebus Rogationum et in vigilia S. Marci.

496. Diu disputatum fuit *quaenam animalia* comprehendi deberent nomine *piscium,* qui permittuntur, et quaenam nomine *carnis,* quae prohibentur praefatis diebus. Tota ratio confusionis, quae facta fuit, procedit ex deficientia notionum historiae naturalis animalium; veteres enim docebant prohibitam esse carnem omnium animalium terrestrium, seu quiescentium et respirantium in terra; licitam vero esse carnem piscium seu animalium aquaticorum, quae vivunt et respirant in aqua, et ad haec referebant lutras, castores (fibros), anates, fulicas, trichecos, phocas etc. S. Thomas vero tradit: « Ad discernendum quae animalia reputanda sint carnes, quamvis non leve iudicium sit attendere, an illa diu extra aquam vivere soleant, magis tamen attendenda est communis aestimatio fidelium ac iudicium medicorum, si reputent carnes vel pisces » [1].

497. In *dubio* vero, triplex regula assignatur: 1° inspicienda est structura animalis, utrum similis sit vel dissimilis animalibus terre-

[1] S. Thomas, 2. 2. q. 147, a. 8.

stribus; 2° attendenda eorum vis nutritiva; 3° consuetudo [1]. Persistente adhuc dubio, licet comedere cum lex abstinentiae sit negativa, usquedum de illiceitate comparata sit certitudo.

498. Ut quaestio de *natura carnis* facile possit resolvi, videtur proficiendum esse et sensu communi fidelium et iudicio naturalistarum seu physicorum. In primis certum est, diebus abstinentiae, penes omnes: 1° esse licitos omnes pisces, qui vivunt exclusive in aquis, ibidem multiplicantur, et respirationem habent non aëream sed per branchias, quales sunt ex. gr. clupea harengus, merlucii (gadus), tymnus, salmones, soleae (ital. *sogliole*), mulli (it. *triglie*), xiphias (ital. *pesce spada*), mugiles (ital. *cefali*), cyprii (it. *carpe*), tinca, lucius, trutta (it. *trota*), anguilla, acipenseres (it. *storioni*), musteli (it. *pesce palombo*), raiae (it. *razze*), petromizones (it. *lamprede*) etc.; quae omnia vere sunt pisces, sensu etiam zoologico seu scientifico; — 2° item certum est esse licitas testudines terrestres, etsi vivant in terra et respirent per pulmones, sepias et octopos (it. *calamari, calamaretti*), quae sunt omnino aquatica et respirant per branchias; helices (it. *chiocciole, lumache*), quae sunt terrestres; ostreas, tellinas, mitilos (*pidocchi di mare*), pholades (it. *datteri di mare*), solenes (it. *manicai, cannonicchi*) et cetera similia animalia, quae sunt marina et respirant per branchias; ranas, quae sunt terrestres et respirant per pulmones; astacos (it. *gambarelli di fiume*), telphusas (it. *granchi di fiume*), palinuros (it. *aragoste*), paguros (it. *paguri*), squillas (it. *pannocchie di mare*), carcinos (it. *granchi di mare*), quae omnia respirant per branchias etc.; — 3° certum est apud omnes prohiberi carnes bovis, ovium, caprarum, agnorum, leporum, erinaceorum terrestrium (it *ricci di terra*), caviarum (it. *porcellino d'India*), hytricis, equi caballi, gallinae communis, meleagris (it. *tacchino, dindo*), phasianorum, numidarum (it. *gallina di Faraone*), coturnicis (it. *quaglia*), anatis communis (it. *anatra domestica*), scolopacis (it. *beccaccia*), omnium passeraceorum (quales fringillae, turdi, alaudae etc.) et omnia illa animalia, quae communiter aves vere sunt et nuncupantur, scilicet quae plumis obteguntur, respirant per pulmones et deponunt ova; — 4° certum est animalia praedicta, quae censentur certo prohibita, habere maiorem vim nutritivam, quam animalia, quae certo non sunt prohibita. Iam, ex mox praefatis, con-

---

[1] Bucceroni, *Inst. Theol. Mor.*, edit 4, vol. I, n. 1572.

stat sensum communem hominum, qui legem abstinentiae interpretatus est, in distinguendo carnes licitas et illicitas characterem magni ponderis tenuisse et secutum esse; nam omnia animalia, supra recensita, certo licita seu permissa, hoc habent commune, scilicet *sanguinem frigidum* (*animalia eterotermata*), seu talis temperaturae, quae mutatur pro varia externa temperatura ac ideo pro variis anni temporibus; animalia vero praefata, quae certo prohibentur, sunt animalia, quae habent *sanguinem calidum* (*animalia autotermata*), scilicet quorum sanguis est semper fere eiusdem temperaturae, ac ideo non mutatur iuxta mutationes externas et anni tempora. Qua re interpretatio legis abstinentiae iuxta sensum communem congruit cum tali charactere scientifico, per quem facile est discernere utrum tale animal sit censendum licitum vel illicitum; ac ideo videtur hoc *principium* in praxi sequendum, quia, ut ait S. Thomas mox relatus, innitur et communi aestimatione fidelium et iudicio physicorum. Hinc sequitur *regula generalis:* omnia animalia e sanguine calido (autotermata) prohibentur diebus abstinentiae; omnia animalia e sanguine frigido (eterotermata) permittuntur diebus abstinentiae. Animalia vero autotermata sunt tantum *mammalia* seu *mammifera* (quae scilicet nutriunt lacte uberum suos natos) et *aves omnes* (quae scilicet binas habent alas, corpus plumis tectum, rostrum et deponunt ova), praescindendo omnino utrum vivant in terra vel prope aquas et nutriantur seminibus, aut piscibus etc.; sunt semper verae aves. Qua re omnino prohibita censenda sunt sequentia animalia, scilicet castores seu fibri, lutrae, phocae, trichechi, et similia, quae sunt vere mammalia, etsi prope aquas vel in aquis vivant, fulices (*folaghe*), anates silvestres, corvi aquatici seu marini (nycticorax griseus), quae sunt verae aves, nisi specialis concessio illas permittat.

499. Utile ducimus hic nonnulla adiicere de usu *peptonum* in diebus abstinentiae, cum hic usus magis magisque extendatur et plures peptonum species commercium nunc temporis nobis praebeat. Ut recte de eorum liceitate iudicium feratur, opus est ad mentem revocare quid sint peptones et quomodo in praxi obtineantur. Notum est substantias ciborum magis nutrientes esse illas, quae azotum continent, seu omnia quae in physiologia nomine « albuminoidum » vocantur, quia similia albo ovi gallinae (I, 24). Alimenta azotata non tantum in ovis, sed etiam in qualibet carne, in seminibus vegetalium, in caseo, in lacte etc., plus minus abundanter inveniuntur. At omnia haec ali-

menta, ut possint nutrire, seu in substantiam protoplasmatis cellularum converti, opus est ut immutentur in alias substantias, quae, etsi ipsam, quam antea, compositionem chemicam habeant, proprietatibus tamen omnino novis pollent, uti iam diximus. Quae quidem immutationes in organismo efficiuntur in stomacho per actionem pepsinae una cum acido chloridrico et in intestinis ope liquidorum, quae ibi secernuntur (I, 41, 42). Facta vero dicta immutatione, habentur peptones, qui azotatorum alimentorum nondum digestorum novas omnino proprietates habent, quas supra retulimus. Peptones hinc non sunt nisi partes essentiales vere nutrientes ciborum azotatorum et praesertim carnium, iam perfecte digestae ac proinde illico aptae ad nutritionem.

500. Peptones omnes, qui in commercio prostant, habent omnes praefatas proprietates; obtinentur ex carne bovis, et pluribus modis, qui sunt sequentes:

a) Ope pepsinae dilutae, quae ex stomacho animalium colligitur, una cum certa quantitate acidi chloridrici et ope caloris 50°, fit digestio carnis per duodecim horas; dein per media apta probatur utrum omnia alimenta azotata peptones facta sint;

b) Ope liquidi glandulae pancreaticae, quod ex *pancreas* animalium obtinetur, et ope solutionis alcalinae (seu kalium vel natrum continentis) fit digestio artificialis carnium, donec peptones effecti sint;

c) Loco pepsinae vel liquidi pancreatici fit digestio carnis ope nonnullorum liquidorum, qui ex vegetalibus obtinentur, ut agave, ananas etc., quae habent proprietatem immutandi carnes in peptones;

d) Demum peptones obtinentur etiam ope vaporis aquei valde calefacti una cum acido chloridrico (2 %), per decem usque ad quindecim horas agentis supra carnes.

501. Quicumque modus ex praedictis adhibeatur, peptones iidem sunt, qui naturaliter in stomacho et intestinis efformantur, easdemque habent proprietates; dein peptones arte conficiuntur ut facilior et abundantior evadat corporis nutritio absque labore stomachi et intestinorum; peptones enim simul ac immissi sunt in stomacho, in circulationem cum sanguine transvehuntur et ad nutritionem inserviunt.

502. His praemissis, clare patet usum peptonum diebus, quibus usus carnium est vetitus, esse omnino illicitum, si, ut facile intelligitur, excipias casus particulares, qui, ob speciales rationes, a lege

abstinentiae eximunt, sicut debilitas etc. Nam peptones sumere idem est ac principaliorem carnis substantiam iam omnino digestam manducare. Nec intelligi facile potest quomodo Génicot [1] illos permittere queat, etsi careant, ut ait, « ea delectatione ob quam homines carnes appetere solent et potius inter medicinas quam inter cibos locum vindicat (pepton) ». Abstinentia enim a carnibus non consistit tantum in subtractione ciborum, quos homines appetunt (ceterum plures pisces, crustacei et alia ordinaria magis appetuntur, quam carnes), sed in subtrahendo corpori magis nutrientes cibos, ut passiones facilius obtundantur, mortificatio sensuum sequatur et spiritus magis corpore castigato dominetur; nec verum est peptones potius inter medicinas censendos quam inter cibos; nam peptones sunt vere cibi, immo cibi penitus digesti et totaliter nutrientes, cum non possideant partes eiiciendas, et cum peptones commercii proveniant ex carnibus, quae prohibentur diebus abstinentiae et hac ratione sint quam maxime nutrientes; quare omnino illiciti censendi sunt. [2]

503. *Ieiunium ecclesiasticum* complectitur tempus Quadragesimae, exceptis diebus dominicis, quatuor anni tempora, vigilias Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. V., Sanctorum omnium, SS. Apostolorum Petri et Pauli, feriam sextam et sabata sacri Adventus et ieiunia particularia uniuscuiusque Dioeceseos, praesertim in pervigilio Patroni.

504. Ieiunium ecclesiasticum *triplicem* partem comprehendit, ut notum est, scilicet 1° *unicam* refectionem (prandium), in qua ieiunantes possunt manducare quantum volunt, salva virtute temperantiae; cui refectioni adiicitur refectiuncula vespertina (coenula) et frustulum theologicum mane; 2° *abstinentiam* a carnibus et lacticiniis, nisi indultum speciale accedat; 3° *tempus* determinatum ad refectionem principalem sumendam.

505. Ieiunium *substantialiter* consistit in *unica* refectione, quatenus, quoad qualitatem ciborum, possunt adesse indulta vel dispensationes, ut ordinarie est.

506. Omittentes quae ad refectionem unicam et frustulum referuntur, in quibus nullum dubium haberi potest, nonnulla referimus de *quantitate* ciborum in refectiuncula vespertina, quae tradunt theologi. Circa huiusmodi quantitatem, triplex habetur regula seu norma, quam omnis fidelis tuto sequi potest.

507. 1ª *Reg.* — *Omnes sumere possunt octo uncias ciborum*, ex S. Alfonso cum communi. « Quantitas octo unciarum ita hodie usu recepta est, ut indistincte per-

---

1 Génicot, *Op. cit.*, vol. I, n. 442.

2 Cfr. *Il Monit. Ecclesiastico*, 2ª Ser., fasc. 3, 31 Maii 1900, p. 124.

mittatur, etiam illis, qui cum illa ad satietatem reficiuntur » [1]. Octo unciae aequivalent circiter 240 gram. Advertatur tamen hanc normam nonnisi proximativam esse et posse etiam paullo maiorem quantitatem ciborum sumi pro locis frigidioribus et cum praedicta quantitas non sufficeret ad servandas vires necessarias ad propria munera obeunda. Neque necesse est ut praefata quantitas statera ponderetur; sufficit ut verosimiliter existimetur praedictae quantitati aequivalere. Recte tamen monet Berardi [2] cum Alberti [3] hanc quantitatem valere pro pane, piscibus et fructibus exsiccatis, non vero quoad poma, cucumeres, pepones, uvam recentem, herbam (*insalata*), oryzam cum aqua ebullitam, et alios similes cibos, qui continent magnam quantitatem aquae et parum substantiae nutritivae, etsi habeant facilitatem satiandi seu implendi stomachum et paullo post relinquunt magnam corporis debilitationem; ac proinde quoad hos cibos inspicienda est vis nutriens seu substantia, quam dare possunt, quae in casu herbarum omnium est omnino minima, etsi illarum quantitas sit magna; alias enim non liceret sumere offam ex unica uncia ebullita cum libra seu duodecim unciis aquae, quod omnino repugnat.

508. Theologi insuper addunt quod, etsi octo unciae ex pane, sale et oleo, absque ebullitione sumi possint, tamen, si accedat ebullitio, non amplius liceret, quia, aiunt, per ebullitionem augetur vis nutritiva, et tantum quinque unciae panis tunc adhiberi posse tradunt.

509. Haec ratio maioris nutrimenti per ebullitionem, admitti non potest; ebullitio enim non mutat vim nutritivam panis, sed tantum efficit ut magis digeribilis fiat; per ebullitionem amylus panis absorbet aquam et fit glutinum (ital. *colla*), partes durae fiunt molles et cetera elementa panis item emolliuntur; at amylus remanet amylus, albuminoides remanent albuminoides et ita de ceteris eius elementis; mutatio chemica nulla intervenit, quae possit augere vim eius nutrientem. Si panis coctus *videtur* magis substantiosus, pendet tantum ex miscela perfectiore panis cum aqua, oleo et sale et quia est pulmentosus. Vis nutriendi eadem est ac si sumeretur absque ebullitione. Qua re in decoctione panis ponderanda est tantum quantitas panis, olei et salis, non autem aqua. Hoc valet etiam de oryza, leguminibus et omnibus pastis, quovis modo coctionis sumantur. Pastae enim eamdem naturam habent ac panis, cum eadem farina triticea constent; oryza vero minoris nutrimenti est quam triticeus panis, cum minorem quantitatem albuminoidum contineat. Idem dicendum de pane intincto in coffaeo in refectione parva mane; si enim,

---

[1] S. Alfonsus, *Op. cit.*, l. 3, n. 1025.

[2] Berardi, *Praxis Confessariorum*, edit. 4ª, v. 3, n. 23.

[3] Alberti, *De ieiunio ecclesiastico*, n. 9.

possunt sumi mane duae unciae panis tantum et postea potest quis bibere coffaeum quantum vult, qua ratione non poterint sumi duae unciae panis intincti cum coffaeo, sed tantum uncia cum dimidio, uti opinantur theologi? Panis cum coffaeo eamdem substantiam seu vim nutritivam retinet, quae nullo modo ex imbibitione coffaei augetur, nec aliquid novi acquirit panis per huius imbibitionem. Si difficultas oritur ex saccaro commixto cum coffaeo, notandum saccarum debere esse quantum satis est ut potio sit adhuc potus in communi existimatione; et si panis tantum (absque coffaeo), ex sensu theologorum, non debet excedere notabiliter duas uncias, videntur duae unciae panis et saccarum in coffaeo (seclusa aqua) non excedere notabiliter hanc mensuram, ac ideo posse una cum coffaeo sumi.

510. 2ª *Reg.* — *Quilibet ieiunans potest in coenula sumere quantitatem ciborum aequivalentem quartae parti ciborum, quos in prandio sumere solet.* Prandium ordinarium difficile excedit triginta duas uncias ciborum; qua re potest quis licite sumere in coenula circiter decem uncias ciborum.

511. 3ª *Reg.* — *Quantitas licita ciborum non est mensuranda pondere, sed pendet ex necessitate subiecti, quae parvum aliquod augmentum permittit, quin ieiunium destruatur.* Haec norma ita exposita incidit in primam regulam. Ecclesia enim per ieiunium non intendit impedire alias pias et magis necessarias causas, ut tradit S. Thomas; ac proinde quoties quis maiore quantitate ciborum indiget, ut rite sua munera obire possit, licite potest amplius cibi sumere.

512. Ad haec notari oportet: 1° nullam Ecclesiae adesse dispositionem quoad quantitatem, quae in coenula sumi potest et praefatas normas a theologis tradi ita, ut admittant quamdam parvam latitudinem, seu esse normas mere proximativas; 2° necesse esse praecipue habere rationem circumstantiarum et status singulorum subiectorum, scilicet aetatis, roboris physici, laboris, occupationis mentalis, qualitatis vitae (activae, sedentariae etc.), sexus, temperamenti, durationis ieiunii (quadragesimale enim magis vires extenuat quam alia anni ieiunia), appetentiae ciborum, maioris aut minoris facilitatis digerendi etc.; quae omnia possunt efficere ut paullo maior quantitas ciborum licite sumi possit, seu quantum quis existimat necessarium ne officia proprii status impediantur; 3° cum lex ieiunii sit mere positiva, non obligat cum gravi incommodo, quod non est commensurandum absolute, seu in se, sed relative seu in singulis subiectis; potest enim fieri ut quod pro uno sit grave incommodum, pro alio vix levissimum sit, quod non excusat seu non suspendit legem. Grave incommodum vero, quod efficit ut leges humanae non obligent, consistit

in eo quod alicui iuri non satisfiat, ob graves rationes, cum tunc habeatur collisio iurium, in qua collisione ius minus cedit iuri maiori; hinc ex. gr. si observo legem ieiunii, afficior aliquo morbo aut incommodo stomachi, quod plures dies perdurare potest vel impedior incumbere meis officiis, collisio fit inter legem ieiunii et meum ius servandi sanitatem, cuius amissio certo grave incommodum est; ex hac collisione suspenditur lex ieiunii et praevalet ius servandi meam sanitatem ac ideo non obligor ieiunare, quia intentio Ecclesiae non est, causa ieiunii, impedire quominus quis morbos aut gravia incommoda patiatur aut aliud notabile damnum subeat; materia enim legis debet esse possibilis, seu non debet excedere vires humanae naturae et non esse nimis difficilis, sed accomodata infirmitati humanae naturae.

513. Regulas, quae servari debent in dubio de exemptione ieiunii, ita exponit Alberti:

a) « Qui certus moraliter est se habere causam excusantem a lege ieiunii, non obligatur ad petendam dispensationem. Ratio petitur ex doctrina generali de legis dispensatione... Certitudinem vero vel probabilitatem circa existentiam causae excusantis a lege ieiunii quis assequi potest vel per proprium iudicium (dummodo non adsit periculum allucinationis), vel per iudicium medici (dummodo non sit lassatae conscientiae), vel per Confessarium (dummodo sit doctus et prudens). Sed dices: consilium tum medici tum confessarii semper expetendum est in hac re; constat ex Bulla « *Non ambigimus* » Bened. XIV. Verum praedicta Bulla, ut animadvertit Berardi, non respicit casum, quo quis naturaliter a ieiunio excusatur, sed casum exemptionis a ieiunio, mediante superioris dispensatione ».

b) « Ille etiam, qui adhibita diligenti inquisitione, probabiliter putat se habere causam a ieiunio excusantem, non tenetur petere dispensationem; nam in hoc casu invocari potest illud principium « Lex incerta non obligat », vel alterum « Non datur obligatio nisi de ea certo constet ».

c) « Qui dubitat (dubio negativo vel fere negativo) de sufficientia causae excusantis a ieiunio, tenetur absolute petere dispensationem. Ratio petitur ex doctrina de dispensatione a lege in genere » [1].

514. Notum est *causas*, excusantes a ieiunio, esse quae referuntur vel ad impossibilitatem *physicam* vel *moralem*, vel ad *pietatem* vel ad *charitatem*, vel ad *dispensationem*. Nonnulla hic dicere oportet de *causis physicis*, quatenus spectant ad *physiologiam*.

515. *Regula physiologica* maximi momenti est ut corpus non

---

[1] Alberti, *Op. cit.*, n. 31.

careat necessario nutrimento, ut rite compensentur processus desassimilationis (I, 111 et 112), qui continuo eveniunt, et notum est sanitatem servari, quum processus assimilationis aequivalent processibus desassimilationibus. Hinc: — 1° quo magis activi sunt hi processus desassimilationis, tanto maior *quantitas* ciborum requiritur ad servandam sanitatem; quod quidem notatur in iuvenibus, in illis, qui vitam valde activam et laboriosam ducunt, et, generatim loquendo, in iis omnibus, qui utuntur suis viribus plene et perfecte, quales sunt, ex. gr. operarii, milites, cyclistae, nautae etc.; omnibus his necessaria est alimentatio *abundans* sive lacticiniorum sive etiam ciborum esurialium; — 2° quum vero processus assimilationis et desassimilationis sunt lenti, torpentes, sive ratione qualitatis vitae quam quis degit, sive ratione aetatis, sive ratione physicae constitutionis debilis, oportet ut prae omnibus habeatur ratio *qualitatis* ciborum, quia in his casibus abundantia ciborum potest esse noxia, ut contingit, ex. gr. in senibus, in iuvenibus debilibus, in feminis nondum plene evolutis, in iis, quibus munera publica assignata sunt, in studentibus seu scholaris, magistris, etc.; in his casibus, carnes sunt necessariae; — 3° generatim loquendo, cum stomachus est sanus et digestiones regulari modo procedunt, at processus desassimilationis sunt valde activi et nisi valde nutriens alimentum adhibeatur, debilitas etiam magna sequi potest, carnes sunt omnino necessariae; cum vero stomachus debili vi digerendi pollet, regimen lacteum magis necessarium est; quod quidem evenit ex. gr. in morbis renum et intoxicationibus.

516. Iuxta haec principia et iudicio medicorum, quos ad rem consului, 1° alimentatio *lacticiniorum* praecipue (non exclusa tamen carne, absque ieiunio), *debet* concedi praesertim iis, qui laborant pruritu (cum perturbationibus stomachi ob difficultatem digestionis, cum vomitu etc.), achne (pediculi in facie et reliquo corpore), albuminuria, angyna (gutturis morbus), anorrhesia (defectus appetitus), arterio-sclerosi, morbis cordis in genere, blenorrhagia (fluxus muci ex urethra ex causa non syphilitica), cephalaea (capitis dolores), cirhosi (hepatis morbi cum hydropisia), cystite (inflammatio vesiculae urinariae), cholerica tormina (cholica hepatis), congestione hepatica potatorum et comedonum, diarrhaea, dispnaea (difficultas respirationis), dissenteria (fluxus ventris frequens et sanguinolentus), eclampsia praegnantium (convulsiones), eruptionibus pellis in genere, vomitu, nausea, eructationibus et pyrosi stomachi, insomnia, hypertrophia prostatae (praesertim senum), ictero (*itterizia*), calculis biliaribus,

menopausa (in mulieribus tempore suppressionis menstrui), rheumatismis, catarrho stomachi, etc.

517. 2° *Carnes concedi debent absque ieiunio* iis, qui laborant anemia, bronchiorum chronicis inflammationibus, cancro, chlorosi, chorea, adiposi cordis (cum difficultate respirationis, debilitatione, deliquiis), diabete, dilatationibus stomachi, perturbationibus omnibus in physica corporis evolutione, enterite (catarrhus intestinalis), herpetismo (gutta, eczema, pruritus, furunculi, arenula et calculi vesiculae urinariae), excessiva secretione lactis, lichene (eruptio papulosa pellis), mixedemate (status cretinoides ob atrophiam glandulae *tiroidis*), strumate (ital. *gozzo*), morbo Addison (color aeneus pellis ob destructionem capsularum suprarenalium), nevrasthenia (debilitas nervorum), obesitate (nimia pinguedo), urticaria, omnibus morbis tum medicis tum chirurgicis, quibus suppuratio accedit, rachitide, scorbuto, scrophula, syphilide, phthisi, lymphaticismo, menstruationibus profusis et ante tempus; item excusantur mulieres lactantes, studentes, qui vere student, omnes illi, qui seriis studiis incumbunt, cum applicatio diuturna mentis valde debilitet systema nerveum, praesertim cerebrum et digestiones reddat lentas et difficiles, et omnes, qui subiiciuntur causis quibuscumque debilitantibus et morbis chronicis omnibus.

518. Attamen notandum aliquando in nonnullis ex praecedentibus casibus posse observari ieiunium, uti ex. gr. contingit in affectis arterio-sclerosi, gutta et omnibus morbis pellis. At, quoad haec, medicus est consulendus.

---

519. Addenda hic pauca censemus *circa modum hygienice servandi et custodiendi templa, resque nonnullas ad ea aliquo modo pertinentes.* Possunt enim, quamvis raro, haberi templa, quae aptiora diceres ad repellendos quam ad vocandos fideles. Necesse est igitur ut ea munditia niteant, quae domus Dei maiestati, quantum fieri potest, respondeat, neque solum conferant ad pietatem fovendam, sed nullo unquam modo causa possint esse morbi, aut incommodum fidelium valetudini afferant.

Quare haec tria, rei hygienicae causa, attente considerentur:

1. *aër templorum,*
2. *aqua benedicta pilarum,*
3. *grates confessionalium.*

520. Est regula maximi momenti, quoad hygienem, quod *aër locorum*, in quibus plures personae commorantur, *saepe renovetur*, aperiendo fenestras et portas, quia aër continuo immutatur et efficitur non amplius aptus ad servandum bonum statum salutis eorum, qui in praedictis locis commorantur. Aër enim non tantum inquinatur causa respirationis, ut vidimus (I, 73 et ss.), sed etiam ob transpirationem cutis, qua emittuntur e corpore plura venena (toxinae) continuo maioris quantitatis, quae possunt esse causa gravium malorum, etiamsi quantitas oxygeni necessaria ad respirationem non deficeret. Ingratus ille odor, qui statim advertitur in locis habitatis, ubi aër raro aut insufficienter renovatur, testatur huiusmodi corruptionem aëris; quam ob causam fieri potest, ut personae male afficiantur, capitis dolores, vertigines et etiam deliquia patiantur.

521. Aër templorum, praeter communes has mutationes, immutatur etiam ex diversa qualitate et conditione fidelium, qui ad illa accedunt; ecclesias enim frequentant nobiles et pauperes, sani et illi, qui pluribus morbis, etiam ex infectione, aegrotant; ex quo venena (toxinae) etiam maioris gravitatis et periculi in aërem diffunduntur.

522. Ad haec accedit tum calorem ob combustionem cereorum et olei lampadarum, tum usum oxygeni ob praefatas combustiones augere immutationem aëris.

523. In nonnullis templis *humiditas* murorum et pavimenti ob malas constructiones aut ob naturam geologicam loci, reddit magis insalubrem eorum aërem et qui diu in iis morantur, sive ob impressionem frigoris humidi, sive ob frigus pedum, qui nudum et fere madefactum pavimentum tangunt, possunt referre plura incommoda rheumatica et pulmonum, praesertim si corpus antea nimis calidum aut sudore conspersum erat.

524. Aliud incommodum valde grave hic notandum, scilicet quod saepe fideles salivam et catarrhum pectoris emittunt super pavimentum, quod aliquando impedit alios etiam genuflectere et vestes inquinat. Hae emissiones possunt continere quamplurima bacteria phthisis pulmonaris; unus enim sputus tantum phthisici continet plus quam decies centena millia bacteriorum phthisis; his emissionibus exsiccatis, bacteria, praesertim per motum fidelium, in aëre diffunduntur, vestibus adhaerent, in pulmonibus cum aëre inspirato introducuntur et possunt esse causa pro aliquibus tuberculosim recipiendi. Hinc valde commendandus est usus, in nonnullis templis iam introductus, ponendi in pluribus locis templi capsas aut vasa apta cum

calce viva, in quibus possint pectoris et oris purgamenta proiici; removetur hac ratione periculum morbi et, uti decet, providetur decori domus Dei; nam si quis nobilis alicuius domum ingreditur et curat attente ne super pavimentum expuat, ne in notam deficientis educationis incurrat, a fortiori id observari opus est in domo Dei, quae maximam decentiam in omnibus prae se ferat oportet, et nil habeat quod hanc decentiam aliquo modo offendat.

525. Peioris conditionis sunt illa templa, quae fere tota die, post matutina officia, clausa manent, portis et fenestris item clausis.

526. Omnia haec incommoda facile removeri possunt aperiendo quotidie fenestras et portas templorum, ita ut renovatio aëris late locum habeat, qua omnes aëris immunditiae, venena, acidum carbonicum et tot alia, quae in aëre respirato semper adsunt, omnino auferuntur; hoc modo nullus fidelium excusationem afferre poterit de non frequentatione templorum ob corruptum aërem. Renovatio aëris minuit et etiam omnino tollit humiditatem, quae omnibus nocet.

Alius effectus huius renovationis aëris est servare in templis gradum temperaturae non nimis differentem a temperatura aëris externi; aliquando enim haec differentia temperaturae, praesertim aestate et hieme, maxima est et non sine periculo pro valetudine plurium esse potest.

527. Dein reprobanda omnino est ratio impediendi ingressum lucis et solis in templis. Exceptis horis et diebus, quibus paucitas lucis requiritur ad conciliandam pietatem et in specialibus functionibus, lux et sol libere penetrare sinantur in ecclesiis; lux enim et sol, ob proprietates chemicas, quas habent, occidunt multa bacteria, quae in aëre sunt, augent nitorem templi, removent facilius humiditatem et reddunt fidelibus sensum satisfactionis specialis, quae efficit ut valde libenter in templis ipsi morentur.

528. De *aqua benedicta,* quae in pilis servatur in Ecclesiis, pauca dicam. Aqua benedicta facillime inquinatur, sive causa fidelium illam attingentium, sive quia aliquando, causa devotionis, aliquo morbo externo laborantes illa utuntur ad partes morbo affectas lavandas, sive ob minutum pulverem, qui in eam ex aëre continuo cadit, qui aër semper plurima bacteria continet. Accedit quod quies aquae et parva quantitas salis adhibiti reddit evolutionem bacteriorum magis facilem et maius periculum contrahendi aliquem morbum. In pluribus locis institutum est examen microscopicum aquae benedictae nonnullarum ecclesiarum et inventa fuere plurima bacteria, ex quibus

nonnulla etiam, quae sunt causa morborum ex infectione valde contagiosorum. Dein non raro evenit, ut aqua pilarum per plures hebdomadas ibidem servetur; quo fit ut fusca appareat ob depositum mollem et fere cinereum, qui parieti pilarum adhaeret. Haec ratio custodiendi aquam benedictam valde reprobari debet, quia omnino disconveniens est decori ecclesiae et fideles arcet ad signandum se signo crucis digitis in ipsa madefactis et ideo causa est cur indulgentiae non acquirantur ex eius usu. Haec incommoda tamen facile vitari possunt adhibendo maiorem diligentiam. In primis necesse est ut aqua benedicta saltem bis, aut ad minus una vice qualibet hebdomada renovetur, quin expectetur tempus, quo evaporatio fere exsiccaverit pilam; dein oportet, ut, remota vetere aqua, pluries pila lavetur cum spongia et aqua cum sapone et in nova aqua benedicenda adhibeatur maior quantitas salis, quod efficiet ut aqua difficilius inquinetur et paullo diutius immutata permaneat. Addi etiam potest acidum salicilicum (3 %). Demum bene semper erit, si pilae tegantur operculo ligneo mobili, quod tamen sinat libere immittere manum ad attingendam aquam. Haec servare, facile est omnibus ecclesiis; et fideles omnes aquam benedictam acciperent et indulgentias lucrarentur, si spurcitiam pilarum et aquam turbidam amplius non viderent; quod quidem certe augeret decorem et decentiam ecclesiarum in omnibus necessariam et indirecte foveret etiam pietatem fidelium, quia omnia, quae referuntur ad pulcritudinem, ordinem et decentiam Domus Dei, magnam actionem habet in animis ipsorum fidelium ad excitandum amorem cultus divini.

529. Quod diximus de aqua benedicta, valet etiam, generatim loquendo, de *gratibus* confessionalium. Aliquando enim videntur grates adeo sorde obscura et crassa obtegi, ut optimae sint ad arcendos fideles a confessionibus. In confessionalibus mulieres omnes se se confiteri oportet, et omnes, quae decentiam quaerunt, necessario tanta sorde fastidiuntur. Quid facilius quam has grates saepe lavare cum lixivia aut sapone et dein perfecte abstergere, ne rubigine aut alio oxido metallico obtegantur? In Ecclesia Dei oportet ut omnia in tali statu inveniantur, ut sint apta ad vocandos et alliciendos, non ad arcendos fideles. At si necessarium est ut decentia in omnibus in templis Dei servetur, oportet ut ecclesiarum rectores et sacristae decentiam vere diligant et in omnibus quaerant; decentia enim decentiam, ordo ordinem gignit.

PARS III.

DE IIS, QUAE REFERENTUR AD GRAVITER AEGROTANTES, MORIBUNDOS ET MORTUOS

530. — Quum Parochus vel Confessarius ad aliquem aegrotantem vocatur, necesse est ut noscat utrum morbus gravis sit an levis, et utrum tempus sit ministrandi Sacramenta Ecclesiae et rite disponendi aegrotum ad transitum ad alteram vitam, ut aeterna salus ei procuretur, et disponendi res, quas forte possidet, si nondum testamentum confecerit. Officium hoc est maximi momenti, cum aeterna salus ab extremo vitae momento pendere possit, eo magis si de magno peccatore agatur, vel de homine parum vitae christianae dedito, vel si medicus et parentes negligant, ut ad tempus Sacramenta Ecclesiae administrentur, quod non raro contingit, aut si nimia spe recuperandae sanitatis decipiantur. Sacerdos igitur, qui aegrotum invisit, si gravitatem morbi noscat, facile satagere potest et debet, ut aegrotus ad tempus animae suae saluti et terrenis negotiis, si opus est, provideat. Quam ob rem, perutile ducimus nonnulla hic exponere de gravioribus signis, quae frequentius in nonnullis morbis occurrunt, quorum gravitas quid agere debeat Sacerdotem docet. Quod quidem non tantum valet pro Sacerdotibus in civitatibus degentibus, in quibus medicus facile vocari potest, sed multo magis pro iis Sacerdotibus, qui procul a civitatibus, vel in oppidis, vel ruri vivunt, qui nonnisi raro medicum consulere possunt, et tamen semper primi sunt in aegrotis invisendis et non raro ex se iudicium efformare debent de gravitate morbi, etsi ad ipsos non pertineat

diagnosim facere et medicamina praebere. Ignorando vero utrum morbus gravis sit nec ne et administrationem Sacramentorum hac causa negligendo, non pauca damna saluti animarum afferri possunt, dum Sacerdos vere ad harum aeternam salutem quaerendam talis a Deo constitutus sit in Ecclesia. Quod quidem magis attendendum, quia saepe aegrotus eiusque propinqui maiorem Sacerdoti quam medico fiduciam habent.

CAPUT I.

DE SIGNIS GRAVIBUS VEL SATIS PERICULOSIS, QUAE FREQUENTIUS OCCURRUNT

531. Tam in morbis *acutis* quam in morbis *chronicis,* quod primum prae oculis haberi debet, est gradus seu intensitas *febris.* Febris *consistit* in augmento caloris corporis, cuius causas hic recolere supervacaneum est.

532. Iuxta tempus, quo morbi perdurant, distinguuntur morbi *acuti* et *chronici;* tamen inter duas has morborum classes nullo modo statui possunt limites absoluti; veteres medici statuebant periodum quatuor dierum pro morbis *acutissimis,* septem dierum pro morbis *acutioribus,* viginti octo dierum pro morbis *acutis,* et quadraginta dierum pro morbis *subacutis;* omnes vero morbos, qui plus quam quadraginta diebus protrahebantur, *chronicos* appellabant [1]. In praesenti, in morbis *acutis* maxime inspiciuntur symptomata vehementiora et quae habent progressum magis rapidum; in morbis *chronicis* considerantur fere eadem symptomata, sed leviora et quae magis lentum progressum habent; insuper nonnulla symptomata morborum acutorum deficere possunt; morbi chronici ordinarie minus graves evadunt, at non raro cito mortales; acuti vero sunt graviores et periculosiores. — Nonnulla de *febri* hic in primis adiicere necessarium ducimus.

533. *Normalis temperatura* seu calor corporis in homine sano est circiter 37° C., qui per thermometrum medicum noscitur per 5-10 minuta in cavo axillae positum; cum hic calor augetur, de

---

[1] Lustig., *Patol. gener.*, I. 29.

febri res est. Si vero thermometrum subtus 36° sistit, et 35° cum decimis vel 35° et etiam minus signat, ordinarie de proxima morte res est, ut accidit in cholera morbo, in gravissimis morbis ex infectione, in typho post haemorrhagiam etc.

534. Ut vero facilius ex indicatione thermometri intensitas febris cognosci possit, utile est sequentem tabulam attendere ex doctore Valli [1]:

Temperatura normalis habetur cum gradus thermom.			signat	36°	- 37°
Febris levis	»	»	»	37°, 1	- 37° $^{9}/_{10}$
Febris ordinaria	»	»	»	38°	- 38° $^{9}/_{10}$
Febris vehemens	»	»	»	39°	- 39° $^{9}/_{10}$
Febris vehementissima	»	»	»	40°	- 40° $^{5}/_{10}$
Febris satis periculosa	»	»	»	40° $^{6}/_{10}$	et 41°

535. Febris semper mortalis est, cum calor per diem perdurat 41° vel 41° et nonnullis fractionibus, vel pertingit 42°.

536. Cum vero febris etiam vehementissima nonnisi per paucas horas perseverat, non agitur tum nisi de gravitate apparente; at in morbis ex infectione (typhus, variolae, difterites, scarlatina, etc.) si calor augeatur usque ad 40° et 41°, semper de re valde periculosa agitur; si vero pertingat calor 41° $^{5}/_{10}$ et etiam 42°, vel si post pellis eruptionem (in variolis, scarlatina) non minuit, mors tunc proxima iudicanda est.

537. Valde prae oculis habendum est etiam *tempus*, quo vehemens vel vehementissima febris perdurat; nam quo longius tempus est, semper maximam gravitatem significat; item valet si agitur de personis quacumque causa debilibus, etsi febris non nimis vehemens sit.

538. Sciendum etiam est ordinarie *diminutiones febriles matutinas* esse generatim boni ominis quoad restitutionem valetudinis, dum, contra, augmenta febris eodem tempore signa infausta esse solent. Item notum est in morbis acutis, cum febris per plures dies (4-6-8) vehemens persistit (40°-41°), quin notabiliter minuat mane, mortem non tardari; eo magis cum sudores accedunt *una* cum inquietudine et delirio aegrotantis.

---

[1] Valli, *Istruzioni mediche e consigli igienici per uso dei Sacerdoti*, 2ª ediz., Como 1902, pag. 57.

539. Aliquando vero, cum *per plures dies* febris satis periculosa fuit (41° et 42° et amplius) et statim decrescit usque ad 37° et etiam minus, haec melior conditio nonnisi fallax est, quia indicat magnam aegroti debilitationem secutam, quae noscitur per pulsationes parvas, frequentes et virium attenuationem; quae omnia indicant mortem proximam.

540. Demum in morbis *diuturnis* consumptionis (phthysis, typhus etc.) frequenter fit ut febris, postquam diu magna fuit, statim incipiat minuere gradatim; hoc infaustum quidem signum est, cum diminutio perdurat usque ad mortem, quae cito contingit. Aliquando vero in morbis *acutis* febris *potest* per opportuna medicamina illico minuere, at paullo post incipit statim augeri usque ad mortem. — *In haemorrhagia cerebrali* augmentum temperaturae est signum infaustum.

541. *Pulsationes arteriae radialis* (pulsus), quae prope basim manus facile advertitur, variant numero pro quantitate caloris seu febris. Constat in homine sano adulto circiter 60-70-72 pulsationes fieri unoquoque minuto primo, quae per horologium numerantur. At cum calor fit febrilis, maiores numero fiunt, et ex eorum numero seu frequentia, possibile *plerumque* est deducere quid sit de statu infirmi. Dicimus *plerumque,* quia pauci sunt casus, in quibus una cum febri, minuunt numero pulsationes, ut evenit in meningite tuberculari, in cholera asiatico, in anemia post copiosam haemorrhagiam, in morbis hydropicis, in paralysi, in morbis chronicis consumptionis etc. [1].

542. Notandum tamen multas causas posse *augere* numerum pulsationum, quales ex. gr. vinum et liquida alcoolica in genere, calidae potiones, coffeum, impressio moralis, ut timor, pavor, visitatio alicuius praeter expectationem, quae immutat statum animi, plures animi conditiones etc.; item *aetas* valde est attendenda; in infantia enim normales sunt etiam centum pulsationes; in muliere sana et adulta circ. octoginta. Quae omnes causae effecerunt, ut in praesenti parum attendatur pulsationibus, sed potius indicationibus thermometri. Attament prope finem vitae maximi momenti est pulsus. Iuxta *aetatem,* normales sunt seq. pulsationes ex Landois: [2]

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, p. 176.

[2] Landois, *Tratt. di fis. dell' uomo* etc., p. 137.

Recenter nati habent pulsationes (in 1')					130-140
Aetate	1 anni	pulsationes	sunt	in 1'	120-130
»	2 annor.	»	»	»	105
»	3 »	»	»	»	100
»	4 »	»	»	»	97
»	5 »	»	»	»	94-90
»	10 »	»	»	»	circ. 90
»	10-15 »	»	»	»	78
»	15-20 »	»	»	»	70
»	20-25 »	»	»	»	70
»	25-30 »	»	»	»	70
»	60 »	»	»	»	74
»	80 »	»	»	»	79
»	80-90 »	»	»	»	plus quam 80

Tabula sequens indicat tantum proximative relationes pulsationum cum febri [1]:

Cum calor est	38° C.	pulsationes	sunt		80
»	39° »	»	»		90-100
»	40° »	»	»		100-120
»	40° » $^{5}/_{10}$	»	»	circ.	120-130
»	41° »	»	»		130-150 et amplius.

543. Hinc infaustum omen, scilicet proximae mortis, habetur: 1° si pulsationes valde abundantes (130-140-160) persistunt, quae indicant initium paralysis cordis, etsi febris minuat; 2° si pulsationes postquam in diuturno morbo non nimis frequentes erant (80-90 circ.), statim augentur (140-150 et amplius); 3° aliquando pulsationes frequentes, quae antea plenae, sensibiles erant, postea parvae, parum sensibiles, debiles evadunt. Pulsationes possunt esse frequentes etiam in statibus morbi chronicis, ut contingit in vitia cordis patientibus, quae constituunt semper grave periculum, etiam mortis repentinae.

544. Cum in morbis febrilibus pulsationes fiunt parvae et filiformes, scilicet adeo frequentes ut numerari fere nequeant, de proxima morte agitur.

545. Aliquando in moribundis pulsus fere regularis persistit et tantum, paullo ante mortem, irregularis, debilis et filiformis evadit.

546. Demum maximi momenti sunt pulsationes *intermittentes* et pulsationes *dicroticae* seu *duplices;* pulsationes sunt *intermittentes* cum ex. gr. systolam normalem vel fortem sequitur contractio debilis, non valens undam sanguinis transmittere ad peri-

---

[1] Valli, *Op. cit.*, p. 65.

pheriam; *dicroticae* vero sunt pulsationes cum in singulis cordis systolis duae sequuntur diastoles, quarum altera vehemens, debilis altera est, quod evenit in morbis ex infectione (typhus) et cardiacis [1], ob pressionem sanguinis vasorum valde debilem.

547. Alia signa, quae gravis vel mortiferi morbi indicia praebent, sunt quae *ex nerveo systemate pendent,* quaeque referuntur vel ad eius *irritationem* vel ad eius *depressionem.* At hic magis attendendae sunt plures circumstantiae, quales aetas, sexus, natura physicae constitutionis etc.

548. Symptomata, ex *irritatione,* potiora sunt:

a) Excessiva *sensibilitas sensuum,* quae manifestatur, per particulares rumores in auribus, fastidium lucis, pupillam angustam, allucinationes, illusiones, absentiam somni plus minus completam.

b) Delirium, vaniloquium cum febri sunt gravis morbi indicia; si vero delirium et vaniloquium cum pauca aut nulla febri coniuncta sunt, proximam mortem indicant, si morbus consumptionis est (phthysis). In morbis acutis adultorum cum febri aliquando delirium interrupte accedit, et inter duplex periodum delirii status quietis notatur; qui valde utilis est pro Sacerdote, cum hoc tempore possit extrema Sacramenta ministrare; eo magis, quod ordinarie postea nova deliria accedunt cum perfecta amissione conscientiae et morte ipsa. Si demum, praeter delirium, convultiones in membris notantur, vel tendinum subsultationes, vel tremitus linguae, vel si infirmus manus porrigat ad aliquid capiendum vel solvendum vel ad colligendos floccos, oculis clausis vel obtutu incerto vel in lecto continuo agitatur, saepissime mors proxima est.

c) Si infirmus convulsionibus generalibus vel partialibus afficitur, quae diu perdurant, vel si interrupte, tamen saepissime manifestantur, cum haec indicent magnam irritationem nervei systematis, mors potest non longe abesse et etiam in ipso accessu contingere; quod quidem non raro observatur in ipsa epilepsia. Convulsiones vero hystericae rarissime mortem afferunt.

d) Singultus frequentes saepe observantur in senibus aegrotantibus etiam cum levi febri, praesertim ultimis vitae diebus [2].

549. Potiora signa, quae ex *debilitatione* nervei systematis seu

---

[1] Valli, *Op. cit.,* p. 68.

[2] Cfr. Valli, *Op. cit.,* p. 69 et ss.

ex eius depressione pendent, sunt sequentia, et maximi saepe momenti, quia per cessationem *definitivam* activitatis nerveae, quae totum corpus dirigit, cessatio vitae sequitur:

a) *Anastesia* seu insensibilitas ad impressiones externas recipiendas, tam in morbis, quos febris comitatur, quam in illis, qui absque febri sunt, est semper signum mali ominis; tale sunt insensibilitas ad fortes splendores lucis, ad vehementes rumores, ad dolorosas affectiones, quae in superficie pellis arte fiunt etc.

b) Item mortem satis proximam significant *paralyses musculorum,* naturalia ostia claudentium (sfincteria, I, 124), adeo ut non amplius suo muneri fungantur; hac ratione infirmi stercus et urinam emittunt praeter voluntatem. Si paralysis brachiorum occurrit cum insensibilitate oculorum et pellis corporis, cum amissione conscientiae etc., mors fere certo est proxima. Idem fere dicendum si paralysis musculos esophagi afficiat, ita ut infirmus neque cibos liquidos deglutire valeat, ob timorem suffocationis.

c) Si infirmus frequentibus deliquiis obnoxius sit et valde debilitatus, valde timendum est ne in uno alterove deliquio succumbat.

d) Quum somnus vel sopor diu tenet infirmum vel in ipso observetur magna dispositio in soporem frequenter incidendi (coma), si simul adsunt convultiones et delirium, malum omen est, quia saepe sopor ingravescit cum amissione conscientiae et memoriae et indicat maximam debilitationem nervei systematis. Idem obtinet si accedit magna debilitatio virium, absentia motuum voluntariorum, satis diminuta vis res externas percipiendi.

e) Si *respiratio* fit difficilis, molesta, profunda, gravissimi et periculosi morbi signum est, quia indicat anormalem functionem nervi pneumogastrici (I, 161 et 63), qui respirationem moderatur, quod potest oriri ex morbis pectoris, ex vitiis cardiacis; quod si paralysis huius nervi progreditur, respiratio molestissima ac frequentissima fit, et proximae mortis ordinarie signum est. Hic etiam meminisse iuvat respirationis modum quemdam specialem, a Cheyne-Stokes dictam, quae consistit in alternatione actus respiratorii cum perfecta quiete seu absentia respirationis; in primis respiratio sat debilis, paulisper magis magisque augetur; dein paullatim decrescit usque ad perfectam quietem; postea incipit denuo respiratio debilis, quae fortior evadit usque ad quietem etc. Quae quidem respiratio, etsi in omnibus non semper indicet certam mortem, tamen in cordis vitiis affectis, ordinarie proximam mortem significat. Tempore quietis

infirmi animo valde depressi apparent cum pupilla angusta, dum, quiete transacta, bono animo fiunt, ipsaque pupilla ad normalem magnitudinem venit [1].

f) Hydropisia comitatur *morbos cardiacos* (vitia cardiaca), quae oriuntur ex immutato modo fungendi valvularum (I, 53) cordis. Quum morbus valde progressus est, vis impellens cordis non amplius tanta est, quae valeat sanguinem regulari modo in varias corporis partes proiicere; qua re fit ut in nonnullis organis sanguis lentissime transcurrat et pars quaedam sistat, *stases sanguineas* producendo. Huius effectus est quod magna pars seri sanguinis a venis exsudet et proxima organa invadat, et si tanta sit ut per vasa lymphatica (I, 69) auferri nequeat, oriuntur formae variae hydropisiae et color violaceus infirmi. Ita augentur maxime femora, pedes, venter et organa in hoc contenta vel manus; facies ipsa et cerebrum congestione afficiuntur cum perturbationibus mentis, vertigine, aliquando etiam cum haemorrhagiis cerebralibus. Color violaceus (cyanoticus) in primis satis levis apparet in labiis, in pinnis nasalibus, in unguibus, in maxillis etc. et postea augescit. Ob impeditam sanguinis circulationem, sanguis in pulmonibus non valet amplius necessarium oxigenum recipere; hinc ortum ducunt asthma, magna difficultas respirandi, catarrhus, et aliquando etiam emissio sanguinis ab ore ob lacerationes vasorum in pulmonibus. Hac conditione constitutus, infirmus non potest vivere et mors omni momento occurrere potest vel ob syncopem, vel ob varias viscerum complicationes, ex. gr. pulmonitem, nephritem, vel ob lentam asphixiam seu ob venena sanguinis, quae per pulmones expelli non possunt. Ordinarie in hoc morbo febris deest. In his morbis, non raro paullo ante mortem, observatur irregularis respiratio Cheyne-Stokes, supra relata.

550. His praemissis nonnullos morbos et eorum potiora symptomata recensemus, quae ipsorum gravitatem significant.

a) In omnibus morbis *hydropicis,* tum localibus tum generalibus, prae oculis semper habendus est status infirmi; si enim tumores hydropici statim apparuerunt in cruribus apud infirmos chronicis, non raro mortem praeannuntiarunt; in hydropisia membranarum, cerebrum involventium (meninges I, 158) observatur amis-

---

[1] Cfr. Valli, *Op. cit.,* pag. 67 et ss.; Capellmann. *Op. cit.,* pag. 179.

sio conscientiae paucis diebus ante mortem; in hydrope pleurarum (I, 79) aliquando, etsi raro, mors illico subsecuta est, ob nonnullos infirmi fortes motus.

b) Omnes *haemorrhagiae,* seu emissiones sanguinis, sive oriantur ob vulnera sive ob vasorum lacerationes ex morbo, plus minus graves et periculosae sunt in seq. casibus: 1° prout persona est debilis, anemica, chlorotica, vel robusta et sanguineo temperamento; in primo enim casu gravior est; 2° pro quantitate sanguinis emissi; quantitas media sanguinis, qui percurrit corpus hominis sani et ponderis c. 65 kg., est c. 5–6 litr.; ex experientia non videtur esse absque periculo vitae emissio repentina unius litri sanguinis, dum etiam maior quantitas emissa per plures dies minus vel nullum vitae periculum inducit; attamen consideranda est natura, robur et temperamentum patientis; si vero post magnam haemorrhagiam convulsiones sequuntur, ordinarie mors proxime est timenda; 3° omnes haemorrhagiae, quae fiunt in interno corporis, sunt semper periculosiores quam illae, quae fiunt in externo seu in superficie; aliquando mors ipsa illico accidit, ut fit in aneurismate, ex. gr. ruptura arteriae aortae, quae immediate e corde originem ducit (I, 55); 4° si emissio sanguinis fortis est, manifestatur pallor visus, sensus frigoris per totum corpus, magna debilitas et etiam deliquium seu syncopes, quae, si diu persistat pluriesque renovetur, timendum est ne mors cito veniat ob deficientiam stimuli cordis et sanguinis in cerebro; 5° omnis haemorrhagia eo periculosior evadit, quo patiens ob debilem constitutionem, ob gravem aetatem coniunctam cum debilitate generali, ob varios morbos, iam gravi debilitatione laborabat. Ex haemorrhagiis, quae nunc temporis tam frequenter contingunt, est apoplexia seu haemorrhagia cerebralis, quaeque non raro illico mortem adducit, cuius gravitas colligitur his aphorismis:

Semel apoplecticus, semper apoplecticus
Apoplexia levis, semper gravis,
Apoplexia gravis, semper lethalis.

c) Magni momenti sunt etiam, in variis morbis, *color* et *siccitas pellis,* eiusque *sudores.* — Color *violaceus* (cyanosis), cum indicat diminutam sanguinis circulationem vel eius stasim, frequenter notatur in cordis morbis, in phthysi, in pulmonite duplici, in asfixia etc., et magnum periculum indicat, praesertim si magna difficultas respirationis accedat, vel extremitates seu brachia et pedes frigescant.

— Color *terreus* ex tumoribus internis concerosae naturae ortum ducit et semper mortem plus minus proximam indicat. — *Siccitas* pellis semper malum grave testatur, praesertim in morbis febriculosis gravibus. — *Sudores,* qui manifestantur, cum febris decrescit, gratum signum boni ominis sunt; sudores vero, qui in morbis chronicis habentur (phthysi), praesertim nocturni, magnam debilitationem indicant; in morbis vero acutis cum febri vehementi, saepe male deponunt. Sudores frigidi in morbis chronicis saepe indicant proximam mortem.

d) *Ulcera ob decubitum,* quae observantur in natibus et in dorso sunt semper gravia, praesertim si agitur de morbis chronicis ex consumptione; oriuntur ex positione, quam tenet diu infirmus in lecto; partes corporis ita compressae male nutriuntur, sanguis irregulariter decurrit, superficies pellis facile rubra evadit, et pellis ipsa gangraena affici incipit; in praesenti iuxta dd. id accidit ob particularem praedispositionem neuro-trophicam partium.

e) *Vomitus* ipse, qui aliquando in infirmis observatur, potest esse signum satis grave. Vomitus stercoris vel cum odore stercoris semper malum est signum, cum indicat intestinum graviter male affici; si hoc fit in volvulo, ordinarie mortale est. Vomitus sanguinis habetur in gravibus stomachi affectionibus, ut fit in ulcere, in carcinomate etc. Si vomitus e flavo, mucoso et foetido paullatim obscurus fit, indicat cancrum stomachi, qui aliquot post menses mortem affert. — Aliquando in morbis acutis, sive cum febris augeri vel declinare incipit, observatur vomitus omnis cibi immissi in stomachum una cum muco et bile; quod pendet ex magna excitatione nervea, quae, via reflexa, in stomachum agit, vel ex particulari statu sensibilitatis stomachi ipsius; quod quidem semper grave est, praesertim si singultus accedat. — Vomitus, quem comitantur morbi graves et saepe medicinis resistentes (meningites tubercolaris, peritonites etc.) semper gravissimi sunt.

f) *Diarrhaea,* quae in nonnullis morbis observatur, potest item esse grave indicium proximae mortis. Quo frequentiores sunt deiectiones alvi in viginti quatuor horis et quo minus per debita medicamina cohiberi possunt, eo periculosiores sunt, quia cito debilitant infirmum iam valde e morbo debilitatum. Si huiusmodi deiectiones fiunt involuntarie et quin ordinarie aegrotus eas advertat, pessimi ominis sunt, cum indicent inceptam paralysim sphincteris analis, et ordinarie post duos vel tres dies mors sequitur. In morbo

« colera asiatico » frequentia et abundantia deiectionum semper male deponunt, praesertim si ex albidis et absque odore, foetidae ac roseae fiunt. Si vero deiectiones commixtae sunt cum sanguine vel e sanguine consistunt, semper valde periculosae sunt.

551. His signis praecipuis praemissis, ex quibus nosci potest gravitas morbi et periculum plus minus proximum mortis, sedulo notandum est, ut melius iudicetur de vera morbi gravitate, necesse esse plura simul colligi ex his signis; quia non semper singillatim inspecta verum statum infirmi testantur, sive quia graviora signa, cum commixta sint cum aliis item gravibus, prae oculis non facile obveniunt, sive quia saepe infirmus ob gravem statum, in quo versatur, non amplius est aptus ea percipere ac manifestare, vel ob insensibilitatem organorum aegrotantium, non possunt amplius infirmum afficere. Neque praetermitti debet non praestandam esse fidem momentaneis illis statibus, in quibus conditio infirmi paullisper melior aliquando apparet, quique paullo ante mortem saepe observantur.

552. Cum vero agitur de *gravibus operationibus chirurgicis,* quales amputatio membrorum, excisio cistium vel tumorum, ablatio uteri vel ovariorum, laparatomia etc., etsi nunc temporis politiores ac perfectiores methodi artis chirurgicae sat remotum effecerint periculum mortis, tamen remanent operationes graves et periculosae, ac ideo semper cura erit Sacerdotis hortari patientes ad Sacramenta ante operationem excipienda, tum quia tranquillior fit animus infirmi, quod valde confert ad bonum effectum operationis, tum quia, si ex aliqua accidentali causa succumbat, iam suae animae saluti provisum est. Etsi enim nunc temporis, ut diximus, exitus harum operationum fere semper optimus sit, tamen aliquando *per accidens* potest lethalis evadere, scilicet ob chlorophormium ad soporem inducendum adhibitum, qui potest esse causa paralysis cordis et pulmonum, ob magnam infirmi debilitationem, ob graves haemorrhagias ex operatione sequentes, ob damnum, quod nonnullis organis proximis inde provenire potest, ob ferra chirurgica non perfecte sterilizata et similes tot alias causas, quae non semper nec praevideri nec praecaveri possunt.

CAPUT II.

DE MORTE

553. Mors est *definitiva* cessatio vitae. Doctor Bichat [1], qui diligenter conditiones mortis investigavit, statuere potuit, mortem semper locum habere cum graviter afficiuntur et immutantur organa maioris momenti, quoad vitam, nempe cerebrum, pulmones et cor. At manet inquirendum quae sunt affectiones et immutationes huiusmodi, quae certe esse non possunt cum aliquo vestigio vitae, etsi minime et nullo modo apparente; quod agemus in hoc capte, cum res maximi momenti sint pro collatione sacramentorum. In primis *exponemus quae communiter docentur a dd.*, et dein *omnia haec ad examen revocabimus,* ut facilius constet quid sit in praxi tenendum.

554. Etsi mors naturalis et necessaria vitae cessatio sit, eiusdem tamen *conditiones* seu *formae* non eaedem sunt in singulis hominibus ; aliquando enim praesertim in morbis ex consumptione (phthysis), vel in senibus valde in suis diebus progressis, lente et fere inadvertenter advenit, adeo ut in his mors nonnisi tranquilli somni speciem prae se ferat; aliquando mortem praecedunt vehementes agitationes, fortes dolores, angustiae, et magnam videtur aegrotus inire pugnam contra mortem; aliquando ob deficientiam sensuum percipiendi vim, mors infirmum arripit, quin ipse antea aliquid adverterit; aliquando demum mors illico apparenter occurrit.

555. At quaecumque sit causa mortis, haec semper suum domi-

---

[1] Bichat, *Recherches physiologiques sur la vie et la mort.*

nium exercet, cum unum ex tribus dictis organis proprias functiones *definitive* amisit. Ex hoc patet veritas illius dicti:

Mille modis morimur mortales, nascimur uno.
Una via est vitae, moriendi mille figurae.

556. Si terminus ultimus vitae idem est pro omnibus, *circumstantiae* seu *modi* pro variis hominibus valde varii sunt, pro aetate, sexu, tempore anni, ac diei horis. Etsi quovis momento cuiuscumque diei mors evenire possit, tamen numerus mortium, seu mortalitas, ex variis circumstantiis pendere videtur; mortalitas enim maior est primis vitae temporibus, cum infantium unus super viginti ante nativitatem moriatur, plures in ipso ortu vel in primo anno vitae, et in decimo anno vivant tres aut quatuor super sex; in adolescentia vero et virilitate mortalitas minuit, quae tamen post sexagesimum annum augere incipit. Insuper, tempore primae infantiae, plures feminae moriuntur quam mares; in secunda infantia, iuxta doctorem Espine, praevalent mortes feminarum et in virilitate et senectute maior evadit mortalitas virorum, cum mulieres facilius usque ad tardam senectutem perveniant, quam viri. Item in regionibus frigidioribus vita longior est et mortalitas minor, quam in locis calidioribus; mortalitas maior est hieme et incipiente autumno, quam aestate et incipiente vere; tempus hiemale valde periculosum est senibus, et, etsi minus, etiam pueris; horis diurnis mortalitas maior est quam in nocturnis, in civitatibus maior numerus mortium habetur a quarta et quinta hora post meridiem, ruri ab octava et nona hora mane, minor vero numerus invenitur meridie et media nocte [1].

557. Physiologice inspecta, vita continua et non interrupta est pugna humanae naturae contra mortem. Ipsa quotidiana necessitas cibos sumendi, aërem purum respirandi, nostra organa exercendi et quidquid aliud ad removendos vel praecavendos morbos agimus, semper ad hoc dirigitur ut mors, quantum possumus, arceatur. Tota ars medica et hygienica ad hoc item tendit. Et si per media apta, ab hygiene praescripta, plures morbos vere praecavere possumus, certum tamen est tandem vel aegritudine vel aliqua accidentali causa mori nos oportere. Vita exilium et locus peregrinationis, mors pec-

[1] Bonucci, *Op. cit.*, pag. 556 et ss.

cati poena est. Nostra patria, ad quam a Deo ordinamur, coelum est, ubi neque ullus dolor, neque morbus ullus, neque mors est amplius; at ad coelum perveniri non potest, nisi per ianuam mortis « *oportet hominibus semel mori* ».

558. Mors potest esse *naturalis* vel *accidentalis*, prout eius causa in natura humana residet, quaecumque sit eius ratio, vel causa extrinseca corpori est, ut vulnera, occisiones etc.; item potest esse plus minus lenta ut in morbis chronicis et saepius etiam acutis fit, vel rapida et apparenter instantanea, ut in fulguratione, apoplexia cerebrali, ex gravi lesione cordis etc.

559. Tempore mortis *non omnia organa eodem tempore moriuntur* seu amittunt *definitive* suam functionem; primi deficiunt gustus et odoratus et post hos ordinarie sensus visionis; qua re fit ut moribundus conqueratur de deficientia lucis, petat ut accendantur candelae, aperiantur fenestrae, nec amplius rite varia obiecta vel personas circumstantes distinguat. Sensus *auditus valde diu perseverat*, et, etsi aegrotus videatur immobilis, incapax membra movendi, et fere mortuus vel profundo somno datus, facile potest circumstantium voces et verba omnia audire, etsi non amplius loqui queat. Quod quidem scire Sacerdoti maximi momenti est, ut pios affectus, parvas preces suggerere valeat, et familiaribus ne quid imprudenter agant vel dicant, quod graviorem reddere possit moribundi statum, mortemque accelerare. Ultimus sensus, qui saepius deficit, est tactus, et non raro moribundi mortis frigus e pedibus in corpus progredi sentiunt. Item varii corporis musculi cum quadam gradatione ordinarie moriuntur et cor est semper ultimum organum moriens; et etiam cum moribundus ultimam exhalationem fecerit, non raro cor nonnullas levissimas pulsationes agit.

560. Mors insuper potest esse *realis* vel tantum *apparens*, prout vere corpus mortuum est, cum organa proprias functiones *omnino* et *definitive* amiserint et anima abierit, vel corpus fere omnes characteres habet verae mortis, cum tamen vita latente adhuc polleat, quam non facile est semper cognoscere. Casus frequentiores, in quibus facile tantum de morte apparente agitur, et quos scire valde utile est, sunt *asphyxia*, *syncopes*, *status lethargicus*, *status cataplecticus*, *coma epilepticus*, *fulguratio*, *veneficia* per nonnullas substantias narcoticas.

561. *Asphyxia* consistit in apparenti deficientia respirationis et sanguinis circulationis. Ortum ducit cum non amplius introducitur

aër in pulmones, ut in submersis vel strangulatis, vel respiratur acidum carbonicum, seu gas quoddam, quod ex nonnullis regionibus e terra effluit, vel ex vini, cerevisiae et similibus fermentationibus abundanter producitur, vel respiratur gas ad illuminandum, aër valde immutatus, aër, in quo magna carbonis copia urit, vel respirantur materiae gasosae, quae ex latrinis evolvuntur, etc.; asphyxia potest oriri etiam causa caloris et frigoris. Potest asphyxia per paucas vel plures horas perdurare.

562. *Syncopes* seu status syncopales manifestantur per suspensionem plus minus perfectam respirationis et circulationis sanguinis cum caloris corporis diminutione et resolutione generali membrorum omnium corporis. Quod tamen valde interest notare est, quod neque excrementa neque urina involuntarie emittuntur et oculorum pupilla satis luci sensibilis permanet. Syncopes potest oriri ex pluribus causis, quae potiores sunt: traumata, valde diminuta vis cordis, graves haemorrhagiae, nonnullae stomachi perturbationes ob cibos ingestos, vehemens excitatio vel dolor, quae ex superficie corporis per actionem reflexam centra nervea vel nervos pneumogastricos afficit, vehemens quaedam animi commotio etc. Syncopes in nonnullis casibus brevi disparet, in aliis (ob traumata) potest cum morte ipsa finem habere. Item syncopes potest contingere post nonnullos morbos (tetanus, epilepsia, asthma, post partus valde difficiles in puerperis), ob frigus, ob graves laesiones cuiuscumque generis, ob vehementes haemorrhagias, etc.

563. Hi status syncopales graves frequenter occurrunt in *catalepsi* et *lethargia,*

564. *Catalepsis* status quidam est morbi nervei, absque febri, intermittens, qui per accessus apparet, quorum temporis spatium valde variabile est; in hoc statu, qui plerumque ex abrupto incipit, deficit omnino sensibilitas, corporis musculi inertes fiunt et rigidi, conscientia plerumque disparet, oculi aperti manent et corpus eamdem positionem servat, quam tempore accessus habebat, lacrimae lente faciem sulcant et corpus velut petrefactum videtur. Character constans huius status est quod membra flexibilia manent et ideo omnes possibiles positiones diu servare possunt, quibus subiiciuntur, etiam contra gravitatis leges. In hoc statu facultates intellectuales suspenduntur et non raro visi sunt infirmi statim post accessum prosequi propositionem aliquam locutionis, quam accessus interruperat. Accessus possunt haberi irregulariter et quocumque tempore, vel, at

rarius, periodice, h. e. eadem semper hora. Respiratio lentissime prosequitur. Accessus perdurare potest per pauca minuta vel per plures horas vel etiam per aliquot dies. Causae catalepsis plures sunt, ex quibus primum locum tenent haereditas, hysterismus, temperamentum valde nerveum, pavor, timor, abusus facultatum mentis, plures morbi cerebrales graves (meningites, tumores cerebrales), vermes intestinales; catalepsis apparet aliquando etiam in infantibus primo et altero aetatis anno.

565. Catalepsis potest obtineri etiam arte in homine et in pluribus animalibus.

566. *Lethargia* seu status lethargicus consistit in profundo somno, cum oculis fere clausis, membris omnino resolutis et absentia totali sensibilitatis. Hic status perdurare potest per pauca minuta vel plures horas vel etiam per aliquot dies; observatur in affectis hysteria, in quibus, si status est gravis, habetur perfecta analgesia, ita ut dolorosiores sensationes, ut punctiones per acus, contactus cum ferris valde calefactis, non amplius percipiantur; auditus perfectior evadit et patiens etiam minimas voces et rumores etiam longinquos audit; gustus et odoratus fere absunt, at remanet excitabilitas muscularis et nervea.

567. Catalepsis et lethargia invenitur in affectis hysterismo, apud quos non raro observatur etiam *extasis nervea*.

568. *Coma epilepticus* est somnus, qui observatur in epilepticis post graves convulsiones, in quo statu abest conscientia, respiratio tranquilla est, et post somnum, qui per plures horas durare potest, infirmus exurgit, quin aliquid recordetur de accessu transacto et stupefactus apparet; in somno rigiditas muscularis redit.

569. Mors apparens est frequentissima in affectis *cholera morbo*, in quo mors apparens consideratur velut periodus seu status quidam morbi ipsius, qui perdurare potest etiam per triginta horas; et causa huius mortis apparentis quamplurimi sepulti fuere adhuc viventes [1].

570. *Fulguratio* habetur, cum quis a fulgure vel currente electrica percutitur. Non qui fulgure vel currente electrica perculsus est, statim moritur, ut fere communis opinio est. In primis notamus fulgurationem fulgure productam non esse eamdem ac illam, qua currente electrica quis corripitur; in fulguratione enim per fulgura habetur laesio canalium circulationis sanguinis et ner-

---

[1] Dr. Gio. Maria Silvestri, *La nota terribile nel colera*, Cuneo.

vorum. Rationes exactas de fulguratione nunc temporis habemus per doctorem Kratter [1], qui plurima experimenta instituit in muribus et aliis animalibus, ad cognoscendos fulgurationis effectus; ex quibus experimentis constat: 1° non omnes fulgurationes gignere mortem; 2° earum effectus esse inducere contractionem musculorum et respirationis suspensionem; et 3° in nonnullis animalibus, in quibus respiratio omnino deerat, cor adhuc pulsare continuasse. Quod quidem maximi momenti est, cum significet hominem fulguratum esse in statu mortis apparentis; ac ideo, si cito respiratio artificialis adhibeatur, ut fit in submersis, facile potest a morte eripi; immo Arsonval indicat fere omnes homines post horam a fulguratione per artificialem respirationem possibile esse ad vitam revocare. Eo magis huiusmodi homines vere mortui esse videntur, cum fulguratio semper conscientiam auferat. Aliquando visi sunt homines fulgurati a fulgure eamdem positionem servasse, quam immediate ante fulgurationem habebant, vel, ob vim vehementis ictus (*contracolpo*), longe proiici. Brevi, effectus electricitatis est *paralysis centri respirationis*, quae constituit formam quamdam asphixiae; quae paralysis, si vinci non potest, mortem certo inducit, ac ideo effectus electricitatis dici potest asphyxia electrica. Post vero revocationem fulgurati ad vitam, remanent saepe perturbationes variae mentis, paralysis motuum, surditas etc. Et haec noscere bene est, cum nunc temporis tot et variae sint applicationes electricitatis in praxi.

571. Veneficia per *substantias narcoticas* habentur, quum ortum ducunt ex substantiis, quae profundum somnum et immutationes organicas plus minus graves inducere valent. Hae substantiae sunt praecipue opium et quae opio extrahuntur, h. e. morphina, codeina, thebania, papaverina et narceina, dein laudanum, cannabis indica, chloralium hydratum, sulphonal et plura huius generis medicamina. Veneficium potest produci vel per errorem praescriptionis medicae vel per errorem pharmacopolae, vel ob errorem infirmi, vel inservientis, qui nimiam quantitatem adhibet, vel, ut saepius, causa sui excidii. Substantiae narcoticae possunt nocere sive sumantur per stomachum, sive modo iniectionis subcutaneae.

572. Effectus, qui observantur ex sumptione *opiaceorum* sunt: sensus debilitationis, pulsationes cordis diminutae, pallor, pupillae

---

[1] Kratter, *Der Tod durch Elecktricität*, Leipzig und Wien, Franz Dentik, 1896.

dilatatae, apparitio frigoris in extremitatibus, aliquando conatus vomitus, nausea, difficultas emittendi urinam; dein, si quantitas sumpta erat nimis grandis et praesertim per iniectionem subcutaneam, notantur somnus profundus, facies rubra, respiratio lenta et difficilis, pulsationes celeres at parvae, pupillae in primis contractae, dein dilatatae, insensibilitas ad lucem, pellis frigida et madida sudore viscoso, tremores membrorum; postremo obtinet collapsus cum morte. Ordinarie mors sequitur post 10-12 horas a sumptione veneni. Quaenam quantitas opii sit necessaria ad mortem inducendam, affirmari non potest; generatim loquendo unum gram. et aliquando etiam dimidia pars gram. sufficit [1]. In veneficiis ex laudano notandum est labia et aliquando etiam digitos flavum colorem accipere, quem simplex lotio aquae communis removet. Effectus morphinae semper citius apparent quam ceterorum opiaceorum, et narceina prae ceteris gravem soporem inducit.

573. *Cannabis indica* ante somnum adducit tranquillitatem et quamdam voluptatem vel pavorem, quem comitari possunt convulsiones et frequens necessitas urinam emittendi.

574. Ceterae substantiae narcoticae valde profundum somnum gignunt, in quo notatur asphyxia, facies coloris violaceo-nigricantis et frigus superficiale totius corporis. Praeterea veneficium per chloralium noscitur facile ex odore particulari, quem communicat aëri expulso respirationis et deiectionibus alvi; veneficium per sulphonal noscitur ex eo, quod producit insensibilitatem in pupilla oculorum et colorem rubrum *et* obscurum in urina.

575. Mors apparens habetur etiam ex veneficiis plantarum *solanacearum, in venenis vegetalibus* et *ex acido prussico.*

576. In morte apparente motus cordis aliquando possunt adhuc percipi, etsi levissimi sint, unus vel plures musculi servant adhuc vim contractionis, et cornea oculorum manet *adhuc diaphana* seu transparens [2].

577. Ceterum omnia veneficia manifestantur per nonnulla symptomata generalia, qualia sunt plures immutationes circulationis sanguinis et respirationis, quas praecedunt perturbationes stomachi cum conatu ad vomitum, vel cum vomitu et doloribus intestinorum;

---

1 Vigouroux, *Op. cit.*, Vol. 3, pag. 242.

2 Bouchut, *Les signes de la mort, p.* 395 et ss.

possunt haberi deliquium, syncopes, delirium, vertigines, convultiones, frigidi sudores, facies plus minus profunde immutata, sensuum amissio etc. [1].

578. *Signa*, ex quibus facilius *de morte apparente* argumentum haberi potest, plura sunt, quorum potiora ad sequentia referuntur, iuxta medicos legales:

a) *Auscultatio auricularis* supra pectus, protracta per plura minuta et pluries repetita, si agitur de morte apparenti, permittit ordinarie cordis motus etsi levissimos, eiusdemque rumores audire. Attamen notandum, aliquos adesse morbos, ut cholera, veneficia per narcosim, hysterismus, asphyxia recenter natorum, syncopes etc., in quibus huiusmodi auscultatio, etiam diu protracta, nullum cognoscere sinit rumorem pectoris; in his casibus illico de morte reali iudicium ferri non potest, cum cordis motus adeo leves esse possint ut audiri nequeant et tamen ad centra nervea sat sanguinis immittatur, ut vita adhuc perseveret. Quod si per *quinque minuta prima*, advertatur perfectam cordis quietem una cum cessatione completa respirationis, de morte reali agitur, iuxta doctorem Bouchut; cessatio tamen per 2-5 minuta motuum cordis coexistere potest cum vita latente, cum audire levissimos motus sat difficile sit et vita perperdurare certo potest etiam cum minimis motibus cardiacis, qui satis sint ut sanguinem impellant ad nervea centra, ex quibus physica vita servatur [2], iuxta alios DD. Inferius plura de hoc notabimus.

b) Si *fricando* fortiter pellem corporis per peniculum, vel per corpora aspera, vel per lanam rigidam et similia obiecta corporis pars perfricata incipit rubescere, et rubefactio perseverat, argumentum habetur de persistentibus cordis motibus ideoque de vita. Quod si perfricatio rubefactionem non adducit, immo pellis dura ac fere sicca ex hoc evadit, signum esset de morte reali. (Cfr. infra).

c) Si ponatur in aliqua parte pellis vas aliquod aquam fere ebullientem continens vel immittatur aliqua gutta cerae hispanicae fusae super pellem, vel si tangatur aliqua flamma (ex. gr. candelae)

---

[1] Cfr. Vigouroux H., *Op. cit.*, vol. 3, pag. 217, et doctores G. Lapponi et G. Moglie, *Le malattie con imminente pericolo di vita e le loro cure d'urgenza*, Roma 1896, pag. 292; Ferrand et Delpech, *Premiers secours en cas d'accidents et indispositions subites*. Paris, 4 edit. 1891.

[2] Montalti-Filippi-Severi, *Op. cit.*, vol. I, pag. 7.

vel ferro valde calido pellis ipsa et appareant bullae eminentes sero plenae, de morte apparente res est, cum hoc indicet sanguinis decursum ac ideo motus cordis.

d) Potest ligari fortiter digitus et observari an color violaceus et lividus et turgor venarum sequatur, ac dein auferendo ligaturam notare an sulcus albus habitus paullatim eius colorem amittat; quod si fit, indicat sanguinis impulsum ex parte cordis ac proinde vitam.

e) Si ponendo prope os vitrum aliquod frigidum (ex. gr. speculum), post aliquod tempus, panniculo, etsi subtili, vaporis aquei obtegitur, mors est apparens.

f) Si proiicendo pluries vi aquam frigidam in facie, vel exponendo prope nares substantias excitantes (alcool, ammoniaca, acetum commune, aqua S. M. Scalae, etere, etc.) vel pungendo aut verberando pellem, vel fricando pectus in regione cordis, vel excitando oculos, aures, nares cum fumo tabaci, vel aqua gelida, aliquid, etsi minimum, appareat vitale, de apparenti morte agitur [1].

579. Adverte tamen haec signa *singillatim* sumpta nihil valoris praebere de morte apparente vel reali, iuxta praefatos DD., et tantum de statu vero infirmi aliquid dici potest, si haec signa simul existere notentur.

580. Cetera media a doctoribus proposita ad statuendam mortem apparentem, sicut iniectio subcutanea ammoniacae purae, vel iniectio in venis lactis, aquae calidae vel frigidae, fluorescinae, microscopicum examen sanguinis ad noscendum statum haematiarum sanguinis, nonnisi per medicum in praxim reduci possunt, ac ideo sufficit nobis tantum meminisse. Advertendum insuper est ex praefatis signis, non omnia facile profanis nota, nec omnia et singula tam facile in praxim ipsos reducere posse.

581. Signa vero *mortis realis*, ex communi doctrina medicorum distingui possunt in *a*) *signa incerta* et *b*) *signa certa* [2].

582. Signa *incerta* sunt.

a) Absentia, etiam diu protracta, intelligentiae, sensibilitatis pellis et sensuum.

b) Relaxatio omnium musculorum aperturas varias corporis claudentium (phincteria) et praesertim ani.

---

[1] Filippi-Montalti-Severi, *Op. cit.* vol. I, pag. 8.

[2] Lefert Paul, *Aide memoire de Médecine légale*, Paris, 4 edit. 1897, pag. 59.

c) *Aspectus oculorum,* qui obteguntur velo quodam viscoso in cornea, quae etiam opaca fit; quod quidem observatur ordinarie in omnibus morbis, quos diarrhaea comitatur et praesertim in cholera affectis. *Pupilla* dein tempore mortis cito maiorem amplitudinem acquirit, et paucas post horas ab obitu constringitur ob rigiditatem supervenientem. Meliora indicia habentur ex contractione *iridis.* Notum est enim iridem contrahi per actionem lucis et currentis electricae, quae contractilitas omnino cessat circiter duas post horas a decessu. In praxi potest cognosci status iridis iniiciendo aliquas guttulas in oculis atropinae vel calabarrinae dilutae in aqua; atropina enim habet proprietatem dilatandi pupillam ob contractionem iridis, calabarrina vero illam restringendi ob actionem oppositam; quae tamen reactiones, si apparent, tantum indicant *persistentem adhuc vitalitatem huius organi.* Si demum aliquas post horas a morte supposita, pupilla deformatur, seu amittit suam circularem figuram, haberetur signum certum mortis. Doctor Toll [1] arguebat, ut certum mortis indicium, *flaciditatem* iridis, seu eius varias deformitates, quas assumit comprimendo globum oculi transverse; at hoc signum nihil valet, cum deformitas iridis obtineri possit etiam in personis viventibus, ut habuit doctor Hunt in quatuor casibus. Usque ad praesens maior valor datus fuit *maculae nigrae* corneae oculi, ob auctoritatem doctoris Larcher, qui anno 1862 eam ut signum certum mortis realis proponebat, utpote quae ex putrefactione originem ducere existimabat; at haec macula ortum ducit non ex putrefactione, sed ex maiore subtilitate membranae schleroticae (album oculi), ex quo fit ut color niger membranae coroidis (quae subtus schleroticam iacet) (I, 138) appareat. Et hoc signum nihili est faciendum, cum non raro etiam in viventibus habeatur; aliquando vero in cadaveribus iam putrescentibus omnino abest; aliquando demum post mortem illico ostenditur. Ad hoc accedit quod particulares mutationes internae oculorum in hac macula satis influere possunt [2].

Idem dicendum de *flaciditate* totius globuli oculi, quae iuxta doctorem Louis, de morte certa testaretur; nam in primis haec flaciditas satis incostans est, cum non semper in morte reali habeatur,

---

[1] Toll, *British Medic. Journ.* Settembre 1880.

[2] Filippi-Mantelli-Severi, *Op. cit.* pag. 13.

ut in morte ob asphyxiam nonnullorum gas et ob fulgurationem accidit; dein tempore vitae non raro observatur in morbis ex consumptione vel cum diarrhaea coniunctis.

d) *Suspensio respirationis,* quae noscitur per auscultationem pectoris vel per vitrum seu speculum frigidum, quod ante os ponitur, quod aqueo vapore obtegitur.

e) Sanguis, qui ex canalibus circulationis effluit, non amplius coagulatur.

583. Signa vero *certa,* ex quibus de morte reali agitur, sunt sequaentia, ex sententia medicorum:

a) *Absentia absoluta motuuum cordis:* cor enim, ut iam diximus, est ultimum moriens; ac proinde, cum per viginti minuta prima per auscultationem supra pectus circa regionem cordis, nullus motus advertitur, de morte res esset, iuxta doctorem Bouchut [1]. In omnibus casibus mortis apparentis ob asphyxiam, syncopem etc., etsi pulsationes radialis arteriae et cordis videantur cessasse, tamen auscultatio *diu proctrata* permittit adhuc illos advertere, quamvis satis parvae sint, et una ab altera satis distet, iuxta eumdem doctorem.

b) *Refrigeratio totius corporis* seu *frigus cadavericum.* Cum mors est certo secuta, observatur calorem corporis *celeriter* et *constanter* minuere, donec aequalis sit calori loci, in quo cadaver iacet. Ad noscendam hanc diminutionem, oportet internum et externum calorem corporis notare; primus calor habetur ponendo medicum thermometrum in axilla, alter calor noscitur ponendo thermometrum in intestino recto; hinc, iuxta doctorem Bouchut, agitur de morte reali, praesertim: 1° si refrigeratio continua et progressiva tangit 20° C. in auxillis et 22° C. in intestino recto; 2° cum temperatura axillarum est 1° vel 2° C. superior quam temperatura oris; 3° cum temperatura axillarum est 1° aut 2° C. inferior quam temperatura recti intestini, quod fere semper accidit; 4° cum temperatura aëris externi comprehenditur inter 5° et 15° C., temperatura in axillis minuit 20° usque ad 25° C. in primis viginti quatuor horis, scilicet minuit 0°, 8 usque ad 1° C. singulis horis; paullo serius, temperatura axillarum minuit tantum 0°, 3 usque ad 0°,5 singulis horis [2].

Haec diminutio caloris post sextam horam usque ad vigesi-

---

[1] Bouchut, *Le signes de la mort,* etc., Paris. 3ª edit. 177 et ss.

[2] Idem, *Op. cit.,* p. 321-322.

mam quartam a morte incipit et plus minus celeriter procedit iuxta opertoria, quae cadaver tegunt, iuxta temperaturam loci, ubi iacet, iuxta aetatem, statum debilitationis et naturam morbi; pueros enim, senes, personas debiles aut diuturna aegritudine debilitatas frigus cadavericum celerius invadit. Attamen notandum sedulo est nonnullos morbos adesse, qui producunt elevationem caloris corporis in agonia et post mortem, quales sunt tetanus, variolae, scarlatina, cholera, typhus, meningites tubercularis, insolationes etc., in quibus, post mortem, calor augere potest a 38°,7 usque ad 43°, a 40 ,8, ad 41°,6 - 43°,75; paullo post tamen calor minuit.

c) Amissio contractionis musculorum. Si in singuilis musculis corporis immittantur bini acus, qui communicent cum apparatu electrico inductionis et nulla appareat contractio musculi, mors est realis. Hoc constat ex experimentis Nysten usque ab an. 1827, pluries postea repetitis. Contractilitas muscolorum cessat prius in ventriculo sinistro cordis, dein in stomacho et intestinis (circ. 1 hor. post mortem), in vesicula et ventriculo dextro, in musculis pectoris, ventris et dorsi et membrorum (7-8 hor.), postremo in auricula dextra cordis. Tamen in nonnullis morbis chronicis et in mortibus ob nonnullos gas, ut hydrogenium sulphuratum, sulphurum carbonii, gas carbonicum, gas ammoniacale et nonnulla composita kallii, musculi quam cito amittunt contractilitatem.

d) Rigiditas cadaverica seu rigor cadavericus consistit in hoc, quod musculi duri fiunt, nequeunt ordinarie extendi, et, si aliquando fit ut vi extendantur, nequeunt amplius contrahi, quod quidem distinguit rigiditatem cadavericam ab illa, quae habetur per spasmos vel convulsiones; corripiuntur; fiunt compacti; non amplius respondent stimulis, quibus subiiciuntur; breviores evadunt, ex quo repetenda flexio membrorum et pollicis contra manum; ex omnibus his sequitur rigiditas totius corporis et impossibilitas movendi articulationes. Rigor potest incipere pauca minuta post mortem (10 m.) usque ad 7 horas, et post 18-24 hor. totum corpus iam pervasit et perdurat 36-48 hor. et etiam usque ad sex dies [1]. Non omnes corporis partes eodem tempore rigescunt; nam primo rigiditate corripiuntur musculi capitis et occipitis, maxilla inferior, dein musculi membro-

[1] Landois, *Op. cit.* P. II, pag. 597.

rum inferiorum et colli, postremo musculi membrorum superiorum seu brachiorum. In nonnullis casibus rigiditas fere una cum morte statim apparet; quo fit ut cadaver eamdem positionem servet, quam habebat tempore mortis; quod quidem observatur in mortuis ex tetano, strychina, ex mortalibus vulneribus, ex explosione alicuius gas in minis, in bellis, in quibus non raro milites servare visi sunt aptitudinem bellicosam. Fetus vero ante septimum mensem numquam rigescunt. Causa rigiditatis sita est in coagulatione myosinae, quae pars maximi momenti est musculorum.

Insuper notandum est diutius perdurare rigorem cadavericum, quo serius apparet.

e) *Putredo corporis* incipit cum desinit rigiditas musculorum; musculi tunc fiunt molles et putrefieri incipiunt. Primo tempore putrefactionis venter viridulus fit, pellis e subiacente dermate separatur, oriuntur gas foetidi, qui afferunt magnum turgorem in ventre, in facie et pectore; effluit foetor cadavericus; sanguis fit spumosus, penetrat, ob pressionem gasorum, in omnes cadaveris partes et externe exsudat; anus patet. Secundo et tertio tempore putredo adeo omnia organa consumsit ut tantum duriores partes, ut ossa et dentes, diu permaneant.

584. Putrefactio non eodem modo incipit et progreditur pro variis locis, in quibus cadavera iacent; serius evenit, si paullo post mortem, terrae traduntur, vel si corpus est intactum, h. e. absque plagis vel vulneribus aut lacerationibus; pueri, feminae, personae ex temperamento lymphatico, citius putrescunt; celerius putredo appareł in aëre quam in aqua et terra, in aëre calido et humido quam in aëre sicco et frigido; celerius putrefiunt adulti quam neonati, qui intestinum habent vacuum; idem fit de mortuis ex infectione, ex asphyxia vel fulguratione: serius putrefiunt defuncti ob venena, ex. gr., arsenicum, hydrargirium sublimatum (*sublimato corrosivo*) etc., cum hae substantiae sint antisepticae [1].

585. Contra hucusque exposita, diligenter notari oportet *omnia praefacta signa* parvum valorem habere in statuenda morte reali, si excipias putrefactionem et saepius rigorem cadavericum, ob sequentes rationes et facta.

586. Quod enim vita servari possit, quin, adhibita etiam maxima

---

[1] Lefert, *Op. cit.* pag. 62 et ss.

diligentia in ascultatione, percipiantur ullo modo motus cordis, plura exempla certo testantur. Doctor Icard nonnulla horum refert, quae, cum sint maximi momenti, opportunum ducimus exponere. Brachet refert multas observationes infantium mox natorum in statu mortis apparentis, in quibus examen diligentissimum non solum non dedit ullam notionem motuum cordis, sed ne ullius quidem fremitus seu rumoris cordis. Item idem A. refert de quodam infante, in quo nullo modo fuit sibi possibile percipere motus cardiacos et quem mortuum iam putabat, quando ipse cogitavit digitum supponere eius sterno in regione epigastrii et tunc potuit motus cordis audire, quod per aures nullo modo potuit.

587. Dr. Gobal quondam vocatus fuit ad quamdam puellam, quae putabatur iam mortua a pluribus horis. Ipse potuit facile notare in ipsa omnia signa mortis realis aut ut talis habitae; prae se ferebat enim languorem in oculis, pallorem ac depressionem genarum, amissionem motus, sensibilitatis, defectum pulsationum et refrigerationem corporis; accessit etiam quod auscultatio regionis praecordialis spatio 1-2, nullum omnino motum cordis fecerat percipere; defecerat quoque quilibet etiam minimus motus diaphragmatis (I, 19), quod indicabat absentiam cuiuslibet respirationis; insuper omnia media adhibita ad revocandam eius vitam prorsus inutilia fuere; et, quando nulla amplius spes erat de eius vita, sponte redivit ad vitam.

588. Iosat item affirmat se pluries adhibuisse methodum auscultationis cordis et nullum indicium vitae habuisse, et in morbo cholera an. 1849 signum habitum per auscultationem saepe eum fefellisse.

589. Doctor Duchêne observavit absentiam motuum cordis, quae perduravit quinque minuta, in quodam asphyxia correpto causa chlorophormii, etsi maximam diligentiam et attentionem adhibuerit in auscultatione cordis.

590. Doctor Andrel, in casu mortis apparentis uxoris cuiusdam medici, quae in tali statu decem horas perduravit, nullum signum motuum cordis obtinere potuit per auscultationem peractam eodem temporis spatio.

591. Doctor Tournier in quodam viro, asphyxia correpto, spatio sex horarum nullum motum cordis notare potuit per auscultationem. Idem doctor quondam, premente necessitate, vocatus fuit apud militem, cuius ipse curam medicam gerebat, et mortuum invenit, absque pulsationibus, absque quolibet etiam minimo motu cordis post dili-

gentissimam auscultationem; tamen nonnullas post horas, data a medico notitia certae mortis et omnibus circumstantibus certioratis de morte reali, aegrotus se se movit, et nonnulla quaesita fecit.

592. Mulier aet. triginta trium annor. permansit statu mortis apparentis plus quam viginti quatuor horis et toto hoc tempore, auscultatio, pluries repetita, nullum signum motus cordis praebuit.

593. Doctor Plugge plures infantes recenter natos ad vitam revocavit, etsi auscultatio numquam ei praebuerit aliquod signum motus cordis.

594. Doctor D'Outrepont in eo fuit, ut operationem caesaream ageret in quadam muliere, quae nec pulsum nec motus cordis amplius habebat et, tamen ad vitam rediit,

595. In quodam strangulato, cordis pulsationes defecerant tempore maiore una hora, cum medici, quibus officium erat examinandi cadaver, declararunt mortem iam esse definitivam et, aperto pectore, invenerunt cor, quod adhuc pulsationes habebat; prima hora post sectionem notatae fuerunt quadraginta pulsationes singulis minutis, prope finem alterius horae servabat adhuc quinque pulsationes eodem tempore, et nonnisi post tres horas a sectione pectoris, pulsationes omnino defecerunt.

596. Item mulier circit. triginta annor. aetatis, causa partus laboriosi, statim post partum correpta fuit statu mortis apparentis; non amplius habebat pulsationes, non amplius respirationem, neque motus cordis per auscultationem peractam tempore quinque minut.; notabantur resolutio perfecta omnium membrorum, facies pallens, labia absque colore et, brevi, praeseferebat omnia signa mortis. Tamen per insuffiationem et artificialem respiraticnem revocata fuit ad vitam (ex Doctoribus Lornet et Boinet).

597. Doctor Burgeois refert de quadam muliere, quae ob accessum febris perniciosae habebatur velut mortua ob absentiam activitatis cordis per quatuor horas; tamen postea revocata fuit ad vitam.

598. Doctor Briquet loquitur de quodam aegroto, ab ipso observato, in quo vita prosecuta fuit tempore quatuor horarum postquam omnino cessaverant rumore cordis [1].

599. Exempla huiusmodi quam plurima collegit medicina, qua re facile esset ea augere; sed praefata sufficiant ad ostendendum au-

---

[1] Cfr. Icard, *La mort réelle et la mort apparente*, Paris, 1897, p. 82-86.

scultationem cordis non reddere certam mortem realem, quando per ipsam non amplius percipi possint motus cordis, etiam per aliquod tempus.

600. In bis casibus, in quibus non est possibile percipere ne levissimos quidem motus cordis per auscultationem, etiam diligentissimam peritorum, dicendum-ne est, quod cor vere non amplius contrahatur? Quod cor possit aliquo tempore suspendere eius motus et ad vitam iterum revocari, cum in hoc aptae excitationes accedant, pluries observatum fuit; in experientiis enim, quae super animalia institutae sunt, pluries potuit iterum vita animari cor et haberi eius pulsationes; item cor, etiam ab animali avulsum, contrahitur, quum certis excitationibus subiicitur cum habeat centra nerva propria (I, 63). Requiritur tamen necessario, ut eius structura istologica et anatomica non sit mutata. Haec facta habita fuere in animalibus e frigido sanguine et in animalibus e sanguine calido; in hominibus etiam, capite damnatis, hoc obtentum fuit [1]. Quanto tempore vero cor possit quiescere et servare aptitudinem iterum redeundi ad vitam per aptas excitationes, non constat [2]. Praeter quietem cordis, ut expli-

---

[1] Landois, *Op. cit.*, vol. I, pag. 104.

[2] Hanc ipsam rationem tradit Doctor Viader y Pariachs, his verbis: « Cómo pueda permanecer vivo por algún tiempo sin respiración, pulso y semejante á un verdadero cadáver, es cuestion, que debemos ahora apear. Algunos, con Galeno, dijeron que queda en el corazón un pequeño temblor imperceptible, que mantiene una debilisima respiración y un pequeño movimiento en los humores. Han apurado aún mas esta materia otros fisicos, que... afirman que la conjunción entre la circulatión de la sangre procedente dal movimiento del corazón, y systema vasculoso, y la vida, no es tan indisoluble que faltando aquélla, falte desde luego ésta; y quieren que esto se debe entender moralmente; es decir, que la unión de la alma con el cuerpo permanece por algún tiempo sin la circulatión, en circumstancias, en que pueda ésta restablecerse; pero no, sino sólo paró al movimiento de la sangre, sino que se corrompieron todas aquellas disposiciones naturales, como la elasticidad del solido y fluido necessaria para suscitar la circulatión, y con ella toda la maquina. Aún con estas disposiciones de elasticidad, tension y flexibidad del solido, que constituyen nuestro cuerpo, suficientes para restituir la circulación, removidos los impedimentos, puede salvarse aquel enlace entre el alma y el cuerpo... se sigue que, así como en aquellas disposiciones de elasticidad, tensión, etc., está colocada, á lo menos causalmente la vida sensible, en la cual se actúan los movimientos exteriores ó músculos de nuestra maquina; en las mismas se salvará la razón formal ó casual de la vida, aunque están los impedimentos que obstan su efecto, hasta que ellas mismas en si queden corrompidas ó imposibilitadas para el restablecimiento de la circulación de la sangre. Quien no ve ahora cuánto tiempo necesita al moribundo para llegar en los casos repentinos, como son, per lo regular, los abortos, al verdadero termino de la vida? ». *Cit. ap.*, Ferreres, *La muerte real y la muerte apparente con relación a los Santos Sacramentos*, Madrid 1904, pag. 22, 23.

cetur prosecutio vitae absque motibus cordis, qui auscultationem omnino effugiunt, plures DD. admittunt quod, in his circumstantiis, cor agat adeo leves contractiones seu motus fibrillares, qui in praesenti nequeunt percipi per media actualia, quae medicina habet; nam certum est, ut motus cardiaci percipi distincte possint, opus esse ut cordis pulsationes aliqua vi peragantur; at si hae levissimae sint et valde protractae, aures etiam magis exquisitae et exercitatae nequeunt eas percipere; qua re doctor Icard docet multa exempla clinica adesse, quae ostendunt cor posse adhuc suo munere fungi, quin auris melius apta et exercitata aliquem motum cognoscere possit [1] et tamen cor pergit se se contrahere et servare sanguinis circulationem et vitam [2]. Doctor Beclard ad rem habet: « Cessatio *perfecta* motuum cordis, habita non in decursu arteriarum, sed directe per auscultationem praecordialem, posset considerari etiam ut signum fere constans mortis, nisi adesset possibilitas motuum fibrillarium cordis, adeo debilium, qui per parietes abdominis percipi non possint; qui motus simul existere possunt in subiecto cum capacitate illud revocandi ad vitam. Scientia nonnulla facta collegit de hac re, quae requirunt magnam circumspectionem. Nam frequens est inveniri in animalibus durante hiemali somno vere mors apparens cum impossibilitate percipiendi motus cordis » [3].

601. Doctor D'Halluin refert factum viri cuiusdam, in quo Russeau notavit pulsationes cordis post novem et viginti horas ab instanti, in quo communiter dicitur mors venisse [4].

602. Doctor Blanc idem tradit, scilicet « in praxi, ait, frequenter casus habentur (quorum plures auctores citant) hominum, qui, post spatium temporis, in quo peritus medicus nullum omnino motum cordis percipere potuit per auscultationem longiorem illa, quam libri ordinarie adsignant, ad vitam redierunt; et hoc contingit non tantum in iis, qui apparenter repentina morte corripiuntur, sed et in ipsis infirmis post agoniam » [5].

---

1 Icard, *Op. cit.* pag. 49. Cfr. D'Halluin, *Résurrection du cœur*, etc.

2 Icard, *Op. cit.*, pag. 44.

3 Beclard, *Traité element. de physiol. hum.*, Paris, 1862, pag; 1150.

4 D'Halluin, *Op. cit.*, p. 33.

5 Ferreres, *La morte reale e la morte apparente in relazione ai SS. Sacramenti*, etc. trad. del Sac. Dott. G. B. Geniesse, 1895, p. 31. *La muerte real y la muerte aparente con relación a los Santos Sacramentos*, Madrid, 1904, p. 25.

603. Nonnulli vero doctores tradunt *certam* esse mortem, cum cor *definitive* pulsare cessaverit. Hoc et nos concedimus; at difficultas est quando dici debeat vitam cordis *et* eius capacitatem ad vitam *definitive* cessasse; in praxi enim, media, quae etiam minimas contractiones cordis advertant et ex quibus innotescat *certo* suum munus *definitive* cor amisisse, usque ad praesens non habentur; quod constat ex pluribus factis medicis, in quibus omnia signa ordinaria mortis aderant et existimati mortui sive ex se, sive opportunis remediis adhibitis, ad vitam redierunt.

604. At alii medici, ex quibus Icard [1], dicunt non suspensionem motus cordis, sed *protractam* absentiam eius pulsationum, esse signum certum mortis. Et bene quidem. At quanto tempore debet protrahi haec absentia, ut de morte certam scientiam habeamus? Plane ignoramus. — Ex dictis ergo concludi debet, absentiam motuum cordis, etiam per auscultationem diligentem et protractam, per se non posse semper esse signum *certum* mortis realis.

605. Alter character desumptus ex *diminutione* temperaturae non potest item haberi ut signum certum, absolutum mortis; nam nonnulli morbi sunt, qui tempore agoniae et post mortem gignunt augmentum caloris et sunt quos supra innuimus. Insuper plurimae causae possunt accelerare vel tardare invasionem frigoris, quales sunt ex. gr. natura morbi: calor enim diutius perdurat in morbis acutis, apoplexia, asphyxia per carbonium, citius vero disparet in morbis chronicis, haemorhagiis, axphyxia ob submersionem: obesitas, cum corpora macilentia citius emittant calorem quam corpora, quae adipe abundant: aetas, cum pueri et adulti diutius servent calorem, quam senes: status digestionis recentis, cum calor diutius permaneat tempore digestionis, quam stomacho vacuo: temperatura temporis anni et cubiculi mortui, quae maximam actionem habet in augmento vel diminutione caloris corporis [2]. Nec facile ab omnibus haberi possunt temperaturae doctoris Bouchut. Immo, iuxta doctorem Icard, si hae temperaturae sunt valde commendandae in praxi, tamen absentia earum non semper permittit concludi quod vita perseveret [3].

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 81.
[2] Icard, *Op. cit.*, p. 32.
[3] Idem ibid., p. 36.

606. Quoad *amissionem contractilitatis* ex parte musculorum, dici potest, hac certo statuta, agi de morte reali. At musculorum contractilitas perdurat aliquo tempore post mortem; nam *minimum* temporis contractilitatis, quod ex experientia hactenus habemus, est unius horae cum dimidio, *maximum* vero viginti septem horarum et *medium* quinque vel sex horarum [1]. — Insuper notitia cessationis vel persistentiae contractilitatis per apparatum inductionis nec facilis nec semper secura est, quia requirit virum probatum ad haec experimenta, qui sciat talem vim currentis adhibere, quae excitationem in musculos inducat: nam si vis nimis debilis est, contractilitas non habetur, si vero nimis vehemens, extinguitur proprietas contractionis. Quare hoc signum mortis, cum adverti nequeat, nisi a peritis instrumentorum auxilio, in communi hominum praxi inutile est; remanet ergo tantum medium parum practicum hac ratione.

607. Neque *rigiditas* seu *rigor cadavericus* potest item haberi semper ut signum mortis; nam habita fuere facta nonnullorum, qui ob rigiditatem et frigus habiti fuere ut mortui et adhuc vivebant, et aliorum, qui etsi servarent mobilitatem membrorum, quae innuebat praesentiam vitae, tamen indicia non dubia prae se ferebant verae mortis. Accedit etiam, quod rigor cadavericus a non medicis seu imperitis potest facile confundi cum rigiditate, quae ante mortem invadit correptos asphyxia, spasmo, tetano, vel cum illa, quae notatur in laborantibus congestione, syncope, etc. Quare doctor Icard ait: « Evidenter, rigor cadavericus obervatus ab imperitis scientiae medicae potest confundi cum diversis statibus morbosis, de quibus locuti sumus et esse causam ingratae confusionis; tamen putamus medicum expertum posse ex facto rigiditatis habere indicia certissima de morte » [2].

608. Neque magis est attendendus in praxi processus *pungendi* cor per acum aptum; processus consistit enim in immittendo acum in quinto spatio intercostali prope sternum, usque ad pericardium et notare an acus se moveat; evidens est enim quod, si cor pulsat etiam levissime, cernitur motus acus; si cor non pulsat, acus immobilis remanet. Hic processus non potest in praxim reduci, quia gravissimis non caret periculis, cum possit ex hoc etiam mors sequi ob pun-

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 20.
[2] Idem ibid., p. 25.

ctionem cordis ut aliquando factum fuit, nec familiae hanc methodum permittere possunt (et recte quidem), cum speciem habeat accelerandi mortem, nec ex parte medici absque detrimento dignitatis et honoris apud clientes evadit. Habendus est ergo praefatus processus ut processus potius theoricus, quam practicus. Si vero cor quiescit, acus nihil amplius dicit de vita, quae adhuc excitari potest.

609. Ex omnibus signis traditis ad noscendam mortem non remanet ergo nisi *putredo corporis,* quae *ordinarie* incipit super ventrem, in quo apparet *macula viridis,* quae est initium corruptionis. *Ordinarie* dicimus, quia in nonnullis casibus putrefactio incipit in facie, ut evenit in morbis ob submersionem, quorum caput inferius remansit quam reliquum corpus, in mortuis ob fortem congestionem cephalicam et in infantibus mox natis, quorum intestina non continent materias foecales, quae possint favere putrefactionem. Doctor Deschamps statuit etiam circumstantias, quae valent accelerare vel retardare apparitionem praefatae muculae, quas circumstantias, cum sint maximi momenti, optimum ducimus referre:

a) Donec cadaver servat suum calorem naturalem, venter non praebet praedictam maculam;

b) Color viridis ventris saepissime comitatur rigorem cadavericum;

c) Parietes abdominis immutatae manent usque dum musculi sunt sensibiles excitationibus electricis;

d) Cadaver expositum temperaturae inferiori 0°, indefinite immutatum perseverat; expositum temperaturae 0°, nullum praebet colorem spatio dierum octo ad quindecim, et vix aliquem ingratum odorem emanat; si vero frigus cessat et temperatura augetur 7°-8°, saepe, paucas post horas, advertitur odor ammoniacalis et cadavericus et venter praedictum colorem putrefactionis ostendit;

e) Cum cadaver illico a temperatura 0°, transit ad temperaturam 20-25°, saepe prope finem ipsius diei ostendit colorem viridem;

f) Cum temperatura valde fortis sit, putrefactio retardat; sub temperatura 55-60°, aqua corporis sub forma vaporis in aërem diffunditur, fibrina exsiccatur, albumina coagulatur et corpus non putrefit [1].

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 38 et Lefert, *Op. cit.*, p. 62, quoad colorem maculae ventris.

Nonnulli tamen DD. medici, ex quibus Louis, Haller et alii, conati sunt infirmare valorem maculae viridis, et requirunt, ut de morte certitudo habeatur, ut putrefactio sit iam *progressa*. Sed perperam hoc contendunt; nam tum putrefactio incipiens, quae est causa maculae abdominalis, tum putrefactio iam progressa, indicat semper destructionem corporis et absentiam cuiuslibet vestigii vitae. Verum tamen est, quod macula abdominis potest ab imperitis confundi cum nonnullis statibus morbosis, qui cum praefata macula aliquam similitudinem praeseferunt, quales sunt tantum status gangraenosus aut vehemens contusio cum echymosi seu laceratione vasorum sanguinis; at si bene notentur characteres, quibus putrefactio incipiens (macula abdominis) ab his statibus perfecte distinguitur, impossibile est ut etiam imperiti in hunc errorem incidant; in contusione enim non habetur odor putridus, et gangraena, etsi secum ferat mollitiem textorum et quemdam odorem, tamen huiusmodi odor nil habet commune cum odore cadaverico; ad haec accedit, quod grangraena est semper limitata et semper perfecte distinguitur a parte sana; et dum putrefactio incipit in ventre, grangraena vero fere semper in membris corporis initium ducit [1]. Qua re dicendum est putrefactionem incipientem esse signum certum et praecipuum mortis realis.

In hoc conveniunt alii medici, ex quibus sufficiat audire Doctorem Beclard, qui ait: « Putrefactio est praecipuum signum mortis; potest etiam affirmari hoc tantum adesse » [2], et doctorem Letamendi, qui tradit: « Nemo affirmare potest mortem esse realem, nisi viderit eam vim, quae servabat vitam subiecti in extremis, penitus finem habuisse, et reliquisse plenam actionem microbis corruptionis et cuilibet alii causae mutationis, quae cum vita esse nequit » [3].

Doctor D. Josè Blanc y Benet primis menibus anni 1903 duas collationes (*conferenze*) habuit Barcinonae de morte apparente relate ad administrationem Sacramentorum, quae sunt maximi momenti, cuius conclusiones adprobatae fuerunt a Societate medico-farmaceutica SS. Cosmae et Damiani, quarum illas, quae referuntur ad nostram thesim, hic utile ducimus referre.

(7.ª *concl.*) «Vera est locutio doctoris Brouardel scilicet nos nullum

---

1 Icard, *op. cit.*, p. 31 et ss.
2 Beclard, *op. cit.*, p. 1150.
3 Letamendi, *Curso de Patologia gen.* Madrid, 1889, vol. 3 p. 223.

habere signum, vel complexum signorum, quae sufficiant ad statuendum in omnibus casibus, scientifica certitudine, momentum mortis ».

(10.ª *concl.*) « Rigiditas, quae dicitur cadaverica, apparet tempore plus minus remoto a momento, quod vulgo appellatur mors, cum in eius apparitione maximam actionem habeant morbus atque laesiones, quas passum est subiectum, temperatura loci etc. Tabula statistica Niederkorn tamen ostendit, in duobus casibus super tres, rigorem incipere a secunda usque ad sextam horam post momentum, quod communiter dicitur mors, vigesima quarta hora regulariter esse perfectum et cessare post sex et triginta vel octo et quadraginta horas ».

(11.ª *concl,*) « Ante putrefactionem nullum exsistit signum vel complexus signorum, qui sufficiat ad praebendam certitudinem absolutam status cadaveris ».

(12.ª *concl.*) « Adventus putrefactionis non inservit ad statuendum momentum mortis, sed ad habendam certitudinem status cadaveris » [1].

Ex dictis ergo concludendum, ex omnibus signis, quae ordinarie proponuntur ad statuendam certitudinem absolutam de morte reali, nullum aliud esse certum *praeter putrefactionem*.

---

[1] *El criterio católico en las sciencias médicas.* Barcellona, Anno IV, agosto 1903, n. 68, p. 228-229.

CAPUT III.

DE MORTE APPARENTE RELATE AD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM.

610. Cum per debitam administrationem et receptionem Sacramentorum, homo acquirat salutem aeternam, maximi momenti est statuere quando haec Sacramenta conferri possint et debeant in omnibus iis casibus, in quibus certitudo absoluta de morte reali haberi non potest ob particulares conditiones actuales subiecti. Hoc studium valde interesse debet omnes sacerdotes, praesertim parochos, quibus cura maxima esse oportet in salvatione aeterna animarum. Quod studium dividimus in duo capita, prout res est *A) de infantibus vix natis* vel *nondum natis*, vel *B) de adultis*. De primo casu nonnulla iam diximus, cum egimus de baptismo.

A. — De infantibus vix natis vel nondum natis.

611. Supra (n. 28) diximus omnes fetus abortivos et fetus natos, etsi nullum prae se ferant signum vitae, dummodo putrefactio iam certe non apparuerit, esse baptizandos sub conditione « si vivis ». Hic addere opportet, casus infantium, qui nascuntur in statu mortis apparentis, quamplurimos esse et pluries factum fuisse, ut hi infantes, etiam plures post horas ab ortu, revocati fuerint ad vitam per respirationem artificialem et per processum tractionis rithmicae linguae, propositum a doctore Laborde. In praxi saepe contingit ut magnus numerus puerorum moriatur, quia putantur vere mortui cum careant apparenter omni vestigio vitae. Cum vero asphyxia infantium frequentissima sit et ob eam quamplurimi vere mortui omnino appareant, ut

vitetur eorum mors realis et semper conferatur baptisma, dummodo non ostendant putrefactionem, et ut restituatur eis vita, quantum fieri potest etiamsi nullum externum vestigium appareat, oportet noscere doctorum doctrinam et nonnullos casus referre ex plurimis, qui noti sunt.

612. Mors apparens, qua corripiuntur neo-nati, iuxta doctorem Icard [1], sub duplici forma haberi potest, scilicet sub *forma anemica* et sub *forma asphyctica* vel *apoplectica*.

613. Sub forma *anemica*, infans habet pallorem in omnibus mucosis et in tota superficie corporis, pellis inquinata apparet meconio [2], membra sunt flaccida, mandibula saepe pendens et os aliquantulum apertum; aliquando emittit nonnullos vagitus, qui tamen fere illico cessant et corripitur morte apparente.

614. Sub forma vero *asphyctica* seu *apoplectica* infans prae se fert omnia signa vehementis congestionis in omnibus corporis partibus; nam pellis color est rubro-lividus et fere niger iuxta locum praesentationis in partu, labia sunt violacea et tumida, oculi eminentes, connexiva fortiter sanguine congesta, etiam cum echymosi, membra vero sunt aliquando rigida.

615. Formae anemicae causa est haemorrhagia; forma vero apoplectica ortum ducit ex partu difficili et laborioso vel ex variis praesentationibus fetus una cum contractionibus vehementibus uteri.

616. Causa huius mortis apparentis, quamplurimi infantes habiti fuere ut mortui et tempore, quo sepeliebantur, inventi fuere vivi, immo etiam aliquas horas postquam iam sepulti fuere. Huiusmodi casuum maximus est numerus; nonnullos tantum referemus, ut rite intelligatur nunquam agi posse de vera eorum morte, nisi certissima signa putrefactionis appareant; eoque magis, quia facile est confundere prima indicia eorum putrefactionis cum aliis symptomatibus, quae excludunt mortem.

617. Doctor Grau y Marti, in congressu Societatis Medico-parmaceu-

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 247 et ss.

[2] *Meconium* est substantia, quae praecipue ortum ducit functione hepatis; eius color est aliquantum niger et viridis cum aspectu pulticulae, paullisper densae; implet fere perfecte intestinum tenue et partem inferiorem intestini crassi; continet plures substantias colorantes et acida bilis, cellulas epitheliales intestinorum et lanuginem; in circumstantiis physiologicis numquam invenitur in liquido amniotico; at saepe expellitur, cum infans asphyxia corripitur ob maiorem vim contractionis intestinorum. (Max Runge, *Man. di Ostetric.* etc., p. 29-30).

ticae SS. Cosmae et Damiani, supra relato, diei 15 Ianuarii 1903, legit relationem de aliquibus casibus infantium, quos fuit possibile revocare ad vitam, in statu mortis apparentis, ex quibus egit de infante iam sepulto, qui post quinque horas restitui potuit ad vitam; de alio, qui in statu asphyxiae potuit reduci ad vitam per insufflationem, et demum de tertio, in quo, post tres et viginti horas putatae mortis, fuit possibile advertere debiles cordis pulsationes.

618. Doctor Ruiz Contreras, in eodem congressu eiusdem diei, relate ad mortem apparentem infantium, retulit casum, qui ei contigerat in nosocomio *Charitatis* Lutetiis, his verbis: « Mulier quaedam peperit sexto mense praegnationis; fetus derelictus iam fuerat, quia putabatur iam correptus morte; potui ad vitam illum revocare; positus dein fuit in incubatrice et adhuc vixit uno vel duobus diebus » [1].

619. « Quondam delatus fuit, narrat doctor Icard, ad doctorem Portal, primum medicum regis, infans natus correptus asphyxia. Parvum cadaver iam iacebat ab aliquo tempore in amphitheatro, quum Portal existimavit debere eius autopsiam peragere; et, cum in eo esset ut operationem inciperet, felix cogitatio in mentem ei occurrit, insufflandi scilicet per aliquod tempus in eius os; post duo vel tria minuta infans rediit ad vitam. Casus similis observatus fuit a quodam medico lugdunensi, qui illum communicavit Portal; Portal vero notum fecit professori Depaul. Goodell retulit Societati gynecologicae Chicago tres observationes, quae ostendunt quousque tenacitas vitae persistat in infantibus natis in statu asphyxiae. Postquam absque ullo felici exitu, tres infantes uti mortui declarati fuere a medico et uti tales omnino derelicti, postero die, cum irent ad deferenda eorum cadavera ad sepulcrum, inventi fuere vivi ».

620. « Alius infans, cui spatio unius horae nullum medium profuerat ad revocandam eius vitam, depositus fuit in capsa; et postquam per quatuor et viginti horas ita permanserat in loco frigido, Marschka potuit valde distincte percipere motus cordis. Neque hoc satis. Potuit enim servari vita infantibus, qui iam sub terram a pluribus horis sepulti fuere; in una harum observationum dicitur infantem quemdam extractum fuisse e terra, postquam a tribus quadrantibus sepultus fuerat et ostendebat distincte cordis pulsationes » [2].

---

[1] *El Criterio católi. en las Ciencias medicas.* Agosto 1903. p. 238-239; hos casus etiam refert Ferreres. *Op. cit.*, p. 8. (*edit. ital.*).

[2] Icard, *Op. cit.*, p. 249-250.

621. Haec nonnulla tantum exempla sunt, quae ostendunt quamdiu potest perdurare vita latens in infantibus vix natis, etsi obstetrices et medici ipsi pluries declaraverint agi de vera morte; quod postea falsum apparuit, cum per longius tempus subiecti mediis aptis ad revocandam eorum vitam et praesertim *tractioni linguae* doctoris Laborde, inventi fuere vivi. Laborde in citato suo opere, quamplurimas observationes medicorum refert, in quibus clarum est in pluribus infantibus omnia signa habita fuisse, quae potius mortem realem indicare innuebant, quam mortem apparentem. In multis enim eorum, praeter absentiam completam respirationis et circulationis, notabantur pallor cadavericus, cyanosis generalis corporis, caput inclinatum, aliquando etiam pellis maculata ob echymoses, carnes flaccidae et tot alii caracteres, quibus medici ipsi testabantur de morte reali. Restitutio ad vitam obtenta fuit per tractionem linguae, postquam alia media ordinaria (insufflatio ab ore ad os, balnea calida et frigida, respiratio artificialis, methodus Schultzii etc.) omnino defecerant et postquam aliquod tempus (etiam plurium horarum) transierat in statu mortis apparentis [1].

622. Factum maximi momenti, quod ostendit tenacitatem vitae fetus et longum tempus mortis apparentis matris, est quod refert Icard; breviter exponimus. Rigaudeaux ann. 1748 fuit appellatus quinta hora matutina apud mulierem ut assisteret eius partui; at non potuit ad eam pervenire nisi octava hora cum dimidio; et statim dictum ei fuit mulierem iam esse mortuam duabus abhinc horis et nullum medicum fuisse possibile invenire ad peragendam operationem caesaream et fetum hac ratione adhuc esse in utero. Mulier vero iacebat apparenter mortua. Rigaudeaux petiit eam videre; tangit pulsum, super claviculas, et regionem cordis; nullum vestigium habet motus cardiaci; vitrum ponit prope os, sed non obfuscatur; fert manus ad uterum et invenit eius os ampliatum; producit effusionem liquidi amniotici, percipit caput infantis et extrahit, et mulieribus tradit ut eum calefaciant et perfricent vino calido. Postquam tres horae praetergressae erant in iis mediis exercendis, in eo erat ut puer derelinqueretur, cum quidam praesens exclamat infantem aperuisse os; pergunt eodem modo et alacrius et paullo post infans clamat velut

---

[1] Qui cupit haec facta cognoscere conferat Laborde, *Op. cit.*, p. 76-137 et p. 466-510; horum tantum nonnulla referuntur in Ferreres, *Op. cit.*, p. 9-10, edit. ital. (pag. 10 et ss. edit. hisp.).

ac si feliciter natus esset. Rigaudeaux quaerit iterum videre matrem, quam mortuam existimat sicut antea; attamen admiratur quod, post septem horas a morte, membra sint adhuc flexibilia. Abit; at iubet ut mulier non sepeliatur, nisi cum membra facta fuerint rigida et praescripsit ut interdum cederentur eius palmae, et aceto perfricarent nasum, oculos, vultum et in lecto servarent; post duas horas huius curae mulier revocata fuit ad vitam et decima die Augusti 1748 mater et filius perfecta valetudine gaudebant [1]. Absque his curis assiduis et absque scientia et conscientia recta medici, qui omnia media, quae tentari possunt, in praxim reduci praescripsit, mater et filius certissime periissent.

623. His praemissis de vita latente infantium, etiam cum videantur morte reali correpti, consectaria pro praxi facile deducuntur, scilicet:

a) Omnibus medicis, qui parturientibus suam operam impendunt, suasum esse debet omnibus mediis, quae scientia et experientia docet, quaerendum esse ut revocentur ad vitam fetus quicumque in statu mortis apparentis nati, etsi ipsi putent fere inutilem evadere eorum curam ob putatam mortem realem, quae numquam ut talis haberi debet, nisi appareant signa *progressae* putrefactionis; nam ut tradunt doctor Goggia: « Etiam in casibus gangrenae et in neo-natis in statu mortis apparentis, facile est confundere prima indicia putrefactionis cum aliis symptomatibus et mortuum haberi, qui revera vivit », et doctor dell'Acqua: « Professor Gandolfi notare fecit quomodo putrefactio *incipiens* possit esse signum mortis *incertum*, ubi agitur *de neo-natis sub apparentia mortis*. In his casibus resolutio pellis in squamis, flyctenes coloris violacei, foetens exalatio, fere putrida, celant aliquando residuum vitae, quae potest forte revocari per media irritantia pellis, per frigidas aspersiones, per motus externos thoracis arte productos, per insufflationem pulmonarem » [2]. Praeter haec media, maxime commendanda est tractio rithmica linguae doctoris Laborde; qui processus felices exitus praebuit etiam in casibus quacumque spe destitutis et in quibus mors omnino realis putabatur [3]; studium revocandi et servandi vitam talibus infantibus in

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 221-222.

[2] Cit. apud Ferreres, nota, p. 60 (edit. ital.).

[3] Infantes restituti ad vitam hac methodo doctoris Laborde, usque ad ann. 1897, quo prodiit altera editio praefati operis, erant octo et septuaginta, ex iis, qui noti erant Auctori.

gravissimis his periculis constitutis postulat ut non curetur diuturnitas temporis, quae saepe requiritur, nec amittatur patientia necessaria; de re magni momenti enim agitur.

b) Omnibus, qui adsistunt alicui partui aut abortui, incumbit onus grave illico baptizandi omnes infantes vix natos, qui inveniuntur in statu mortis apparentis, et abortus, ut supra diximus, dummodo non prae se ferant indicia certa *progressae* putrefactionis. Hoc modo quamplurimae animae possunt ad aeternam coeli gloriam mitti, quae alias Dei visione beatifica aeterne privarentur. Quare oportet ut Parochi recte instruant nupturientes de gravi hac obligatione baptizandi infantes vix natos in morte apparente, et abortus, quocumque tempore a fecundatione, si casus aderit.

624. Cum vero processus tractionis linguae doctoris Laborde superior evadat aliis methodis et valde facilis in praxi, et cum casus mortis apparentis frequentes sint, opportunum est indicare quomodo exequendus sit pro imperitis. Accipitur corpus linguae inter pollicem et indicem (optimum erit si adhibeatur quodlibet textile, ne lingua e digitis effugiat) et exercentur in ipsa fortes tractiones, iterum atque iterum, successive et rithmice, imitando motus ipsos rithmicos respirationis. Tempore, quo tractiones peraguntur, oportet ut tractio peragatur in *radice* linguae. Quum vero advertitur quaedam resistentia, bonum omen est, quia indicat principium respirationis; necessarium est ut tractiones sint quindecim ad viginti et amplius singulis minutis. Si, cum accipitur lingua, maxillae sunt constrictae et dentes arcti, opus est removere maxillas, utendo digitis, si potest fieri, vel aliquo corpore solido. Si agitur de submerso, utile est, accipiendo linguam, introducere in parte posteriore oris digitum indidicem ad excitandam vomitum [1].

B. — De adultorum morte apparente.

625. Loquentes de signis certis mortis realis, vidimus signum certum, infallibile esse tantum putrefactionem, cum contra rigor cadavericus non semper ut tale haberi possit. Hinc patet numquam posse dici aliquem certe mortuum, nisi accedat putrefactio. Ergo toto tem-

---

[1] Laborde, *Op. cit.*, p. 181-183.

pore, quod intercedit a momento, quod communiter dicitur mors, usque ad putrefactionem (aliquando forsitan etiam ad rigorem) homo *potest* vivere vita latente et eius mortem non esse nisi apparentem. Quod probari potest *a*) *per rationes metaphysicas, b*) *per rationes physiologicas,* et *c*) *per auctoritatem doctorum,* qui plura facta de hac quaestione referunt, quae nostrum assertum comprobant.

626. *a*) Certum est animam esse formam substantialem corporis et usquedum non constet animam deseruisse corpus, numquam agi potest de morte reali; et etiam cum externae manifestationes vitales (respiratio, circulatio sanguinis, sensibilitas, motus etc.) omnino deficiant, certi esse non possumus quod non amplius exsistat coniunctio substantialis animae cum corpore, cum optime fieri *possit*, ut, per praesentiam animae, pergant minimae actiones internae, quae vitam servant et quae nullo modo externe apparent. Quae videntur confirmare facta, quae inferius referimus. Quam rationem metaphysicam iam pertractaverat benedictinus P. Feijoo, saeculo XVIII. Ipse ait: « Nemo scit quae sit ultima operatio animae in corpore nec quae sit ex parte corporis dispositio essentialiter requisita ut servetur coniunctio animae cum corpore; et, cum haec ignorentur, impossibile est noscere quo temporis momento homo moriatur. Supponimus corpus, quod ob diminutionem facultatum gradatim in eum statum deveniat, in quo omnino exanimis appareat, privatum respiratione, sensu, calore et motu. Quod iam certo dicere possumus hoc tantum est, scilicet animam non exercere in hoc corpore aliquam operationem, quam per sensus percipere possimus. Attamen, quomodo certiores fieri possumus, quod anima non amplius exerceat in aliqua aut in aliquibus intimioribus partibus aliquam aut aliquas operationes vitales aut animales?... Quis forsitan dicet, cessantibus circulatione sanguinis et motibus cordis, opus esse ut vita quoque cesset. Iam quaero, primo: quomodo id nosci possit, si impossibile est hoc cognoscere, quin angelus nobis nuntiet, aut Deus ipse aliquo modo palam faciat? Quod quidem affirmare nobis licet, hoc tantum est, nempe nullam adesse operationem vitalem, quae per nostros sensus percipere valeamus, sed minime quod nullam *absolute* adesse queat. Secundo dico, quod, usquedum sanguis liquidus est, nullo modo affirmari licet circulationem omnino cessasse. Potest enim fieri ut haec adeo lente prosequatur, ut adverti nequeat... Idem

dic de motibus cordis, qui possunt adeo esse leves, ut nosci nequeant » [1].

627. *b*) In casibus mortis apparentis frequenter fit, ut quaelibet manifestatio vitalis ita omnino deficiat, ut ne exquitissimis quidem mediis percipi possit et hic status mortis apparentis diu perseveret ac demum vita redeat. Haec mors habet easdem causas, quas mors repentina, quales sunt vulnera, contusiones, submersio, asphyxia, syncopes, haemorrhagiae, electricitas etc. Ita noscuntur plurima exempla militum, qui ob vulnera recepta in praeliis et post vehementes haemorrhagias, post duos, quatuor et etiam duodecim dies redierunt ad vitam; item sepulti sub macerie, rigidi ob frigus, fulgure correpti possunt haberi ut mortui, quin re tales sint. Adsunt etiam plurimi casus, in quibus vita videtur adhuc adesse in cadaveribus recentibus; ita ex. gr. dr. Bertin docet, quod calor corporis in his non illico disparet, sed gradatim; phaenomena absorptionis et digestionis prosequuntur in cadavere, etsi lentissime. Si fides praestanda est nonnullis antiquis narrationibus, oporteret dici etiam partum aliquando habitum fuisse in praegnantibus iam sepultis, ut in nonnullis casibus certum est. Item in cadaveribus capillaria vasa contrahuntur, pupilla aliquando alternatim contrahitur, quod mutat adspectum cadaveris, musculi voluntarii item contrahuntur post mortem, substantiae digestionis pergunt aliquando progredi in intestina etc. [2]. Haec omnia .et tot alia nota sunt medicis, quorum tamen nonnulli negant procedere a residuo vitae, alii vero illa explicant, modo materialistico, dicendo singulas cellulas corporis esse unitates distinctas et vivere vita propria independenter ab aliis cellulis, ac ideo vitam hominis non esse nisi summam earum vitarum seu activitatum; qua re si mors generalis venit, etiam cellulae moriuntur; at non omnes simul, sed paullatim, cum per aliquod tempus nutriantur substantiis, quae in ipsis iam erant; homo vero iam non amplius vivit. Huius postremae explicationis inutile est adducere refutationem, cum proficiscantur ex principio falso, quod scilicet anima rationalis non sit ac ideo non informet corpus [3]. Cum

---

[1] Feijoo, *Señale de muerte actual*, ed. Rivard. § IV, p. 252, apud Ferreres (*op. cit. ital.* p. 31-32: hispanice p. 26).

[2] Haec et similia facta vide ap. doctorem Blanc (*El Criter. católi.* etc.) mensis maii 1903 p. 138; Icard, *Op. cit.*, p. 62-63; Cangiamila, *Embriolog sacra* etc. p. 102 et ss.

[3] Refutationem videsis apud doctorem Blanc, *Op. cit.*, p. 139 et ss.

vero in casibus mortis apparentis diuturnae, etsi sanguis non amplius per corpus transvehitur, et tamen post etiam longum tempus vita redit, dicendum est cellulas textorum adhuc vivere per substantias, quas antea sanguis in eas attulerat et prosequi earum vitales processus per praesentiam animae. Omnis enim cellula habet quamdam quantitatem conservationis nutritivae; alias, si ob suspensionem respirationis et circulationis sanguinis per aliquod tempus, cellulae morerentur, vita non posset amplius redire; at facta contrarium testantur. Aliis verbis, in his casibus mortis apparentis etiam diuturnae habetur vita in *actu primo*, quatenus scilicet homo *vivit*, abest vero vita in *actu secundo*, quatenus scilicet homo caret operationibus.

628. His considerationibus et factis experientiae nisus, doctor Blanc triplicem distinguit casum mortis apparentis in homine scilicet:

1.° Statum mortis apparentis ob syncopem aut alias causas, in quo respiratio et circulatio sanguinis, etsi valde minutae, adhuc exsistunt;

2.° Statum vitae apparenter reductum ad activitatem cellularum, causa interruptionis circulationis, quo fit ut cellulae substantiis, quas adhuc habent, vivant;

3.° Statum similem vitae latenti animalium infimorum, scilicet vitae in actu primo quoad exsistentiam, non vero quoad operationes.

Idem doctor dein addit possibile esse, ut mors definitiva non superveniat, nisi postquam singuli praefati status, etiam eodem ordine quo exposuit, subsecuti sint [1].

629. Quam doctrinam doctoris Blanc tradunt etiam plures alii medici, ex quibus nonnullos referimus. Doctor Laborde ait: « A momento, quo apparent signa externa *apparentia* mortis per suspensionem functionum maximi momenti et essentialium ad vitae conservationem (respiratio et circulatio), usque ad momentum, quo mors fit *realis* et definitiva, exsistit periodus quaedam latens, maioris vel minoris durationis, iuxta causam et naturam mortis ipsius. Iam, in hoc tempore exstant et perseverant *proprietates functionales* textorum et elementorum, quae si excitentur modo apto, possunt denuo revocari, momento vel definitive, eorum functiones, cuius ipsae constituunt *substratum* organicum et functionale » [2].

---

[1] Blanc, *Op. cit.*, p. 171-172.

[2] Laborde, *Op. cit.*, part. II.

Doctor Coutenot tradit, quod, ex experientiis physiologicis et constanti experientia, mors non illico contingit et corpus gradatim moritur, et quod mors debet diverso modo fieri iuxta circumstantias, quae sunt eius causae, iuxta qualitates nerveas et vitales singulorum hominum, at semper *gradatim* [1]. Si corporis varia elementa gradatim moriuntur, scilicet amittunt suas proprietates functionales, qua ratione anima, quae illico e corpore abit, corpus relinquet statim ac incipit mors functionalis praedictarum partium et non potius eo instante, quo ultimum vestigium activitatis disparet?

Idem doctor ait: « Etsi adsint signa externa mortis, haec primo nonnisi *apparens* est; organismum mortuum extra, intus vivit ob persistentiam proprietatum functionalium textorum, quibus uti possumus ad restituendam vitam totius corporis; cum hae proprietates disparent, tunc advenit mors *realis*. Tempus huius primae phasis plus minus perdurat, iuxta causas. Mors *apparens* esset quidem status morbosus, qui requirit auxilium medicum, scilicet quamdam curam usque dum non oriantur indicia certa mortis realis. Coram morte plus minus recente, nemo potest esse certus quod non sit nisi apparens, et non maneat adhuc aliquod vestigium vitae » [2]. Et in eodem artic., relatis duobus casibus mortis apparentis, qui sunt maximi momenti, concludit, aiens: « Post suspensionem motuum cordis, vita exsistit adhuc per tempus plus minus longum, quod experientia poterit olim statuere; tamen exsistit » [3].

630. Ad rem faciunt conclusiones sequentes coetus medici Barcinonensis quoad hanc quaestionem:

(1.ª concl.) « Nulli legi notae naturae repugnat quod homo possit manere per brevius vel longius tempus in statu vitae absque ulla omnino operatione vitali, uti accidit in nonnullis animalibus infimis et in vegetalibus tempore hiemali. Attamen actualis scientia nulla media habet ad demonstrandum hunc statum aliquando locum habere ».

(3.ª concl.) « Facta demonstrarunt hominem posse ad vitam revocari postquam per plures horas permanserat in statu, quo dispa-

---

[1] *Études Franciscaines,* Ianuar, 1901, p. 44, cit. apud Ferreres (vers. ital.) p. 25, (hispan.) p. 20.

[2] Coutenot, *La mort apparente et les derniers sacram.; in Étud. francisc.* l. c. pag. 44 et ss., (cit. apud Ferreres (ital.) pag. 28-29).

[3] Cfr. doctorem Blanc in *El Criter. católico* etc., Iul. 1903, p. 207

ruerant omnes manifestationes vitae generalis, quales conscientia, locutio, sensibilitas, motus musculares, respiratio et palpitatio cordis, quae nullo modo percipi poterat. Hunc statum logicum est dicere mortem apparentem ».

(4.ª concl.) « Status hic mortis apparentis solet frequentior et longior esse in iis, qui subita morte aut repentino accidente corripiuntur; at valde probabile est similem statum locum habere per longius vel brevius tempus in omnibus hominibus, etsi pereant morbis communibus, tum acutis tum chronicis ».

(5.ª concl.) « Post momentun, quod communiter dicitur mors, etiam in morbis acutis et chronicis, iuxta sententiam plurimorum Aa., locum habet in corpore humano residuum vitalitatis textorum, quae apparet per contractiones musculorum tum levium, tum striatorum, per phaenomena absorptionis, per motus vibratiles ciliorum epitheliorum et nemaspermatum, per contractiones uteri, quae aliquando expulerunt fetum etc. ».

(6.ª concl.) « Coram humano corpore, quod praecedente numero phaenomena indicata praebet, scientia *actualis* non potest affirmare, quod principium, servans in corpore unitatem functionalem, disparuerit » [1].

631. *c*) Facta demum, quae testantur vitam perseverare etiam per plures horas absque ulla operatione externa perceptibili, immo cum pluribus signis mortis realis, quamplurima sunt, praeter superius relata, quaeque cerni possunt apud Laborde (*Op. cit.*). Hic tantum nonnulla pauca addam.

632. Doctor de San Andès, medicus consulens Aloisii XIV, duos sequentes casus narravit, quos P. Feijoo ita exponit: « Primi casus testis fuit pater auctoris, qui erat medicus. Vir quidam sexaginta annor natus, aegrotans febri continua, ita incidit in syncopem, ut putaretur animam iam exhalasse. Non solum necessaria parabantnr pro funere, sed etiam agebatur de autopsia peragenda, cum eius filii ita vellent. Duo parochi, qui prope erant, inter se disceptabant ad quem eorum spectaret ius funeris. Pater auctoris, qui in proximo cubiculo erat, discussionis strepitum audiens et timens ne ad manus atque pugnam venirent, ingressus fuit ad sedandos eorum animos; et cum ad putatum mortuum appropinquasset, curiositate motus, detegit eius vul-

---

[1] *El Criter catól.* etc., Augusti 1903, pug. 227-228.

tum et sibi visus fuit videre aliquem levem motum; quam ob rem tetigit ei pulsum, apposuit candelam ad nares et ad os, et cum non haberet ex his aliquod signum vitae, in eo erat ut eum derelinqueret, putans certe mortuum, quum sibi visus fuit videre eumdem motum; vinum petiit, ad nares admovit et etiam ad labia paullisper posuit; attamen, cum ne per haec quidem aliquod signum vitae appareret et iam relicturus esset, observavit putatum mortuum vinum labiis degustare; tunc festinanter aliud paucum vinum ei praebuit; vir, post haec, oculos aperuit, vires recepit, et postea ad perfectam salutem rediit. Iam notatu dignum est, quod in illo statu mortis apparentis, omnia audierat et intellexerat, quae duo parochi dixerant, et, sanitatem postea assecutus, omnia exacte retulit » [1].

633. Doctor Laborde refert casum mulieris laborantis, iudicio medicorum, adenopathia tracheo-bronchica tuberculari, et ad vitam restitutae a doctore Coriton. Mulier erat sex et viginti annor.; afficiebatur accessibus suffocationis valde vehementibus; die 27 februarii 1893, quinta hora matutina, accessus vehementissimus venit; quare missum fuit ad medicum vocandum; qui statim accessit ad mulierem (distantia enim parva erat); at dictum ei fuit mulierem iam mortuam esse. Doctor invenit aegrotam lividam, inertem, absque respiratione, ne levi quidem, absque pulsu et absque motibus cordis. Statim caepit agere tractiones rithmicas linguae 35-40 singulis minutis et paullatim disparuit pallor in facie, paullo serius prima indicia respirationis visa sunt et, post dimidiam horam, mulier receperat quamdam sensibilitatem et respiratio regularis evaderat ac demum omnino restituta erat a morte apparente. Vixit postea alios tres menses et ob eumdem morbum obiit [2].

634. Idem doctor Coutenot narrat alium casum, qui sibi ipsi contigit in nosocomio, in civitate vulgo Besançon. Agitur de Ioanna Govignot, puella tredecim annor., orphana, quae nosocomium ingressa fuit die tertia maii, an. 1893, cum omnibus symptomatibus morbi meningo-encephalici, naturae scruphulo-tubercularis; hora decima mane (10 maii) refertur doctori quod puella, post horam agoniae, expiraverat. Post tria aut quatuor minuta, accedit ad eam doctor et videt cadaver adhuc calidum, habens faciem lividam, caput

---

[1] Ferreres, *Op. cit.*, pag. 17-18 (hispan. pag. 15).

[2] Laborde, *Op. cit.*, pag. 169-170.

inclinatum super dextrum humerum; salivarius lentus effluit ore; pupillae sunt dilatatae, respiratio abest, notatur insensibilitas ad quamlibet excitationem, cor non amplius pulsat in auscultatione ac ideo non amplius pulsus, frigus incipit invadere extremitates, quae sunt etiam lividae. Statim incipit doctor agere tractiones linguae et paullatim adspicit livorem minui, pinnas nasi movere; post viginti minuta respiratio evaserat regularis, circulatio redierat cum pulsu, etsi debili. Tamen paullo post disparuerunt omnia indicia ita habita, inverso ordine apparitionis, et mors realis secuta est [1].

635. Etiam in casibus gravissimis vulnerum, in quibus in praesenti tenetur mortem illico sequi, probatur vitam perseverare aliquo tempore. Doctor Ethier retulit doctori Laborde sequentem casum. Vir quidam ceciderat altitudine triginta pedum super petram et receperat fracturam calvariae, quae extendebatur ab osse temporali dextro usque ad partem superiorem arcis petrosae sinistrae per sellam turcicam cum damno ossis etmoidis et haemorrhagia e naso, qua aër pervenerat usque ad meninges et ad vasa sanguinea loborum frontalium. Omnia prae se ferebat propria *cadaveris*, i. e. figuram cyanoticam, corneam insensibilem, pupillam ampliatam, defecerat respiratio et pulsus. Doctor statim coepit exercere in hoc *cadavere* respirationem artificialem (methodus Sylvester), sed absque exitu; dein in praxim redegit methodum tractionum linguae et post viginti minuta vita omnino redierat. Attamen post *duas* horas vere obiit ob haemorrhagiam basis calvariae. — Idem doctor refert de quodam alio correpto haemorrhagia cerebrali, in quo exercuit tractionem linguae per circit. triginta minuta et post ea duas horas vixit [2].

636. Haec et tot alia facta ostendunt 1° *vitam perseverare, etiam cum corpus nullum prae se ferat vestigium vitae et verum cadaver appareat* et 2° *possibile esse ut in his statibus vita revocetur, etsi ad breve tempus.*

637. His praemissis manet inquirendum *quanto tempore probabiliter perdurat vita latens.* Regula generalis, quae valeat pro omnibus casibus, statui non potest, quum valde variare debeat pro

---

1 Laborde, *Op. cit.*, pag. 163-167. Commovens et valde instituens est narratio huius casus ob circumstantiis, quae eum comitatae sunt.

2 Idem ibid., pag. 543-545.

natura morbi, conditionibus subiecti et tot circumstantiis, quae facile intelliguntur. Attamen, iuxta facta complurima a medicis collecta, dicendum est tempus probabile vitae latentis longius esse in morbis mortis repentinae, quam in morbis ordinariis. Hinc ad statuendum hoc tempus oportet in primis necessario cognoscere casus utriusque generis morborum et quot tempus in affectis his morbis vita certo perseveraverit; tunc enim tantum poterit aliquid certi statui. Hinc primo innuemus nonnullos casus *a*) in quibus vel solet illico, ordinarie, mors subsequi, vel qui prae se ferunt plura signa mortis realis, et tamen non agitur nisi de morte apparente, et *b*) casus mortis ordinariae.

a) Casus mortis apparentis, qui saepe secum ferunt signa verae mortis et quae pluries ut talis habita fuit etiam a medicis et ob quae patientes vel sepulti fuerunt vel admirationi inspectatae subiecti evaserunt et postea ad vitam redierunt, quamplurimi sunt.

P. Zacchia refert in nosocomio Sancti Spiritus Romae iuvenem virum, causa pestis, correptum fuisse *syncope* ita perfecta, ut omnes vere mortuum putaverint, ac ideo una cum ceteris mortuis eodem morbo dispositus fuit pro sepultura. Cum vero deferrentur cadavera ad Tiberim collocanda in scapha ad id parata, iuvenis prae se tulit signa nonnulla vitae, ob quae iterum translatus fuit ad hospitale, ubi ad vitam excitatus fuit; at duos post dies, denuo incidit in syncopem; et cum putaretur nunc vere mortuus, omnia parata erant ad eum sepeliendum, cum iterum ad vitam rediit, qui postea, ob curas habitas, perfecte convaluit. — Zacchia vero addit, quod tempore pestis plures alii sepulti fuere ut mortui, qui contra adhuc vita pollebant.

638. Notum est factum, quod contigit Vesalio. Agitur de viro quodam hispanico, qui obiit an. 1564 ob morbum, cuius causae ignotae erant Vesalio. Hic petiit a familia facultatem peragendi autopsiam, quam facultatem obtinuit. Iam statim ac cadaver apertum fuit, adstantes putarunt videre adhuc cordis pulsationes. Statim notitia delata fuit familiae defuncti, quae accusavit Vesalium homicidio vel impietate; iudices damnarunt poena capitis Vesalium, qui tamen multa pati debuit ut poena commutaretur. In syncope, ait Hoffman, semper difficile est distinguere mortuum a vivo [1].

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 210 et ss.

639. Idem evenit in *hysteria* (lethargia, catalepsi, extasi). Doctor Barth affirmat, quod in his statibus somni corpus frigescit progressive, respiratio et circulatio non amplius percipiuntur; pallor invadit faciem subiecti, membra resolvuntur perfecte, pupillae dilatatae insensibiles fiunt luci et cornea tectorio epitheliari obtegitur ita ut in omnibus habeatur adspectus mortis; hic status potest diu perseverare et haberi velut mors realis. Nota est historia recens N. Glycas metropolitae graeci orthodoxi (Methymnis), aet. octoginta annor., qui haud brevi tempore ob indispositionem lecto iacebat. Die tertia martii an. 1896, status eius salutis adeo in peius mutavit, ut medicus vespere mortem confirmaverit. Iuxta praescriptiones illius religionis, corpus, vestibus sacerdotalibus indutum, positum fuit sub throno, et duobus diebus et duabus noctibus presbyteri metropolis prope cadaver vigilarunt, dum magna turba populi accurrebat, ut ultimo effigiem pastoris videret. Die quinta, metropolita illico surrexit, omnibus circumstantibus obstupefacientibus, et maxima admiratione captus fuit illius funereae pompae; anno 1897 adhuc vivebat. Nisi ipse metropolita fuisset, vitam perdidisset in sepulcro, cum simplices fideles sepeliendi sint, iuxta leges illius religionis, duodecim post horas ab obitu.

640. Zacchia refert casum mulieris hystericae, quae in statu mortis apparentis subiecta fuit autopsiae et sub cultro anatomico ad vitam rediit.

641. Doctor Josat refert casum maximi momenti et ob durationem mortis apparentis et ob conscientiam, quae perseverabat in illo statu. Mulier quaedam, valde nervea, annos nata decem et septem, duabus vicibus correpta fuit morte apparente, quae totidem habita fuit realis. Primum ut mortua permansit viginti quatuor horas, per quod tempus omnia media excitantia absque exitu adhibita fuere. Secundo, septem post menses a primo accessu, per quadraginta horas prae se tulit *omnia* signa mortis realis usque ad rigorem cadavericum. Plures medici lugdunenses statuerunt tunc agi de morte reali. At eius sorores enixe rogaverunt ut non sepeliretur; et hoc tempore mortua ad vitam rediit. Postea haec mulier semper affirmabat conscientiam habuisse omnium, quae circum ipsa dicebantur, quin potuerit aliquo modo id patefacere. Horum casuum, in quibus apparenter mortui intellexerunt quae circum ipsos pera-

gebantur, plurimos collegerunt Forestus, Licetus, Sydenham, Pommo et alii [1].

642. In *eclampsia puerperali* facile item est confundere mortem apparentem cum morte reali; nam, in periodo comatoso eclampsiae, respiratio et circulatio sanguinis possunt non amplius percipi; potest haberi frigus totius corporis, color lividus faciei, perfecta insensibilitas, absoluta immobilitas et resolutio omnium musculorum. Celebris obstetricus Philippus Peu fuit quondam vocatus ad quamdam parturientem, quae habebatur ut mortua, ut operationem caesaream perageret ad salvandum fetum; ipse quoque eam habuit ut mortuam; at vix incepta operatione, mulier exilivit, cum stridore dentium et motu oris. Idem accidit alii chirurgo (Winclow); Van Swieten et Baudeloque referunt tres alias historias similes, mulierum scilicet, quae revixerunt tempore operationis caesareae. Trinchinetti narrat quod sanguis arteriosus exilivit in incisione uteri contra chirurgum et mulier obiit tempore operationis. Comarius refert de quadam muliere praegnante habita ut vere mortua, quae ad tumulum delata et sepulta fuit. Post aliquod tempus inventum fuit hanc mulierem peperisse, cum infantem gestaret inter brachia. Supra referimus casum doctoris Rigadeaux [2].

643. Etiam mors per *inhibitionem* aliquando postest esse tantum apparens; haec accidit ob actionem reflexam causae alicuius physicae vel moralis in nonnulla centra nervea, quae, si referuntur ad respirationem et circulationem, paralysi afficiuntur pulmones vel cor et producunt mortem ob inhibitionem.

644. Quod *asphyxia* gignat mortem apparentem, quae perdurare potest plures horas, totum opus doctoris Laborde, pluries citatum, luculenter ostendit, et per tractionem linguae asphyctici ad vitam revocati fuere; submersi ipsi revixerunt postquam etiam plus quam dimidia hora sub aqua fuerunt [3].

645. Item correpti *fulgure* apparent vere mortui; at eorum mors est apparens, quia potuerunt ad vitam revocari etiam post plures horas. Tourdes observavit bis vitam redire brevi tempore. Bourdin vidit fulguratum reviviscere post quinque quadrantes. Sestier refert

---

[1] Icard, *Op. cit.*, pag. 215 et ss.
[2] Id., pag. 219 et ss.
[3] Laborde, *Op. cit.*, p. 176.

historiam septuaginta septem fulguratorum, quorum sex vel septem revixerunt post quinque horas usque ad septem; etiam poena capitalis per electricitatem ostendit correptos non esse nisi in statu mortis apparentis, et pluries revocati fuere ad vitam [1].

646. *Frigus* etiam potest esse causa mortis tantum apparentis, etiam diu protractae. Plura facta huius generis exstant. Exercitus primi Napoleonis in Russia maxima pars militum obiit frigore et plurimi sepulti fuere vivi ob defectum curae necessariae ad revocandam eorum vitam. Ann. 1765 quidam ferrarius faber transiens per Pyrenaeos montes correptus frigore cecidit et quatuor dies mansit sepultus sub nive usque ad collum et quinta die ad vitam rediit; Reeve narrat de muliere, quae, tempestate nivis deprehensa, octo dies sub nive sepulta permansit, et vivens inventa fuit; Krajewsky narrat de quodam viro russo, qui ob eamdem tempestatem sepultus fuit sub nive cum equo, et post duodecim dies vivus item inventus fuit; viginti captivi correpti nive transeuntes per montem Cinisium et in ea sepulti per viginti quatuor horas, tamdem revocati fuere ad vitam [2].

647. *Narcotismum* ipsum productum plerumque ex opio in excessiva quantitate est causa mortis apparentis. Mulier quaedam, refert Dr. Icard, ob dolorem mortis valde dilecti filii, correpta fuit idea suicidii et potuit sibi comparare magnam quantitatem morphinae; spatio decem tantum minutorum consumpsit sexaginta gram.; effectus rapidi fuerunt, cum paucas post horas symptomata narcotismi vehementissima erant. Doctores, qui statim vocati fuerunt, Guersant, Roger, Corby et Iosat, post protractum examen declararunt mulierem esse iam mortuam morte reali. Contra, non erat nisi in statu mortis apparentis, cum postea ad vitam rediit. Doctor Iosat dein testabatur omnia media adhibita fuisse ad noscendum verum mulieris statum [3].

Aliquando etiam *ebrietas*, si quantitas alcool sumpti magna fuit, potest esse causa mortis apparentis; sopor enim potest adeo esse profundus, ut sensibilitas possit omnino deficere, musculorum resolutio esse perfecta, temperatura corporis continuo minuere (habita fuit in nonnullis casibus etiam 24° C. in recto), pupilla persistere ampliata; oculi possunt esse vitrei, respiratio et circulatio non amplius percepti-

---

[1] Icard, ibid., p. 228 et ss.
[2] Id., ibid., p. 230 et ss.
[3] Id., ibid., p. 234-236.

biles evadere. His rationibus ebrii possunt haberi ut mortui et ut tales omnino derelinqui; qui errores sunt frequentes. Casus huius generis plurimi sunt, in quibus scilicet etiam post plures horas mortis, ebrii revixerunt. Mendicus quidam ob abundantes potiones alcoolicas cecidit in terram et non potuit amplius surgere; postridie inventus fuit habere membra rigida, et omnia iam parabantur pro eius sepultura; medicus quidam corpus examinavit, et invenit esse frigidum, absque flexibilitate, absque cordis motibus et absque respiratione; tamen curas necessarias ei praebuit et quatuor post horas ad vitam revocavit (Vignė). — Doctores Briand et Chaudė referunt historiam cuiusdam viri, item mendici, iacentis in via, causa ebrietatis. Habitus fuit ut mortuus; expectabatur tempus lege statutum ad eum sepeliendum et hoc tempore super paleam positus fuerat; postridie hora duodecima, cum irent ad efferendum, ebrietas disparuerat et vivus inventus fuit [1].

Alia causa frequens mortis apparentis est vehemens *concussio* cerebralis (proprie encephali et medullae spinalis), qua infirmus cadit iners in terram velut cadaver; habet pallorem faciei, immobilitatem totius corporis, resolutionem perfectam membrorum, dilatationem et insensibilitatem pupillae, absentiam circulationis et respirationis, quae aliquo modo percipi possint, et soporem profundum. Doctor Tourdes affirmat concussionem cerebralem producere omnia symptomata mortis. Haec concussio notatur praesertim tempore belli, ob casus ab alto etc. Exempla plurima adsunt, in quibus, adhibitis mediis opportunis, fuit possibile restituere vitam aliquas post horas ab accidente [2].

Idem invenitur in *congestione* et *haemorrhagia cerebrali*, in quibus casibus correpti morbo restituti fuere ad vitam etiam post tres dies. Amatus Lusitanus enim refert historiam cuiusdam puellae, quae ob apoplexiam ab omnibus ut mortua habebatur; at mater, ob vehementem amorem, quo eam prosequebatur, curavit ut sepultura valde protraheretur et tertio die putata mortua sponte revixit. Zacutus Lusitanus narrat casum apoplexiae piscatoris cuiusdam, cuius ipse testis fuerat. Praefato morbo piscator correptus fuerat iam a viginti horis et sudario iam erat obvolutus; expectabatur tempus sepeliendi; tempore funeralium, auditus fuit rumor quidam surdus et ignotus,

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 237.
[2] Idem, *Op. cit.*, p. 239.

qui fecit ut deferentes sisterent et invenerunt piscatorem adhuc vivere, qui paucos post dies perfecte sanatus evaserat [1].

648. Supra diximus quomodo in morbo *cholera* casus mortis apparentis sint frequentissimi, immo status quidam ipsius morbi.

649. Mors apparens potest contingere etiam in casibus *inanitionis*, scilicet ob defectum diu protractum nutrimenti; qui quidem casus haberi possunt tum cum cibus nullo modo comparari potest (tempore maximae penuriae), tum in mente captis ob malincholiam, qua nullum omnino cibum sumere volunt, in captivis, qui malunt mori, in iis qui laborant angustia esophagi, cancro stomachi etc. [2].

Etiam *tetanus* potest producere mortem apparentem ob asphyxiam, quae pluries remota fuit per processus tractionis linguae, ut refert doctor Laborde [3].

Ex hucusque expositis liquet, *in casibus mortis repentinae*, in quibus possunt plura signa mortis realis apparere, *vitam latentem diutius protrahi, quam ordinarie putatur et teneri hac ratione posse perseverare probabiliter usque ad apparitionem putrefactionis corporis.*

b) In casibus vero mortis ordinariae, quibus morbi scilicet lento decursu progrediuntur et morte finem habent, vita latens multo citius extingui debet; cum enim vita latens tamdiu perduret, quamdiu cellulae corporis servant substantias, a sanguine allatas, quae consumuntur in lentis earum processibus, in morbis lenti progressus, hae substantiae iam ad minimum reductae sunt, ac ideo vita multo minus, quoad tempus, durare opus est. Tamen notandum est esse aliquot morbos, qui graviter afficiunt organa maximi momenti ad vitam, quales pulmones, cor et cerebrum, in quibus potest haberi status vitae latentis etiam per plures horas. Ad rem faciunt sequentes casus, quos referunt doctores.

650. Doctor Cirera, in coetu medico barcinonensi, 15 februar. 1903, relate ad vitam latentem in casibus supra dictis et ad administrationem extremae Unctionis, tenet « posse et debere administrari extremam Unctionem post mortem, sensu ordinario verbi, et non esse bonam praxim, quae communiter servatur in his

---

[1] Icard, *Op. cit.*, p. 240.
[2] Idem, *Op. cit.*, p. 243.
[3] Laborde, *Op. cit.*, p. 68 et seq.

casibus, scilicet quod, si antequam vocetur sacerdos ad infirmum, hic spiritum tradidit, circumstantes habent illum ut mortuum et ut talem tractant. Et notetur, addit, quod non intelligo loqui *de accidentibus repentinis*, sicut de submersis aut fulguratis, cum hos notum sit posse ad vitam revocari etiam multas post horas mortis apparentis; sed intelligo loqui de illis, qui moriuntur postquam percurrerunt *phases ordinarias* morborum gravium et in quibus nimis propere solet iudicium ferri de morte ». Ad fulciendam hanc sententiam, retulit praefatus doctor, casum maximi momenti infirmae cuiusdam, triginta duorum annor. aet., affectae pneumonite duplici et pericardite cum haemorrhagia, quae apparenter mortua habita fuit post agoniam, quae perduravit duas horas; et tamen, ob respirationem artificialem, cui subiecta fuit circiter per quindecim minuta, percipi potuerunt motus cordis, qui omnino defecerant; rediit respiratio, etsi maxima difficultate angeretur ad expellendum mucum bronchiorum; prius acquisivit loquendi facultatem quam videndi, et circiter duas post horas redierat ad statum pristinum imminentis gravitatis, sed facultatibus mentis omnino integris; obiit post viginti quatuor horas cum agonia simili diei praecedentis. Ante relatum accidens, administrata ei iam fuerat extrema Unctio. Hanc historiam doctor enarravit, considerans, quod, si in casu praefatae infirmitatis, quae graviter afficiebat organa maxime necessaria ad vitam, seu pulmones et cor, non tantum infirma vivebat, sed poterat etiam iterum habere omnes suas functiones, teneri potest vitam adhuc aliquod tempus perseverasse, etiam si nihil factum fuisset pro eius reviviscentia, et probabile esse idipsum contingere maiori parti infirmorum, cum in eis deficiunt externae vitales manifestationes [1].

Eiusdem naturae est casus supra relatus doctoris Coutenot, scilicet mulieris affectae adenopathia tracheo-bronchiali, quae, post vehementissimum accessum, facta fuit livida, absque pulsu, absque respiratione et absque motibus cordis et ab omnibus habita ut mortua; quam doctor praefatus per tractiones linguae, post horam cum dimidio, ad vitam restituit; vixit adhuc tres menses, etsi postea eodem morbo vere obierit.

Idem deponit alter casus eiusdem doctoris Coutenot, supra relatus, puellae nempe tredecim annor. aetatis, quae ob meningo-

---

[1] *El criterio católico* etc., Agosto 1903, pag. 237-238.

encefalitatem tubercularem incidit in mortem, quae ut vera et definitiva habita fuit; et tamen ab eodem doctore puella restituta fuit ad vitam, etsi brevi tempore, et postea mortua fuerit.

Historiam viri, qui deciderat altitudine triginta pedum et magna damna calvae cum haemorrhagia receperat, ex doctore Ethier, supra item retulimus.

651. Quae facta et plura alia, quae referri possunt, probant vitam non deficere *illico* etiam in morbis gravissimi momenti, et etiam, cum corpus valde macie tenuatum est ob morbos chronicos, aliquantulum perdurare, ut ex historia puellae praefatae habetur.

652. Qua re, inspectis his et pluribus aliis factis et habita ratione persistentiae vitae textorum corporis, fere communis nunc est sententia medicorum, quae tenet *mortem non contingere eo ipso temporis momento, quo deficiunt omnes externae hominis vitae manifestationes, et ex quibus iudicatur communiter mortem advenisse, sed paullo serius.*

653. Si nunc inquirimus tempus, quo tardat mors realis, seu quo perdurat vita latens, hinc incipit magna difficultas, tum quia discordes sunt medicorum sententiae, tum quia facta de visu pauca sunt ea ratione, quia, statuta communi et vulgari sensu morte reali, putatus mortuus relinquitur aut ita pertractatur, ut vita latens quam primum deficere omnino oporteat, quin aliquid de ea certo nosci possit. *In omnibus casibus mortis opus esset*, ut tradit doctor Thomassin, *habere primas duodecim horas velut prosecutionem morbi ipsius;* qua re oporteret tractare mortuum velut ac si adhuc viveret, et tentare omnibus mediis et praesertim tractione linguae restitutionem vitae. Doctor Laborde statuit neminem debere putari ut mortuum definitive, nisi postquam per tres horas subiectus fuerit eius methodo tractionis linguae; quod quidem innuit, iuxta eius sententiam, vitam latentem posse toto hoc tempore perdurare. Doctor Coutenot affirmat vitam latentem perdurare spatio unius horae usque ad tres, cum maximum (scil. trium horar.) respondeat mortibus repentinis, minimum (h. e. unius horae) mortibus ob morbos chronicos. Doctor Goggia asserit medicum non debere hisce casibus testari de morte certa, nisi mortis indicia remota apparuerint, quae sunt rigiditas et vesicae, absque serositate, habitae in pluribus partibus corporis. Doctor Bassols opinatur Sacramenta administrari posse usque dum non veniat rigiditas cadaverica, quae ordinarie non apparet nisi post

horam ab obitu usque ad viginti quatuos horas iuxta Capellmann [1], plerumque post duas horas usque ad sex iuxta Niederkorn, post tres horas iuxta Surbled, et post mediam quinque et sex horarum iuxta Icard [2]; iuxta doctorem Landois potest incipere etiam decem minutis post mortem usque ad septem horas [3]. Ceterum doctor Louis tradit, post plurimas experientias, flexibilitatem membrorum esse signum quod vita adhuc persistit [4].

654. Ratio vero, cur rigiditas non uno eodemque tempore in omnibus cadaveribus apparet, est quia myosinae coagulatio, ex qua pendet rigiditas musculorum, subiicitur variis causis, quae possunt accelerare vel retardare tempus coagulationis; ita ex. gr. motus musculares vehementes ante mortem, ut accidit in morbo *cholera*, in tetano, in veneficiis ob strycninam et opium, cito adducunt fortem rigiditatem [5]; et generatim physiologi tradunt rigiditatem citius manifestari in iis, qui pereunt morbis ex infectione, quo elevatior est temperatura, quum musculi sunt debiles et corpus diuturno morbo consumptum, et cum, ante mortem, convulsiones accesserunt; frigus vero et bonus status nutritionis musculorum retardant rigorem [6].

655. Causa igitur huius inconstantiae apparitionis rigiditatis, variae habentur sententiae de tempore persistentiae vitae latentis. Iam saec. XVII, teste Lacroix, nonnulli medici putabant vitam latentem perdurare per quadrantem vel dimidiam horam; P. Feijoo saec. XVIII eam extendebat usque ad dimidiam horam; in praesenti doctor Capellmann tenet vitam perdurare, post ultimam expirationem, aliquot minuta [7], P. Villada [8], Noldin et Alberti [9] sex minuta circit., P. Ferreres saltem dimidiam horam [10], nonnulli demum diutius; ex nostra sententia vero, putamus vitam latentem in morbis vel in conditionibus num. praec. allatis, quae favent scilicet rigiditatem, *posse* perdurare saltem circiter per quadrantem et etiam dimidiam horam;

---

[1] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 187.
[2] Icard, *Op. cit.*, pag. 20.
[3] Landois, *Op. cit.*, vol. 2, pag. 597.
[4] Icard, *Op. cit*, pag. 25.
[5] Landois, *Op. cit.*, pag. 597.
[6] Albertoni e Stefani, *Man. di fisiol. um.* etc., pag. 377.
[7] Capellmann, *Op. cit.*, pag. 183.
[8] Villada P., *Casus Conscientiae*, Bruxelles 1902, P. III, pag. 251.
[9] Alberti P., *Pars prima theolog. pastor.*, Romae 1901, pag. 22.
[10] Ferreres, *Op. cit.*, pag 40 et ss. (hisp. pag. 32 et ss.).

nam vita cellularum *potest* servari hoc tempore causa lentitudinis, qua prosequi debent processus earum vitalium, qui certo, ob debititationem morbi, diutius perdurare non posse videntur; in ceteris vero casibus licet tenere vitam perdurare posse, usque ad amissionem flexibilitatis membrorum. Prae oculis habeatur etiam sententia doct. Coutenot.

656. Attamen notandum dari posse etiam casus morborum lenti progressus, quibus, praeter expectationem et contra eorum naturam, addatur aliquis morbus repentinus (ex. gr. syncopes, epilepsia etc.), qui mortem afferat. His casibus vita latens computanda esse videtur ex natura additi morbi, ut opinatur P. Feijo, et perdurare probabiliter potest per unam, duas horas et amplius, ut evenit scilicet in casibus mortis repentinae [1].

657. Cum ergo, post ultimam expirationem, anima non illico deserat corpus et homo per aliquod tempus vita latente vivat, etsi exterioribus manifestationibus omnino careat, remanet ut Sacerdos in his casibus se gerat velut ac si hominem vivum ante oculos habeat, iuxta regulas, quas theologi tradunt, quaeque ita colligi possunt:

a) In casu necessitatis Sacramenta conferri possunt et debent, quoties adest etiam tenuis probabilitas de eorum valore, praemissa tamen conditione; sacramenta enim propter homines;

b) Donec *certo* non constet hominem esse mortuum, debent conferri Sacramenta conditionate, ut provideri possit saluti eius aeternae;

c) Haec certitudo non habetur, in casibus mortis repentinae, nisi probabiliter adveniente putrefactione; in casibus vero mortis ordinariae ob morbos lenti progressus non habetur nisi tempore supra relato. Toto hoc tempore Sacramenta conditionate administrari possunt et debent.

658. Sacramenta necessaria ad aeternam salutem adultorum christianorum in statu peccati gravis, est Poenitentia et Extrema Unctio; ac ideo in omnibus casibus, in quibus licite dari potest absolutio, conferri potest, immo debet etiam extrema Unctio. Cum autem ex parte subiecti minus requiratur pro valore huius Sacramenti, quam pro absolutione, praecipue debet conferri hoc Sacramentum. Puta enim casum hominis in statu peccati gravis, cor-

---

[1] Cfr. Ferreres *Op. cit.*, pag. 49 et ss., (hisp. pag. 39 et ss.).

reptus morbo lethali repentino, qui statim ac advertit hunc suum statum, elicit dolorem *attritionis* ac dein sensus omnino amittit. Sacerdos, qui ad illum statim accurrit, conditionate absolvit. Absolutio erit-ne valida? Iuxta plures theologos est invalida seu non delet peccatum, quia, praeter internas poenitentis dispositiones, requiritur ut aliquo modo confessio sit *sensibilis*, quae in casu fieri non potest; iuxta alios theologos est valida ob rationes, quae sunt tantum probabiles; ac proinde effectus absolutionis est tantum probabilis. Si vero in praefato casu administretur extrema Unctio, haec certo est valida et delet peccatum, quia non requirit eam conditionem, quae probabiliter requiritur pro validitate absolutionis. Hinc in omnibus his casibus, Sacerdos non solum debet conditionate (*si vivis et es dispositus*) absolvere, sed praecipue administrare extremam Unctionem.

659. Utile tamen semper erit, immo necessarium, ne teratur tempus valde pretiosum in his adiunctis maximi momenti, quod extrema Unctio administretur hac formula: « *Si ex capax, per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, odoratum, gustum et tactum* », ungendo singulos sensus eodem tempore, quo pronuntiantur verba relativa. Probabile est in his casibus licere unam unctionem aut in fronte aut in pectore. Tamen hoc modo collato Sacramento, ad tutiorem eius effectum assequendum, opus esset iterum illud conferre sub conditione « *si vivis et es capax* » modo ordinario, peragendo omnes et singulas unctiones cum precibus in Rituali assignatis.

660. Quod vero haec ratio agendi possit esse causa scandali apud fideles, qui putare queunt Sacramenta conferri licere et mortuis, non est cur sacerdos hanc administrationem omittat; sufficit enim ut eos moneat de incertitudine momenti mortis realis et omnia haec fieri tantum ad providendum aeternae hominis saluti. Quae monitio tollet omnino admirationem et fideles pluris facient studium et charitatem sacerdotis, qui nil omittit ad salvandas animas ad aeternam Dei gloriam possidendam destinatas [1].

661. Consectarium demum ex hucusque dictis est, cum vita latens plus minus temporis persistat, necesse esse ut cadaver non tan-

---

[1] Cfr. de hoc argum. plura alia in Ferreres, *Op. cit.*

gatur, nec lavetur, nec vestibus funereis obtegatur, nec os, nec oculi claudantur, si aperti sunt, nec manus iungantur, nec pannos ad labia admoveantur, nec facies cooperiatur, donec rigor cadavericus appareat, ne, si forte adhuc vivit, cogatur ante tempus mori, aut, si agitur de asphyxia ne impediatur, quominus ad vitam redire possit. Demum, cum certa omnino mors sit, charitas christiana postulat, ut maxima reverentia hoc cadaver pertractetur, cum habitatio fuerit Spiritus immortalis et templum Spiritus Sancti, pluries sanctificatum ope Sacramentorum et ad resurrectionem in die novissimo destinatum et ad aeternam incorruptionem in coelis reservatum.

662. Nonnulla hic adiicere oportet de *conscientia* moribundorum, quae valde utilia Sacerdoti sunt pro eorum assistentia. Putandum non est omnes morbos, etsi gravissimos, qui aegrotos apparenter omni sensatione et activitate vitali externa privant, necessario secum ferre amissionem conscientiae ac sensuum, quo fiat ut nil amplius percipere possint de iis, quae circum eos aguntur vel proferuntur. Nam etsi, in naturali hominis conditione, strictissima sit relatio animae cum corpore et versa vice, et omnes manifestationes vitales per organa exerceantur, tamen experientia constat animam pollere aliquando in extremis momentis particulari activitate, etiam cum organa adeo morbo immutata sunt, ut videretur quaelibet eius activitas debere necessario abesse. Quod experientia constat, etiam physiologia docet. Notum est enim operationes psychicas exerceri praesertim per centra nervea partis griseae seu corticis cerebri, quatenus instrumenta (I, 181); tamen ad hanc activitatem exercedam constat non esse necessarium ut utrumque hemisphaerium cerebrale omnesque eius partes sint omnino sanae seu integrae; nam uno hemisphaerio pathologice immutato, alterum sufficitur in eius munere; immo utroque non omnino morbose immutato, pars reliqua functionem vicariam agit; quod notum est ex casibus, in quibus etsi unum hemisphaerium profunde et diffuse immutatum erat, operationes tamen psychicae absque ulla mutatione habebantur; et hoc fieri potest etiam in morboso statu utriusque hemisphaerii [1].

663. Hinc fit, ut omnes causae morbosae, quae sive directe, sive indirecte in cerebrum agunt, nobis non permittant necessario con-

---

[1] Landois, *Op. cit.*, vol. 2, p. 832.

cludere de absentia conscientiae, etsi infirmus adeo iners et insensibilis ad quascumque excitationes appareat, ut fere mortuus externe haberi possit. Certum est communiter dici morbos cerebrales, ortos, ex. gr. ex apoplexia, magna chlorosi vel debilitatione, vel narcosi ex gas laethalibus, secum ferre abolitionem conscientiae et cuiuscumque vestigii intelligentiae. At quale *certum* fundamentum proferri potest ad hoc certe tuendum ? Quoties enim in praxi observatum fuit intelligentiam ac conscientiam, quae, ob gravitatem morbi, penitus ablatae fuisse videbantur, paullo ante mortem rediisse cum omni sua plenitudine ac vi ? Quoties visi sunt plures mente capti, post plurimos annos morbi mentis, cum profecturi erant de hac vita, illico intelligentiam adeptos fuisse ? Annales psychiatriae plura huius generis exempla referunt. Doctor Brierre de Boismont loquitur, ex. gr., inter ceteros casus, de quodam, qui post quinquaginta duos annos alienationis mentis, intelligentiam nactus fuit [1]. Quoties visi sunt pueri, cum corpus et organa iam gravissime patiebantur, ostendisse intelligentiam fere superiorem eorum aetati ? Si, iuxta doctores Flourens, Goltz et Vulpian, ad servandam intelligentiam ac conscientiam sufficit ut pars aliqua cerebri integra persistat, etsi reliquum plus minus mutatum sit, facile intelligitur, paucissimos esse casus, in quibus positive de absentia conscientiae agi potest. Adde etiam sensum auditus diu persistere in moribundis ; quod quidem pluries fecit, ut infirmi, qui ob impossibilitatem sese movendi, verba proferendi, vel quia profundo sopori subiecti, ut fere mortui videbantur, omnia audirent, quae circum eos amici et proximi loquebantur, sicut ipsi postea, sanati, affirmarunt ; immo quot confessiones sacramentales peractae sunt, cum vox pii Sacerdotis ad aures moribundi apparenter omni vita destituti, infirmum determinavit ad aliquem motum vel motum manuum, vel levem capitis inclinationem, ex quo sufficientia signa dispositionis haberi potuerunt et absolutionem conferri ? Omnia exempla huius generis, quae scientia collegit, etsi hic et nunc absque perfecta physiologica explicatione evadant, satis ostendunt conscientiam in moribundis persistere posse, etsi corpus et organa adeo male se habeant, vel ita immutata sint, ut vix possibile putetur, illam subsistere adhuc posse.

---

[1] *Annales medico-psychologiques*, tom. II, 1850, pag. 531. — Vide etiam : Surbled, *La Morale*, etc. *La vie organique*, V edit., pag. 294 et ss.

664. Quoad persistentiam conscientiae, supra retulimus historiam cuiusdam, qui, etsi habitus ut mortuus, omnia percipiebat, quae circum ipsum agebantur et dicebantur, quae postea, ad plenam vitam restitutus, enarravit.

665. Alios duo casus, inter alios, referam, quorum primus enarratur a P. Feijoo, alter habetur in Casibus conscientiae Gury.

666. Primus casus relatus fuit a muliere quadam, qui ipsi acciderat iam a viginti quinque annis. Causa febris persistentis, qua laborabat cum adhuc esset iuvenis, cecidit in syncopem, et cum caruisset omnibus signis vitae, a duobus medicis curantibus habita fuit ut mortua, ac ideo derelicta. Cum res ita esset, circumstantes, coram putato cadavere, colloquebantur circa lotiones in eius corpore faciendas et vestimenta funebria, quibus indui oportebat. Ipsa mortua tamen omnia audiebat et intelligebat; at non poterat verba proferre nec aliquem motum aut signum facere ut ostenderet se adhuc vivere, etsi vehementer id optaret. Casu factum est, ut eius matertera, quam valde diligebat et a qua pari amore diligebatur, ad eam appropinquasset, et emittens suspiria, gemitus ac clamores et procumbens super eam osculans et amplectens strictissime, talem in eam impressionem fecit ut putata mortua clamorem illico emiserit. Quae, etsi nil aliud fecerit, tamen satis fuit, cur medici cucurbitulas applicarent in pluribus corporis partibus et alia media adhiberent, quibus ad vitam revocata fuit; postea vero, ad sanitatem perfecte restituta, plures annos adhuc vixit [1].

667. Alter casus evenit Theologo Marchant, qui ita de se enarrat: « Confirmor in hac ignotorum signorum declaratione, eo quod mihi semel, extremo periculo post Extremam Unctionem laboranti, et per omnia sensuum operatione destituto, contigit. Sensibus omnibus omnino destitutus eram, excepto auditu; ratione autem et iudicio firmo et recto utebar intus, ita ut, cum me deficere et ex medico foris loquente et ipsius naturae debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiae commendabam et pium aliquem affectum foris conabar praestare; quare mirum est, si forte gemitu aliquo vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illud non notarent, nisi forte ut erant signa naturae patientis. Ab illo tempore

[1] Apud Ferreres, *Op. cit.* pag. 18 (hisp. p. 15).

in animum induxi, quod, si quovis morbo aliquem catholicum sic oppressum reperirem, nec signum aliquod mihi intelligibile dari posset, nihilominus sub conditione absolverem, ex eo quod forte aliquod signum poenitentiae adest, etsi mihi incognitum [1].

668. Restitutio vero conscientiae quae pluribus in fine vitae accidit, est ne dicenda consequentia status physiologici hominis vel Dei particularis gratia et auxilium? In statu praesenti notionum de physiologia cerebri, adaequata responsio physiologica praeberi nequit, quia, etsi nunc temporis fere incredibiles sint scientiae progressus circa nervei systematis naturam et officium, de physiologia cerebri tamen multa adhuc desiderantur. Sed utrumque verum esse potest. Et re quidem vera, quis negare vellet particulare Dei auxilium speciatim tempore mortis, praesertim si infirmus christianis moribus semper vixerit? Quis etiam auderet limitem statuere divinae Misericordiae, cum sciamus Deum nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat?

669. Omnia haec dicenda putavimus, ne Sacerdos prope moribundum vocatus, existimet eius operam infructuosam evadere, etsi infirmus nullum det signum intelligentiae. In mentem revocetur auditum diu persistere et conscientiam adhuc perseverare posse, etsi corpus fere exanime appareat; nonnullas pias preces, motiva peccatorum doloris submissa voce ad eius aures proferat, et, si nequeat signum aliquod externum habere de positiva infirmi dispositione, sub conditione absolutionem conferat et praesertim extremam Unctionem, quia, donec aliquod vitae physicae vestigium adest, semper spes magna habetur, quod praefata Sacramenta non inaniter administrentur, et in illo vitae periculo melius est auxilio divino confidere quam naturae humanae viribus. Tamen, cum certum sit auditum diu persistere, valde utile ducimus, si Sacerdos, antequam absolutionem proferat aut extremam Unctionem administret, intelligibili voce dicat infirmo: « *Nunc absolvo* N. N.; *poeniteat te omnium peccatorum tuorum ob offensam Summi et optimi Dei, qui pro te mor-*

---

[1] Gury-Ferreres, *Casus coscientiae*, Barcinonae, 1903, vol. II. n. 487. — Plures alios casus similes videri possunt apud Feijoo, in epistola, cui titulus: « *Contra el abuso de acelerar más que convenien los entierros* » Edit. Rivadeneyra p. 577; P. Bucceroni similem casum de se refert in *Casus Coscientiae* etc. Romae 1904, Edit. V. vol. II, pag. 339.

tuus est, et ob poenas, quas contraxisti ob tua peccata», quia, si infirmus audit, ut communiter evenit ob diuturnam persistentiam auditus, possit corde elicere actum saltem attritionis et tutiorem reddere effectum Sacramenti [1].

---

[1] Iam perfecta erat compositio typographica huius partis, cum in lucem prodiit gallica lingua translatum opus P. Ferreres, cura doct. G. B. Geniesse, cum titulo: *La Mort réelle et la Mort apparente et leurs rapports avec l'administration de Sacraments etc. par le R. P. G. B.* Ferreres *S. I., trad. franç. sur la 3me edit. espagnole par le R. docteur* G. B. Geniesse *avec notes et appendices du même, Paris 1905.* Hoc opus uti est in hac editione, haberi potest ut perfecta tractatio huius argumenti; et, ratione praefata cum non potuerim proficere, valde commendamus omnibus Sacerdotibus, qui in illo *omnes* quaestiones invenient rite pectractatas, quae referuntur ad mortem realem et apparentem et ad Sacramentorum administrationem, et non parvi auxilii iis erit in adiuvandis moribundis.

APPENDIX

APPENDIX

DE RATIONE CONFICIENDI PROCESSUS IN CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII VEL DIREMPTIONIS MATRIMONII RATI ET NON CONSUMMATI

Cum nonnullae Curiae ecclesiasticae a me petierint, ut in hoc opere adderem quae necessaria sunt ad conficiendos processus in causis matrimonialibus iuxta dispositiones SS. Canonum et praescripta SS. RR. CC., libenter annuere censuimus; et in primis referimus authentica documenta, scilicet Const. Benedicti XIV « *Dei miseratione* », et instructiones S. C. C., et S. C. S. O., in quibus normae traduntur pro hisce causis conficiendis.

CONSTITUTIO QUA PRAESCRIBITUR *forma* ET *ordo* IN IUDICIIS CAUSARUM MATRIMONIALIUM SERVANDUS.

Benedictus episcopus servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae Legis servetur auctoritas.

§ 1. Siquidem Matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit; et quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacra-

mentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis curiis inconsulta nimis Iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Iudices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis Parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ 2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem ob nimiam Iudicum praecipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter feminarum, quae post primum, secundum et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus; quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§ 3. Verum nobis responsum est. id saepe contingere partim ex culpa illorum Iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram Iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest iudex, ad cuius Tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita ac invalida declarant; partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta. ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in Iudicium venientibus, alter, qui pro Matrimonio, alter vero, qui contra

agit, sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Iudicem appellationem interponat: vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum Matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quae pro validitate Matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a iudice sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et inceptum opus ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

§ 4. Quod autem ad iudices pertinet, quibus extra Romanam curiam, pro litigantium commodo, causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis die vigesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae nonnisi personis congrua iuris peritia, et necessario probitatis, spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus, quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt decani, archidiaconi et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini, et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de archidiaconis, decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant: ac idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus, ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis litteris praescriptum pro iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui capituli nominatus fuerit.

§ 5. Quod vero ad ordinem et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita, et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus ac iubemus, ut ab omnibus et singulis Locorum Ordinariis in suis respective Dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facul-

tate tamen eam suspendendi vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ 6. Ad Officium autem Defensoris Matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit in iudicium venire quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ 7. Et demum Defensoris huiusmodi persona, tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio, sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius Matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata, et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§ 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Iudice pro Matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a iudice secundae instantiae pro validitate Matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem contra Matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit qui pro Matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provocabit.

§ 9. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, et partium interposita, si ambo, vel unus ex coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoad-

usque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra *decem dies* non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes Matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra polygamos a Sacris canonibus et Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia ac potestate simili rursus statuimus, decernimus ac renovamus.

§ 10. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet iudicii actu defensore Matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur; et si Iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem iudex in secunda instantia erit iudex Commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal, et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius Dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ 11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars, vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei salva conscientia, defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a nobis in prima, et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudi-

ciali actu citato, et audito defensore Matrimonii, qui a iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§ 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur, sin minus a iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas, in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt iudices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius dioecesi iudex commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

§ 13. Hactenus quidem quoad causas Matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque Suburbiis, et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur citato et audito defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super Matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum defensor Matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore decano praefati tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

§ 14. Unica quidem resolutio pro nullitate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris Matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi

particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur: si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, et novum initum Matrimonium, Nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis, ut supra, statutis submittantur.

§ 15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censetur, ut Romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§ 16. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum et formis, ac cum quibusvis etiam deroga-

toriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in genere vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 17. Volumus autem, ut praesentes litterae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignatione Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem tertio nonas Novembris anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri anno secundo.

Instructio edita *a Sacra Congregatione Concilii* die 22 augusti 1840

pro confectione processus in causis matrimonialibus.

Cum moneat Glossa (*in cap. fin. De frig. et malef.*) in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (*de matrim.* lib. 7, disp. 107) et Card. Argenvilliers (*in dissert. matrimonii relat. inter vota Costantini* P. 3, vol. ult., n. 16) plura hinc a Sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, s. m. Bened. XIV (In Constit. *Dei miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poena nul-

litatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit, quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta SS. Canones, citatam s. m. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus: praesertim vero decreta et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a Sacro Conc. Trid. (*sess. 24, cap. 20, De ref.* § *ad haec*), ac etiam a s. m. Bened. XIV (in cit. Constit. *Dei miseratione*, § 4) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere *Nullius*, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate Matrimonii, Episcopus iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel iudex delegatus citari mandabit defensorem Matrimonii, quatenus in curia Episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quae superius memorata Constitut. s. m. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris Matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii *citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant*. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata cancellario seu notario, aperienda, illo postulante, ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam

sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus caeteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars, nullitatem matrimonii allegans, comparebit, ut supra dictum, coram iudice, adstante defensore Matrimonii et Cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario,

Interim, dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius excribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a iudice vel a defensore Matrimonii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore Matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine, Cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cru-|-cis; dein Iudex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore Matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis vel novis confectis prout defensor Matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus,* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. (in Cap. *Litterae Vestrae: De frig. et malef.*). Ut id facilius exequi iudex valeat, defensor Matrimonii citabit partem actri-

cem, ut indicet septem sibi sanguine, vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante defensore Matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui, ut supra dictum est, deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis, defensor Matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam defensor Matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam defensoris Matrimonii, erunt ab Episcopo illius Dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Denfensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata S. M. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim quando initum fuerit Matrimonium; utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint: quamdiu in eadem domo, vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim defensore Matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam defensori Matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium, et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, iudex eliget quinque peritos, tres scilicet Medicos et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut depu-

tatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis *honestis mediis* ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent iudex, defensor Matrimonii, cancellarius ac periti. Singuli ex peritis ac seorsim corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, *non tamen illicitis,* opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione, et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua, insanabilis, ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, defensor Matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, iudex, defensor validitatis Matrimonii et cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supradictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae; quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente Matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, defensor Matrimonii et cancellarius cum peritis, ut supra, ad domum matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis Matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis, quoad examen, iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Iudex pro sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore Matrimonii, et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur, nemini nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore Matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit defensori Matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et nunquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitut. sacpius citatam *Dei miseratione*.

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si haec Matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor Matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario.

Instructio congr. s. o. sequenda in conficiendo processu super viri impotentia et non secuta matrimonii consummatione, accedente pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum bullae bened. xiv « *Dei miseratione* ».

Iudex ad hoc deputatus prae oculis habeat quod examina, quaecumque illa erunt, fieri debent sub iuramenti fide, et cancellarius Curiae episcopalis, vel altera

persona deleganda, interrogationes, responsa, et quaelibet acta scripto tradet. facta prius adnotatione mensis, dici, anni, loci et personae iudicis, coram quo conficiuntur acta, necnon cuiuslibet testis examinandi.

Testes singillatim audiantur et in fine examinis se subscribant proprio nomine vel cum signo crucis, quatenus sint illiterati.

Primus ille coniux audiatur qui actor est in causa. Interrogationes judicis arbitrio, prudentiae et sagacitati relinquuntur; attamen pro eius commoditate sequentes traduntur, quibus aliae addantur, prout melius in Domino iudicaverit ad factorum veritatem magis magisque eruendam, nimirum:

A quanto tempore sese cognoverint sponsi ante matrimonium: an parentum consensu, sponte et mutua voluntate illud inierint: an in sequenti nocte in eadem domo, eodemque cubiculo et toro cubaverint officiisque coniugalibus ultro libenterque operam dederint: an matrimonium consummaverint; an ipse examinatus cognoscat vel suspicetur causas, propter quas consummare nequiverint, licet iteratis vicibus etiam in sequentibus noctibus ausi fuerint: an id contigerit ob nimiam angustiam cunni mulieris, vel ob immodicam sui penis crassitudinem, aut propter debilitatem, ita ut nulla vel parvi momenti esset erectio; an, quae, et quanto tempore adhibita fuerint medicamenta, et quinam fuerint effectus: quandiu simul vixerint et condormierint: quis primus alterum coniugem deseruit, et an etiam aliae causae accesserint; an et quibus parentibus, amicis, vel vicinis secreto manifestaverint quod matrimonium non fuerit consummatum, eosque singillatim nominet.

Haec vel similia etiam ab altero coniuge requirantur ut an inter se apprime convenient, dignoscatur.

Deinde testes, qui ab ipsis coniugibus fuerint recensiti, seorsim examini subiiciantur. Prius vero eorumdem parentes audiuntur, uti praesumptive magis informati; postea vero famuli et viciniores. Si quis illorum obierit, vel longinquas regiones petierit, in actis innuendum erit. Interrogationes autem sequentes proponuntur, sed immutandae pro rerum adiunctis.

An cognoscat coniuges, de quibus sermo: an sciat utrum libenter mutuoque affectu sese copulaverint, condormierint et matrimonium consummaverint: an sit instructus, quibus de causis consummare nequiverint: et an, et quid ad illas amovendas experti fuerint: utrum et quae conquestio inter ipsos extiterit: quaenam sit fama tam apud se, quam apud alios de hac praetensa non consummatione.

Singulorum testium absoluto examine, duo saltem ex celebrioribus civitatis physici medicinam et chirurgiam callentes seligantur, corpus viri inspecturi super eius potentia ad cöeundum cum muliere maxime virgine, nec ille physicus praetereundus qui forsan antea fuerit adhibitus ad viri incommoda medenda. Animadvertendum autem ut mediis utantur licitis et honestis, et perscrutandum praecipue, utrum illius virilia sint iuxta naturae leges accurate conformata: nimirum an penis natu-

ralem habeat dimensionem, promptamque erectionem ad coëundum necessario duraturam : an aliquo morbo fuerit affectus, a quanto tempore et cuiusnam characteris ; an fibrae compactae, et consistentes, seu potius flaccidae lassaeque sint ; an testes sani, naturalisque magnitudinis, et utrum aliquo vitio laboraverint, vel adhuc laborent ; quo in casu morbi characterem et causas investigabunt : an vetus vel recens, naturalis vel acquisitus, et an curabilis nec ne absque salutis periculo.

Quibus omnibus diligenter inspectis, singula iuramento scripto tradent et quid ipsi sentiant de viri impotentia an acquisita vel ingenita, absoluta vel relativa tantum, ingenue fateantur, nullaque relicta ambigendi ratione.

Corpus insuper mulieris, sed maxime illius genitalia membra a duabus saltem obstetricibus in arte et praxi peritioribus, ac bonis moribus imbutis inspiciantur, adhibito prius mulieris balneo, si necessario praemittendum physici et ipsae iudicaverint. Accurate observabunt signa integritatem mulieris constituentia, nimirum conformationem partium, iuncturam, duritiem, rugositatem et colorem : an hymen sit integrum, vel confractum in totum vel in parte : hoc in casu, an et qua naturali causa, seu potius e congressu extranei corporis contigerit ; an myrtiformes carunculae inveniantur, earumque magnitudinem, numerum et conformationem, aliaque signa ab arte tradita integritatem aut corruptionem mulieris constituentia sedulo inspiciant. Deinde unaquaeque seorsim singula quae repererint, sub sacramento iudici et a cancellario scripto fideliter tradenda distincte exponant, et quid ipsae sentiant de illius integritate declarent.

Earumdem depositiones praedictis physicis examinandae tradantur, ut decernant, num mulier adhuc integra habenda sit, atque matrimonium non consummatum iudicandum.

Verum si aliquod dubium adhuc explicandum supersit, opportunis ab ipsis physicis concinnatis interrogationibus, iterum obstetrices examinentur, et si nihilominus anceps peritorum iudicium permanserit, corpus mulieris ab ipsis inspiciatur, adstante vero matrona antiquae virtutis nullique exceptioni obnoxia, et ab Ordinario designanda. Expleta inspectione iudicium dabunt physici, singulasque proferent rationes, quibus ipsorum sententia innititur.

Praetereunda tandem non erit investigatio super qualitate testium, audito eorumdem parocho, vel alia proba et apprime instructa persona, utrum ipsi sint bonis moribus imbuti, ac plenam mereantur fidem illorum depositiones.

Omnibus superius recensitis diligenter ab Ordinario collectis, illa ad S. Congregationem mittere festinabit decretorio eius iudicio subiicienda.

INSTRUCTIO AD PATRIARCHAS, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS RITUUM ORIENTULIUM IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS ADHIBENDA, PROBATA IN CONGR. GENERALI EE. ET RR. PP. IN REBUS FIDEI INQUISITORUM GENERALIUM FERIA IV, DIE 20 IUNII 1883.

Quemadmodum matrimonii foedus tamquam officium naturae proli educandae, aliisque maximi momenti bonis consequendis perpetuam et individuam vitae consuetudinem inter coniuges exigit, et eo sanctius tamquam Ecclesiae sacramentum indissolubile sit oportet, aiente Domino: *quod Deus coniunxit, homo non separet;* ita non minus, quando cum aliquo ex impedimentis quae dirimentia nuncupantur, initum, atque idcirco verum matrimonium non fuerit, a legitima Ecclesiae potestate, ad quam causae matrimoniales unice spectant, irritum ac nullum ut iudicetur seu declaretur, ipsa sacramenti dignitas, ratio iustitiae, et animarum salus postulat.

Verum quanto studio quantaque solertia opus sit, ut in singulis casibus alicuius impedimenti dirimentis existentia solide comprobetur, experientia quotidiana testatur. Nam et nonnulla impedimenta sunt ipsa per sese probatu difficillima, et saepe contingit, ut facta ex quibus probationes erui debent, ita sint implexa, iisque circumstantiis involuta, ut difficillime eadem explicari, et de iisdem iudicium proferri queat. Hinc est, quod Sancta Sedes pro ea sollicitudine, qua tanti sacramenti dignitati, administrationi iustitiae, et animarum saluti cautum semper voluit, numquam omisit, editis opportune sive constitutionibus Apostolicis sive instructionibus, regulas praescribere, quarum ope, in casibus etiam difficilioribus, veritas tuto detegi, et iudicium recte ferri posset.

Experientia tamen compertum est, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos diversorum rituum orientalium ob speciales conditiones, in quibus eorum dioeceses versantur, non semper posse iisdem Apostolicis constitutionibus atque instructionibus quoad omnia sese conformare, nec proinde semper consequi plenam illam processuum et iudiciorum legalitatem, quae tantopere desideranda esset in huiusmodi causis definiendis.

Quare, ut quantum fieri potest, sacrorum canonum praescriptiones in re tanti momenti religiose serventur et simul consulatur specialibus conditionibus, in quibus versantur tribunalia ecclesiastica penes orientales, Summus Pontifex specialem instructionem pro praedictis tribunalibus iussit exarari, quae ab iis omnibus, ad quos spectat, accuratae executioni mandetur.

PARS I. — TITULUS PRIMUS

De accusatione matrimonii.

1. Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit ; quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo ; ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama, fundamentum veritatis praeseferens, de alicuius impedimentis existentia divulgata sit.

2. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto : si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

3. In ea, praeter accuratam facti expositionem enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia ; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

TITULUS SECUNDUS

De tribunali constituendo.

4. Accusatione sic recepta, munus moderatoris actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum Vicarium Generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui, cancellarii officio fungens, quidquid ad causam pertinet, in acta referat ; ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.

5. Praeterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum, quatenus haberi possit, iuris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii defensor existat. Eum vero suspendere vel removere, si iusta causa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

6. Praedictae deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent.

7. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare, ut in iudicium compareant ; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis

qui ius habent, petantur ; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.

8. Defensor matrimonii, antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore iuramentum praestabit tactis sanctis Evangeliis de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferri iudicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant ; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

9. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu, eadem ipsi tradantur, ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendae matrimonii validitati necessarias iudicaverit ; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt ; si ex iam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subiiciendas proponet.

TITULUS TERTIUS

De methodo sequenda in actis conficiendis.

10. Constituto tribunali, haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia iuramentum exiget de veritate dicenda, et, si ita res postulet, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de iuramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari. Iuramentum praestandum erit tactis sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.

11. Qui examini subiiciendi sunt, seorsum semper audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cuiuslibet examinis, nec non singulorum nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum, et patriam, et etiam quod iuramentum revera praestiterint.

12. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subiicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi, aut declarandi quidquid ei visum fuerit : deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illitteratus, faciet hoc signum Cru ✝ cis, ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

13. Si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quorum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit

facienda, quae, concinnatis opportunis interrogationibus, de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum Vicarium Generalem, sive per alium virum probum et expertum, e clero eligendum, eos examini subiiciat iuxta datas interrogationes, requisito prius iuramento de veritate dicenda, et caeteris servatis, quae supra praescripta sunt.

Si vero contingerit aliquem examini subiiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

14. Quoad singulos in iudicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis litterae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erunt referendae.

15. Inter examinandos primo loco venit ille, qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum ; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat ; circumstantias omnes et indicia exponat, quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit ; et denique nominet testes, quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit.

16. Secundo loco veniunt coniuges ipsi, qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua iura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut reiicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subiecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus ; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Iuxta casuum diversitatem a coniugibus inquirendum erit, ut si quae documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad coniugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cuiuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda ; et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius, a quo exhibita fuerunt.

17. Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant, utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem obiiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

18. Post coniuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas

requirere videatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur, qui illas concinnare, augere, aut imminuere poterunt, dummodo tamen semper ea omnia inquirantur, quae ad rectum proferendum iudicium aut necessaria aut opportuna censeantur.

19. Quae in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

20. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto, ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

21. Publicato processu, locus fiet defensionibus, quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores, quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure, ut lata sententia, iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat.

TITULUS QUARTUS

De sententiae prolatione ac publicatione.

22. Omnibus, ut supra, peractis, ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu eius delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et, nonnisi audito eorum voto, sententia proferatur.

Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succinte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione iudicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem, relicto iisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda.

23. Iudex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex coniugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et causa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis coniuges iudicio praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali postulare; quam appellationem primus iudex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus nuptias inire.

Quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen, ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de iure appellatio esset facienda.

24. Inspecta speciali conditione diocceseum orientalium, ordo appellationis erit, prout sequitur. Si prima sententia a curia episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam patriarchalem ; si vero a curia patriarchali ea prodierit, appellabitur ad S. Sedem. Item ad eamdem S. Sedem appellatio erit facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit causam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.

TITULUS QUINTUS

De secunda instantia.

25. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius, qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro processu, caeterisque omnibus ad causam iterum iudicandam pertinentibus ad tribunal, ad quod appellatum est.

26. Hoc autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget, quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, coniuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novas informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validae desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu iam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus, quas necessarias iudicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adiungenda, vel novi aliquid investigandum censuerit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit, proprias animadversiones illis opponere valeat.

27. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, iudex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus se nil amplius habere dixerit, auditis prius modo, quo supra declaratum est, aliquibus viris in scientia iuris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando, quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

28. Quando utraque sententia conformis pro validitate coniugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam ; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei, salva conscientia, acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste iniusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remanent utrique coniugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

PARS ALTERA. — TITULUS SEXTUS

De regulis servandis tractandis causis matrimonialibus in specie.

Praeter hactenus recensitas regulas in omnibus causis matrimonialibus generatim servandas, ut iuridica illis stet validitas, quaedam etiam speciales prae oculis habendae sunt iuxta peculiarem impedimentorum naturam et indolem, quae iudicio occasionem praebuerunt. Quare de his singulis, saltem quae frequentius occurrere solent, aliqua speciatim animadvertenda sunt. . . . . .

. . . . . .

ARTICULUS QUINTUS

De impedimento impotentiae.

45. Ad impugnandum ex capite impotentiae matrimonium solummodo coniuges admittuntur, quia ipsis solummodo hoc factum cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solliciti esse debent. Ut autem impotentia matrimonium contractum irritet, necesse est, ut sit antecedens atque perpetua, quae scilicet naturalibus atque licitis remediis tolli non possit. Ista impotentia si fuerit absoluta, seu talis ut omnino impossibilem reddat coniugalem copulam, matrimonium dirimit semper, et cum qualibet persona contractum ; si vera relativa tantum, matrimonium dirimit solummodo cum illa, ad quam impotentia ipsa refertur. Ita igitur in causis huius generis investigationes erunt dirigendae, ut tandem deveniatur ad adstruendam

vel excludendam assertam impotentiam antecedentem et perpetuam, sive absolutam sive saltem relativam.

46. Hunc in finem in primis audiendi erunt coniuges ipsi, prius ille, qui in causa actor fuerit. Isti erunt opportune interrogandi, a quo tempore sese cognoverint: an parentum consensu, sponte, et mutua voluntate matrimonium inierint, an eodem cubiculo et thoro usi fuerint, officiisque coniugalibus ultro libenterque operam dederint; an matrimonium consummaverint; an ipse examinatus cognoscat, vel suspicetur causas, propter quas consummare nequiverit, licet iteratis vicibus id conatus fuerit: an id contigerit ob causam vel defectum physicum ex parte mulieris, an vero ex parte viri; an, quae, et quanto tempore adhibita fuerint medicamenta, vel alia remedia, et quinam fuerint eorum effectus; quanto tempore simul convixerint, et condormierint, quis primus alterum coniugem deseruerit, quaenam aliae causae accesserint ad separationem producendam; an et quibus parentibus, amicis, vel propinquis manifestaverint matrimonium consummatum non fuisse, eosque singillatim nominent. Quatenus ambo coniuges in responsionibus conveniant, attente consideretur, utrum suspicio adsit alicuius collusionis, et tunc omnia et singula iisdem obiiciantur, ut fraus, si adsit, detegatur.

47. Partibus ipsis auditis, examini subiiciantur testes inducti ab iisdem coniugibus, ac primo eorum parentes, quia melius informati praesumuntur, postea vero propinqui, famuli, amici, vicini, et quotquot de re instructi reputantur. Si quis ex testibus mortuus fuerit, fides mortis requiratur, inter acta recensenda; si vero alio abierit, curetur ut per Ordinarium loci, ubi commoratur, examinetur. Interrogandi autem erunt testes praesertim: an cognoscant coniuges, de quibus est sermo; an sciant, utrum libenter mutuoque affectu sese copulaverint, condormierint, matrimonium consummaverint; an ad causas illas admovendas aliquid, et quid experti fuerint; utrum, et cuius generis conquestus inter eos exorti, et quaenam eorum causa: unde sciverint quae deponunt; et si ab extraneis ea compererint, quomodo vocentur, et ubinam commorentur. Interrogandi quoque de fama tam apud ipsos quam apud alios circa assertam non consummationem, et impotentiam.

Si partes ipsae aut testes deposuerint, pharmaca vel remedia adhibita fuisse, inquiratur de medico vel medicis, qui illa praescripserunt, in iudicium vocentur, et interrogentur de natura et qualitate morbi, quo coniuges laborare compererint, de symptomatibus, ex quibus ipsi naturam morbi deduxerint; de physica constitutione illius, cui assistentiam praebuerunt; de natura medicamentorum adhibitorum, nec non de effectu ab iisdem producto. Similiter interrogentur, utrum qui curae medicae subiectus fuit, vel aliquis alius ipsi manifestaverit, matrimonium aut non consummatum fuisse, aut non potuisse consummari; quid ipsi sentiant de tali asserta non consummatione, quid alii.

Singulorum testium expleto examine, duo saltem ex celebrioribus medicinae et

chirurgiae peritis seligantur, qui corpus viri inspiciant, si de ipsius impotentia agitur, et iuxta probata suae artis praecepta examinent utrum ad coëundum potens sit. Antequam opus sibi commissum implere incipiant, iuramentum praestent de munere adimplendo cum omni diligentia et de iudicio proferendo absque ullo partium studio. Quidquid ex facta inspectione detexerint, scripto narrabunt, et ingenue dicent, quid ipsi sentiant de illius viri impotentia; utrum eam putent acquisitam, an ingenitam; absolutam, an relativam. Haec scripta ab ipsis iuramento firmata cancellario tradentur, ut inter acta recenseantur.

49. Similiter duae eligantur obstetrices in arte et praxi peritiores ac bonae famae, quibus post emissum iuramentum de munere fideliter adimplendo, committetur inspectio corporis mulieris. Istae obstetrices a duobus saltem peritis, uno medico, altero chirurgo, erunt instruendae de recognoscendo statu physico mulieris, prout medicinae legalis praecepta ferunt. Deinde unaquaeque earum seorsum, quae repererit sub iuramenti fide in scriptis aut saltem oretenus apud tribunal exponet, et quid ipsa sentiat de talis mulieris integritate, et de eius aptitudine ad actus coniugales, si haec impugnata sit, declaret aperte. Hae relationes medicorum iudicio subiiciantur, qui sua vice referant, utrum inspectio regulariter sit facta; utrum ex ipsa habeantur sufficientia elementa ad iudicium proferendum de conditione talis mulieris; et utrum ex illis deduci possit pro diversa dubiorum ratione eiusdem vel integritas vel etiam impotentia.

Quod si in aliquibus locis obstetrices peritae non habeantur, et inspectio corporis mulieris omnino necessaria iudicetur, haec medicis peritis et honestate atque aetate gravibus committatur, sicut iisdem esset committenda, si observationes ab obstetricibus factae concludentes non reperirentur. In his autem casibus matrona honesta iureiurando ad secretum obligata, ipsi inspectioni semper assistat.

Facile porro patet, quam sancte in omnibus huiusmodi inspectionibus cavendum sit, ne quidquam agatur, quod divinae legi et castitatis virtuti adversetur.

Quod si ob singulares locorum circumstantias impossibile aut valde difficile aliquando fuerit ut duo medici periti, et duae obstetrices item peritae reperiantur, tolerari poterit, ut unus tantum medicus et una obstetrix adhibeantur. Curandum tamen in hoc casu, ut relationes utriusque examinandae subiiciantur duobus aliis medica et chirurgica scientia doctis ibidem vel alibi commorantibus, ut fide iurata iudicium suum super eas proferant, num scilicet iisdem sit fidendum, et num ipsae exhibeant motiva, quae sententiae ferendae solido fundamento sint.

Haec mulieris inspectio omittenda erit, si ea vidua sit, aut constiterit, post separationem a coniuge, cum quo lis est, aut etiam ante, cum alio viro commercium habuisse.

Medici et obstetrices, quantum fieri poterit, inter catholicos eligantur; si vero ex his haberi nequeant, tolerari poterit, ut acatholici adhibeantur, dummodo tamen

aliunde constet, eos esse probos et honestos, neque a spiritu catholicae religioni infenso duci.

50. His omnibus accurate peractis, si omnia ad assertam impotentiam probandam conspiraverint, Ordinarius pro matrimonii nullitate iudicabit; sin adhuc dubium aliquod supererit, a sententia proferenda abstinebit, et novas ulterioresque investigationes instituendas praecipiet; quas si inire impossibile fuerit, aut si, his non obstantibus, dubium semper remanserit, aut si de matrimonio non consummato dumtaxat, minime vero de alterutrius impotentia constiterit, nec coniuges reconciliari queant, integra causa ad S. Sedem transmittatur, cuius erit opportune providere.

N.B. — Praemissa documenta clare docent quid oportet fieri et quomodo conficiendi et perficiendi sint processus in causis matrimonialibus. At nonnulla maximi momenti addere utile erit, scilicet:

a) Morte ordinarii delegantis, cessat officium et potestas iudicis, defensoris vinculi et Cancellarii delegati, si res sit adhuc integra; non cessat vero, si vix incaeptum sit iudicium, saltem scilicet si coniux valide fuerit citatus (c. 20 et 30, l. 1, Decr. tit. 29, *De offic. et potest. iudicis delegat.*).

b) Testes debent esse, quantum fieri potest, digniores; ac ideo testes apti non sunt ratione destituti, impuberes, infideles, iudaei, heretici et excommunicati non tolerati, infames infamia iuris (saltem iure canon.) et pretio corrupti (l. 3, § 5 ff. *De testib.*, c. 1 et 54; l. 2, Decret. tit. 20 De testibus et attestationibus et c. 8, l. 5, Decret. tit. 39 De Sent. excommunic.). Si vero desunt testes probatae dignitatis, fidei, morum et gravitatis, ita ut veritas inquisitionis probari non possit, tunc adhibentur testes infideles, heretici, excommunicati, infames et impuberes (nempe masculi, qui decimum quartum aet. an. et feminae, quae decimum secundum aet. an. nondum expleverunt, uterque rationis compos et capaces intelligendi de qua re agitur). Tamen ex eorum depositione, iudex, pro sua prudentia, non tenetur habere plenam probationem, sed indicia, praesumptiones et coniecturas (Reiffenstuel, l. 2. Decret., tit. 20; S. Rota in par. 3 Recent. decis. 200, n. 2 et ss., et in par. 4. tom. I, decis. 84, n. 11).

c) Testis interrogari potest domi suae, si id postulat eius dignitas, vel impediatur ad iudicium intervenire (l. 2, Decret., tit. 20, De testib. et attestationib. c. 8, *Si qui testium*).

d) Si coniux recusat se subiicere inspectioni medicae, oportet ut ei aliud tempus iterum constituatur (S. C. C. in Neapolitana *Matrimonii* 26 Sept. 1857 et 27 Martii 1858).

Ut vero expeditius in Curiis confici huiusmodi processus possint et serventur omnia in SS. Can. et praefatis documentis praescripta, sequentes ecclesiasticos processus referimus, qui inservient tamquam *specimina* pro instruendis aliis causis. In his processibus, nomina actorum et loca mutata sunt, ne publice innotescant, ob rationes, quae facile intelliguntur [1].

---

[1] Pro pleniore notitia huiusmodi processuum cfr. canonistas et praesertim LEGA, *Praelectiones in textum iur. canon. De iudiciis ecclesiasticis.* Romae 1892, lib. II, vol. IV, MANSELLA, *De impedimentis matrim. dirimentibus ac de Processu iudiciali.* Romae 1881, et *Cours complet de droit canonique* etc. publ. sous la direction de l'Abbé DUBALLET ; tome XII, *Procédure matrimoniale générale,* par BASSIBEY, Paris 1899 ; PIERANTONELLI P., *Ordo iudiciarius in praxim traductus matrimonialium causar. specimi-nibus* etc. Romae 1906 ; in quo opere Auctor tuetur sententiam validitatis matrimonii mulieris castratae et fere nihili facit rationes, quas in ceteri meis operibus contra exposui ; quod innuere videtur haec opera saltem non cognoscere aut non legisse. Confirmor in hac opinione ex eo, quod tradit pag. 31 et 80 (n. e.), scilicet in meo opusculo : *De Conceptu impotent. et sterilitatis,* me docere (n. 8) coniuges fieri unam carnem tunc tantum cum ex eorum copula enata sit proles. Quod significat Auctorem vel egisse mala fide (quod tamen credere recuso) vel processisse saltem satis leviter in hac quaestione ; nam si sequens num. 9 cit. opusc. legisset, facile ei fuisset videre me tradere *fieri unam carnem* locum habere *etiam* cum copula habita fuerit satis ad generationem, etsi haec abfuisset. Ceterum non idem trado in ceteris omnibus meis operibus uti omnes tradunt theologi et canonistae ? — Dein noto physiologiam Pierantonelli esse fere in omnibus *adhuc* physiologiam Pauli Zacchiae (an. 1626) ! Oportet recordari scientias observationis, uti sunt anatomia et physiologia, continuo progredi et nostra aetate innumeros et maximi momenti fecisse progressus, qui ignorari nequeunt in hisce quaestionibus matrimonialibus.

SPECIMEN I.

Argumentum. — Iulia Sanni matrimonium inivit cum Dominico Sassi; frequentes viri conatus ad copulam, quam perficere nequibat, induxerunt abominationem magnam mulieris et damnum eius sanitati; processu temporis Sassi coepit ebrietati indulgere et aliis vitiis et extra domum commorari; qua re mulier liberata fuit a perficienda copula. Hinc Iulia causam intentavit apud tribunal ecclesiasticum ob nullitatem matrimonii, causa impotentiae viri. Episcopale iudicium, post examen processus instituti, ob divergentiam opinionum medicorum statuit *non constare de nullitate matrimonii.* Iulia, post haec, supplicationes porrexit Summo Pontifici, pro *dispensatione in matrimonio rato et non consummato.* S. C. Conc. totam causam transmisit ad advocatum Actricis, qui optimum duxit divergentes relationes medicorum subiicere examini duorum peritorum Urbis, quorum alter asseruit Iuliam esse adhuc virginem, alter vero de virginitate valde dubitavit; qua re alia mulieris inspexio fuisset necessaria; quae cum fieri non posset, causa derelicta fuit.

Illmo Iudicio Episcop. . . . . (ponatur nomen Dioecesis).

Num. 1. Actrix Iulia Sanni ab Episcop. Curia petit, ut suum matrimonium ex impotentia viri, praevio canonico processu, nullum declaretur.

Die 20 Iulii 1880 matrimonium cum Dominico Sassi contraxi, et in Ecclesia parochiali S. Alphonsi (*Civit.*....) benedictum fuit.

Brevi tempore maritus conabatur perficere copulam carnalem, quam spatio aliquot mensium iterabat quamvis raro. Fere semper dicebat: « Cuiusnam generis tu femina es? ». Quibus verbis declarare volebat, se copulam perficere ob impedimentum mea ex parte non posse. Frequentes conatus sanitati meae nocebant, indeque magnam abominationem praeconcepi. Decursu temporis maritus meus ebrietati et aliis vitiis indulgere coepit et extra domum commorari, qua de causa a vanis conatibus perficiendi copulam liberata sum.

Puto, me sanam omnino regulariter compositam et nulli vitio organico obnoxiam esse. Persuasum mihi est, copulam carnalem non esse perfectam ex culpa mariti et me in statu virginitatis adhuc permanere.

Ob impedimentum impotentiae itaque ex parte mariti honori mihi duco Illmum Iudicium Episcopale enixe rogare, ut matrimonium meum cum Dominico Sassi nullum ac invalidum decernere velit. Hic addo, mihi decreto Iudicii Episcop. dici 2 aprilis anni 1894 separationem quoad mensam et thorum cum dicto marito ex culpa ipsius concessam esse.

Iulia Sanni.

Num. 2. Episcopus actricis preces excipit, Iudicem Delegatum designat matrimonii Defensorem iuramentum praestare et coniuges prae primis excutiendos decernit.

Iudicium Episcopale (*nomen Dioecesis*) precibus actricis annuendo, instantiam eius ad dispositionem iudicialem recipit, a Defensore vinculi matrim. iuramentum praestari mandat, utrumque coniugem die . . . Ianuarii anni . . . . protocollariter sub iuramenti fide examinari decernit, ad quam rem, perinde atque ad universum processum ulterius secundum speciales hac in re ferendas decisiones canonice gerendum Illmum Crispinum Cassetta iudicem delegatum, Canonicum Cathedralis Ecclesiae deputat.

(*Nomen dioecesis*) die 11 Novembris anni 1899. Episcop. N. N. — Notarius Iudicii, Ioannes Zeri.

Sessio I.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 3. Actrix ingenue ac dilucide fatetur, matrimonium ex impotentia viri nunquam consummari potuisse.

Actum est (*nomen Dioecesis*) in Cancellaria Iudicii Episcop. die 20 Januarii 1900.

Praesentes: Iudex Delegatus Crispinus Cassetta Canonicus, Defensor Sacram. Matrim. Aloisius Marchetti. — Substitutus Notarii, Franciscus Zani.

In causa nullitatis matrimonii Dominici Sassi cum Maria Sanni hodie, in termino a Iudice Delegato assignato ad protocollarem indagationem eorumdem coniugum, comparuit personaliter actrix Maria Sanni et imprimis monita de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus, praestitit iuramentum de veritate dicenda. Deinde Vindex Sacram. Matrim. porrexit Iudici obsigillata interrogatoria, quibus apertis, coepta est protocollaris indagatio ut sequitur.

1. Quando, ubi et cui nupsisti?

R. Maritum meum Dominicum Sassi ab aliquot mensibus ante celebrationem matrimonii cognovi, matrimonium vero nostrum benedictum est die 20 mensis Iulii an. 1880 in Ecclesia S. Alphonsi.....

2. Ante nuptias demonstrabatur maritus tuus aliqua signa amoris erga te? Quosnam observasti eo tempore in eo motus animi?

R. Maritus meus contracturus nuptias amore et benevolentia me prosequebatur.

3. Ante matrimonium quid de adversa valetudine mariti? Quam famam apud concives habebat?

R. Ante celebrationem matrimonii varii rumores perveniebant ad me et etiam epistolae anonymae de inhonestate morum mariti ; cum viderem eius amorem erga me, illis non credebam; pariter de aliquo morbo mariti nil prius novi.

4. Expletis nuptiis, quo profecti estis ? Quandonam ad debitum coniugale explendum vir accessit ?

R. Statim post benedictionem matrimonii in commune habitaculum, a patre meo praeparatum, pervenimus ; eadem nocte maritus cognoscere me studuit.

5. Penis mariti eratne in statu erecto ? Introduxitne vir membrum suum in vas tuum ? Ubinam effusum est semen ?

R. Persuasum mihi est, conatus mariti mei perficere copulam frustraneos esse. Quo in statu fuerit membrum mariti non reminiscor; pariter non sensi neque vidi semen ; membrum vero induxit in muliebria, at nil molesti eo tempore sensi. Maritus meus erat irritatus et motus; dicebat organa mea genitalia alio modo esse composita, quam ceterarum feminarum respectu mei; ille videtur impotens esse.

6. Quoties repetebantur conatus perficiendi copulam perfectam ? Eratne eventus bonus ? Perforavitne vir erecto membro virili vaginam tuam, intusque uteri tui semen est effusum ? Expleta estne saltem semel copula perfecta ?

R. Quoties vir meus conatus fuit adimplere copulam, memoria non teneo ; sed conatus rari erant, saltem semel in mense. Omne studium perficiendi coitum frustraneum erat et ego nullum dolorem in partibus genitalibus experta sum. Vir meus adimplere copulam cum quadam etiam vi satagebat et membrum virile videtur mihi esse in statu erecto aliquoties ; sed brevi tempore omnis vis eius diminuebatur. Certa sum, maritum meum nunquam membrum suum introduxisse in vaginam meam et fuisse tantum contactum membrorum utriusque partis, nunquam enim praesentiam hastae sentiebam neque ullum dolorem experta sum.

7. Erantne tempore conatus coëundi subrisiones ocellis excitantes ?

R. Ante coitum fere semper maritus osculabatur, emolliebat, amplectabatur me, quae omnia vehementer me excitabant. Ordinarie maritus ebrius debitum coniugale petere solebat.

8. Erantne tibi cum marito dissidiae hanc ob causam ? An conquerebaris de tua sorte alicui ?

R. Aliquoties hac de causa manifestavi marito eius imbecillitatem. sed nemini de his aliquid dixi.

9. An post nuptias vir tuus utebatur medicamentis? Quorumnam medicorum consilium petiit? Quaenam medicamenta adhibebat?

R. Maritus meus utebatur consilio medicorum Galassi et Volpi; portabat suspensorium et vascula cum medicinis. Eventum huius curationis non novi; attamen, etiam post illam, copulam perfectam non peregit.

10. An forte resistebas tempore coëundi?

R. Nullam resistentiam marito tempore perficiendi copulam praestabam; attamen conatus omnes frustranei evadebant.

11. Dolorisne sensum tunc es experta?

R. Nunquam aliquem dolorem tempore coëundi maritaliter patiebar.

12. Erantne vestigia aliqua sanguinis?

R. Nulla vestigia sanguinis vel maculas in toro observabam.

13. Putasne te virginem esse intactam? An periculo ocularis inspectionis te subieris?

R. Aliquot mensibus ante obstetrix revisionem mei corporis perfecit et absolute affirmavit me esse in statu virginitatis.

14. An testes septimae manus Iudicio praestabis?

R. Testes septimae manus suo tempore praestabo.

15. Confessioni tuae habesne quid addere?

S. Nil his addere habeo. Hanc declarationem, alta voce mihi perlectam, accipio atque huic subscribo. — Maria Sanni.

Hic actrix iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — Crispinus Cassetta. — Fr. Zani. — His protocollon clausum et subscriptum est. — Die ut supra.

C. Cassetta; — A Marchetti; — Franciscus Zani.

Sessio altera.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 4. Vir documentum de peracta sacramentali confessione minime exhibet, iura-

Actum est . . . . . in Curia Episcopali, die 10 Martii 1900.

Praesentes: Iudex Delegatus Cr. Cassetta Can. Eccl. Cath. — Defensor Sacram. Matrim. Aloysius Marchetti; — Substitutus Notarii, Franciscus Zani.

In causa de nullitate matrimonii Dominici Sassi et Iuliae Sanni comparuit hodie coram Iudice Delegato in ius vocatus maritus, qui cum de peracta confessione Sacramentali non exhibuisset testimonium, Matrim. Defensor ad hunc morem laudabilissimum in Iudicio vigentem servandum dilationem termini, quoad confessionem peragendam postulavit. Iudex Delegatus attento, quod in ius vocatus poterit Iudicium declinare et tali facto protocollaris depositio mariti causae deerit pro informatione in ius vocatum sine iuramento examinari decrevit.

mentum de veritate dicenda non praestat; mendaciter asserit, se matrimonium consummasse et declarat, se testes producere non posse.

1. Quandonam, ubi et quacum persona matrimonium contraxisti?

R. Die 20 Iulii 1880 in matrimonium duxi Iuliam Sanni.

2. Quamdiu visitabas domum sponsae ante nuptias? Quam frequenter eo tempore eam videbas? An signa amoris ei ostendebas? Quomodo illa se gerebat erga te?

R. Fere spatio unius anni cogitabam in matrimonium ducere uxorem praesentem meam; eo tempore saepissime eam videbam. — Ad omnes meas blanditias et signa uxor mea mutuo amore me eo tempore prosequebatur.

3. An ante matrimonium sana valetudine fruebaris? Utebarisne medicina in aliquo morbo membri? ex ordinatione cuiusnam medici?

R. Ante nuptias omnino sanus eram et syphili morbo non laboravi; in adolescentia aegrotus eram et curabat me iam defunctus medicus Petrini.

4. Post nuptias, quo profecti estis? — Quando debitum coniugale reddere volebas? Quocum eventu? An coniux tua non impediebat perfectam copulam? An ex tua parte erat erectio penis, perforatio vaginae, eiaculatio seminis in vagina?

R. Post nuptias ad commune nostrum habitaculum profecti sumus et prima nocte commercium carnale cum uxore habui; videtur mihi, copulam fuisse perfectam; coniux nullum obstaculum ponebat; ex parte ad fuit erectio penis, eiaculatio seminis in vagina, quamvis in lecto nullum vestigium et maculas sanguinis aspexerim.

5. Quam frequentes copulae erant? — Quale habitaculum habebatis?

R. Post nuptias spatio unius anni commercia carnalia quotidie locum habebant; postea semel in hebdomada; habitaculum nostrum constabat tribus conclavibus, sed dormitorium commune nobis erat.

6. An uxor semper libenter debitum coniugale reddere satagebat? Semperne erat sufficiens erectio membri tui? Ubi eiaculatio seminis

erat? An perforasti intus membro tuo organa genitalia uxoris tuae? An antecedebant copulam aliquae commotiones sensuales?

R. Uxor mea semper libenter debitum coniugale reddebat; aliquando accidere poterat, quod membrum meum non satis erectum esset, praesertim si aliquantulum ebrius eram et tunc iaculatio seminis esse poterat extra vas. Exceptis his casibus, semper perforabam membro organa uxoris. Saepe saepius oscula et amplexus antecedebant copulam nostram.

7. Quodnam impedimentum fuisset quominus copula perficeretur?

R. Semper copulam perfectam adimplebam; casus raros ineffi-caces in praecedenti responso explicavi.

8. An uxor tua tempore copulae doloris sensum est experta? Erantne in lecto vestigia sanguinis post primum commercium carnale?

R. Non semel coniux mea tempore copulae sentiebat in organis genitalibus dolorem, de quo conquerebat. Superius iam dixi maculas sanguinis in lecto post primum coitum abesse. Nonnunquam menstrua apud uxorem meam vitiosa erant, sed tractu temporis absque ulla medicina ordinaria evadebant. Elapso anno post nuptias, uxor mea per duas hebdomadas incurrerat febrim typhoidalem. Eodem anno uxor mea cepit habere morbum in utero; sed cuiusnam generis esset ille morbus, non novi. Eo tempore a coniuge debitum coniugale non postulavi.

9. An fortasse una vice saltem copulam perfectam explevisti?

R. Ad quaestionem hanc responsum iam dedi superius.

10. Utebarisne post nuptias medicina ad curandam impotentiam? Erantne tibi cum uxore dissidiae hanc ob causam? An de his es coram aliquo conquestus? An ad tollenda obstacula perficiendae copulae consilium medicorum adhibuisti? Quonam effectu?

R. Elapsis quatuor vel quinque annis post matrimonium contractum, minus capax ad perficiendam copulam carnalem factus sum; attamen consilium medicorum non adhibui, quia persuasum mihi erat, medicinam imbecillem in casu esse. De tali statu nemini vel verbum unum dixi.

11. An periculo ocularis inspectionis te subieris? Testesque septimae manus Iudicio praestabis?

R. Inspectioni iudiciali tempore assignato me tradam; sed testes praestare non possum; ideoque Iudicium rogo, ut ab his me dispensare dignetur.

12. Confessioni tuae quid addere velis?

R. Hic addo, ob defectum prolis inter me et uxorem dissidia varia esse; exprobravi coniugi meae, eam habere alio modo composita organa genitalia quam aliae feminae. E contra uxor omnem hac in re impotentiam mihi tribuebat. Apud medicos Callini et Animili nunquam eram petendi consilii causa. Intra quoddam tempus suspensorium portabam; in membri inflammatione consilium medici Fabiani et pharmacopolarum adhibebam et intus medicamenta inspergebam. — Hac in causa nihil amplius declarare habeo. — Praefatam depositionem, alta voce mihi perlectam, meam esse agnosco et illi subscribo.

Dominicus Sassi.

His protocollon clausum et subscriptum est.

Die ut supra.

Crispinus Cassetta. — A. Marchetti. — Franciscus Zani.

Num. 5.
Testes septimae manus utriusque coniugis Iudici proponuntur.

Iulia Sanni petit, ut elenchus testium septimae manus *utriusque coniugum* approbetur.

1° Augustus Sanni, pater meus, 70 annor.; novit a 10 annis Sassi; habitat via N. n. 70.

2° et 3° Henricus et Anna Sanni, — Ilarini coniuges, 25 et 30 annorum, platea Magna, n. 3.

4° Eduardus Marini, 40 annor., a pueritia mihi notus, qui maritum conventum a 15 annis novit, via Latina N. 70.

5° Anna Villa 50 annor., quae me a pueritia, maritum vero a 15 annis novit, platea Maiore n. 5.

6° Augusta Lancisini 60 annor., matertera mea, cui Sassi a 10 annis notus est, via Azeglio n. 5.

7° Theodorus Marchini, consanguineus meus, 25 annorum, qui me a pueritia, maritum meum vero a 10 ann. novit; platea Lata n. 50.

Omnes catholicae fidei cultores in dioecesi habitantes.

Iulia Sanni.

Die 12 Martii 1900.

Num. 6.
Iudex diem designat ad aestimandam idoneitatem horum testium utriusque coniugum.

Iudicium Episcop. . . . (*nomen dioeces.*) terminum ad inducendos testes septimae manus, fidem dictorum actricis Iuliae Sanni in causa nullitatis matrimonii firmaturos, *aestimandamque idoneitatem eorum* in diem 15-27 mensis et anni curr. assignat, ad quem partem adversam et Vindicem Sacram. Matrim. citari mandat.

. . . . , die 12 Ianuarii 1900.

N. Episcopus — Notarius Iudicii, Ioannes Zeri.

Num. 7.
Memoratos testes, uti apprime idoneos fideque dignissimos Iudex ad deponendum admittit.

Iudicium Episcop. (. . . .) ad preces Actricis, quae exhibuit documenta idoneitatis 1° pro Augusto Sanni — 2° Theodoro Marchini — 3° Eduardo Marini — 4° et 5° Henrico et Anna Ilarini — 6° Augusta Lancisini — 7° Anna Villa, *testimonium in favorem utriusque coniugis Sassi laturis* petivitque, ut testes hi ad deponendum admitterentur, quum nec in ius vocatus maritus, nec Vindex Sacram. matrim. eiusmodi petitioni quidquam se opponere velle declarassent, testes vero supra recensiti, *ut ex productis documentis apparet, dotibus ad testificandum requisitis sint praediti,* eosdem, in vim praeceptorum Iuris, ratos habet, ut fide dignos acceptat ac protocollariter, sub iuramenti fide, diebus 7 et 26 Aprilis anni curr. examinari statuit.

. . . . , die 27 Martii 1900 Episcopus ✝ N. N. — Notarius Iudicii, Joannes Zeri.

Sessio Tertia.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 8.
Aliqui ex memoratis testibus utriusque coniugum iuramentum praestant, dein autem executitur Eduardus Marini, qui actricem uti probam et piam valde commendat, fideque dignissi-

Actum est . . . . , in Cancellaria Iudicii Episcopalis, die 7 mensis Aprilis. — Praesentes: Iudex Delegatus Crispinus Cassetta — Defensor Matrim. Aloisius Marchetti — Substitutus Notarii Franc. Zani.

In causa nullitatis matrimonii Dominici Sassi et Iuliae Sanni coniugum Sassi hodie, in termino ad protocollarem indagationem testium septimae manus *ex parte viri ac mulieris assignato,* citatis legitime partibus et praedictis testibus, Iudex Delegatus imprimis monuit omnes de vi et gravitate iuramenti, eiusque serio ponderandis effecti-

bus; quo facto, testes genuflexi et manu dextra ad Crucem applicata, praestiterunt iuramentum de veritate dicenda. Deinde omnes in conclave contiguum secesserunt, excepto teste examinando. Tum Vindex Sacram. Matrim. porrexit Iudici Delegato obsigillata interrogatoria, quibus apertis caepta est protocollaris indagatio, ut sequitur.

mam praedicat: virum autem asserit esse mendacem, depravatum ac meretricum domos adire.

Nomem meum et cognomen Eduardus Marini 40 annorum, catholicus, habeo uxorem et liberos, calculator, habito . . . . in Via Latina n. 70, officia religionis adimpleo; causam criminalem non habui.

1° Ubi et quando novisti coniuges Sassi?

R. Actricem novi a pueritia, conventum vero maritum a 15 annis.

2° Quid de iis tenes, cuius indolis sunt? Affirmarene potes tuta conscientia eos esse homines pios, veriloquos iustitiae atque aequitatis memores, quorum orali confessioni plena dari fides queat?

R. Existimo Sanni *esse mulierem probam, piam atque veriloquam et minime eam velle in sua causa Iudicium in fraudem inducere; e contra Sassi esse hominem depravatum moraliter, levissimum et ad mendacium idoneum.*

3° Quid scis de cohabitatione coniugum Sassi? Fortasse ex colloquio cum marito rescivisti matrimonium consummatum esse: A quo tibi notum est de impotentia Sassi?

R. Nonnulla de vita coniugum Sassi mihi nota sunt. Quodam tempore, cum frater actricis periisset, conventus maritus dixit ad me: « Timeo, ne haec valetudini uxoris meae noceant, quae gravida est ». — Ex dictis ad conclusionem deveni, coniuges Sassi commercia carnalia habuisse. Adulphus Camerini, collega noster, mihi narravit, *actricem Sanni gravidam fieri non posse; nam maritus homo moraliter depravatus, incapax ad prolem procurandam.* Elapso primo semestri post nuptias, Sassi post largam coenam una mecum profectus est in locum publicum, *ubi vidi eum cum meretrice quadam in cubiculo separato commoratum esse.* Post haec reprehensi eum pro conversatione cum meretricibus, sed ille respondit mihi, unam uxorem sibi non sufficere.

4° Rescivistine quidpiam ex lectis tibi confessionibus coniugum Sassi?

R. Nil amplius addere habeo. Attamen ante aliquot dies visitavit me Sanni et locuta est de comparentia mea in Iudicio, ex quibus colloquiis censui, *matrimonium eorum non esse consummatum* et hac de causa de nullitate matrimonii rem agitari.

5° Censesne depositionem coniugum Sassi veritate pura niti?

R. *Maiorem fidem tribuo confessioni actricis quam mariti conventi*

6° Quid hac in causa addere habes?

R. Confessioni meae nil addere vel immutare quid censeo, atque supradictam declarationem, alta voce perlectam, uti meam agnosco et illi subscribo ac iuro.

Eduardus Marini.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — Crisp. Cassetta — A. Marchetti — Franc. Zani.

Num. 9.
Anna actricis soror fatetur, hanc mentiri non posse, virum autem esse omnis mendacii capacem; additque matrimonium ob huius impotentiam consummari non potuisse.

Nomen meum et cognomen Anna Ilarini 30 annorum, catholicam religionem profiteor, virum habeo, habito... in Platea Magna n. 3, officia religionis adimpleo, causam criminosam in iudicio non habui.

1. R. Soror germana actricis sum, maritum conventum duobus annis ante matrimonium cognovi.

2. R. *Actricem mulierem piam, veritatis amantem, religiosam esse duco et etiam in propria causa mentiri non posse. Conventum vero maritum, in quantum scio, esse hominem famosum, absque conscientia et omnis mendacii capacem.*

3. Cohabitatio coniugum Sassi infelix erat; *ille fere quotidie ebrius domum redibat.* Ante annum cum dimidio nuptias inivi *et tunc a sorore mea actrice cognovi, eos ob impotentiam mariti matrimonium non consummasse.*

4. R. Iam superius haec declaravi.

5. R. *Persuasum mihi est a sorore actrice veritatem dici, conventum vero maritum in tota confessione mentiri.*

6. R. Nil amplius in hac causa addere habeo; praefatam vero depositionem meam esse agnosco atque illi subscribo et iuro — Anna Sanni-Ilarini — Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — F. Z.

Num. 10.
Testis Ilarini deponit, mulierem uti probam et piam, omni fide dignissimam esse, virum autem nul-

Nomen meum et cognonem Henricus Ilarini, 25 annorum, catholicus, uxorem habeo,..... in platea Magna n. 3 habito, officia religionis adimpleo, causam criminalem non habui.

1. R. Coniuges Sassi noti mihi sunt a quinque annis ratione consuetudinis cum fratre actricis.

2. R. *Actricem mulierem probam, piam, religiosam esse existimo atque incapacem omnis fraudulentiae; e contra conventum maritum esse hominem mendacem, ebrietati deditum, absque ulla ratione agendi nec non idoneum ad inducendum Iudicium in fraudem.* lam omnino mereri; refert insuper se hunc vidisse uti medicinis aptis venereis morbis curandis.

3. R. De vita coniugum Sassi nil novi, neque de consummato matrimonio; ab annis 4 vel 5 omnes dicunt conventum maritum inhabilem esse ad matrimonium consummandum.

4. R. Nil amplius in causa hac scio.

5. R. *Ex dictis patet, nullam esse dandam fidem confessioni mariti Sanni; actricem vero in declaratione sua omnem veritatem dixisse.*

6. R. Tempore consuetudinis meae cum convento marito videbam apud eum medicamenti diluendi formulas medicorum Fantini et Fabi, *qui speciali modo tractant de morbis venereis, ac proinde concludo, eum laborasse aliquo morbo venereo.* — His nil amplius addere habeo. — Praefatam declarationem uti propriam agnosco, iuro ac illi subscribo.

Henricus Ilarini.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z.

Num. 11.

Actricis pater asserit, filiam veridicam et piam esse, virum autem nequam, mendacem, ebriosum, eiusque impotentia matrimonium consummatum nunquam fuisse.

Nomen et cognomen meum Augustus Sanni 70 annorum, catholicus, uxorem et liberos habeo, habito apud filiam in Via N., n. 70, officia religionis adimpleo, causam criminalem non habui.

1. R. Pater sum actricis. Generum Sassi uno anno ante nuptias cognovi.

2. R. *Existimo actricem Sassi esse mulierem piam, religiosam, veritatem semper loquentem et minime eam velle Iudicium hac in causa in fraudem inducere. E contra conventum maritum duco, hominem nequam esse et paratum etiam in Iudicio in causa sua mentiri.*

3. R. Neuter coniugum quidpiam de cohabitatione maritali sua dixit; pariter non audivi de impotentia Sassi; agitata iam in Iudicio causa nullitatis matrimonii, *filia confessa est, matrimonium ab iis consummatum non esse ob impotentiam mariti. Saepe saepius Sassi ebrium mane revertentem domum vidi.*

4. R. Amplius nil novi hac in causa.

5. R. *Certus sum, omnem veritatem a filia mea declaratam esse, conventum vero maritum mentiri.*

6. R. Confessioni meae nil amplius addere habeo eamque uti propriam agnosco, iuro ac illi subscribo.

Augustus Sanni.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. C. C. — A. M. — I. Z.

His peractis, protocollum clausum et subscriptum est. — Die ut supra. — Crispinus Cassetta — Aloisius Marchetti — Franciscus Zani.

Sessio Quarta.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 12. Alii tres testes septimae manus utriusque coniugum iuramentum praestant; postea vero rogatus Theodorus Marchini dum summis laudibus actricem extollit, uti probam, religiosam et veriloquam, virum irreligiosum ac mendacem esse declarat.

Actum est in Cancellaria Iudicii Episcopalis die 26 Aprilis 1900.

Praesentes: Iudex Delegatus Crispinus Cassetta Canon Cathed. — Defensor Sacram. Matrim. Aloisius Marchetti S. Th. Doctor, — Notarius Ioannes Zeri.

In causa nullitatis matrimonii Dominici Sassi et Iuliae Sanni coniugum Sassi hodie, in termino ad protocollarem indagationem reliquorum testium septimae manus ex parte viri ac mulieris assignato, citatis legitime partibus et praedictis testibus Iudex Delegatus imprimis monuit omnes de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus; quo facto, testes genuflexi, et manu dextera ad Crucem applicata. praestiterunt iuramentum de veritate dicenda. Quo facto, omnes in conclave contiguum secesserunt, excepto teste examinando, et coepta est protocollaris indagatio secundum interrogatoria a Vindice Sacramenti formata, ut sequitur:

Nomen meum et cognomen Theodorus Marchini 25 annorum, catholicus, coelebs, publicus scriptor, habito in Platea Lata N. 50, officia religionis adimpleo, causam criminalem non habui.

1. R. Sassi ab annis 10 notus est mihi, actrix vero est mea consanguinea.

2. R. *Actricem censeo esse mulierem piam, religiosam, veritatis*

amantem et mendacii etiam in propria causa incapacem; conventum vero maritum iudico, *hominem esse omnino nequam, irreligiosum ac pro opportunitate ad mentiendum paratum idoneumque.*

3. R. De cohabitatione coniugum Sassi pauca mihi nota sunt; uno mense ante, Sanni mihi confessa est, *se ob impotentiam mariti intactam virginem esse;* cum aliis personis hac in re ne verbum unum quidem dixi.

4. R. Nil audivi hac in causa; *quod si actrix abortum passa esset, certo haec consanguinei mihi dixissent.*

5. R. *Maiorem fidem tribuo declarationi actricis, quam conventi mariti et puto eum in confessione sua in Iudicio mendacium commisisse.*

6, R. Nil amplius hac in re addere possum illamque, alta voce perlectam, uti propriam agnosco, iuro, illique subscribo.

Theodorus Marchini. — Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z.

Num. 13.
Anna Villa fatetur, mulierem esse piam omnique fide dignam, et se scivisse eamdem ob impotentiam viri virginem mansisse.

Nomen et cognomen mihi Anna Villa, 50 annorum, catholica, vidua, substentationem habeo mea propria pecunia, habito in Platea Maiore N. 5, officia religionis adimpleo, causam criminalem non habui.

1. R. Sanni a multis annis mihi nota est; sed a quinque annis raro eam video, conventum maritum parum novi et aliquoties tantum cum eo locuta sum.

2. R. *Censeo, actricem esse mulierem piam, religiosam, veridicam et omni fide dignam;* quoad maritum nil dicere possum, cum parum eum noverim.

3. R. De mutua cohabitatione coniugum Sassi nil notum mihi est; paulo ante actrix coram me confessa est, *se esse intactam ob impotentiam mariti.*

4. R. Tempore aestivo actrix commorabatur per aliquod tempus apud me, *et tunc manifestavit mihi se velle matrem esse.*

5. R. Verane omnia dicta sint ab utroque coniugum in sua confessione iudiciali, affirmare non possum.

6. R. Nil amplius hic addere habeo; declarationem hanc uti propriam recipio, iuro illique subscribo. — Anna Villa. — Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — I. Z.

Num. 14.
Tandem Augusta Lancisini declarat mulierem piam et veridicam, virum autem irreligiosum, mendacem ac famosum.

Nomen et cognomen meum Augusta Lancisini 60 annorum, catholica, vidua, liberos habeo, sustentationem habeo ex propria pecunia, habito Via Azeglio N. 54, officia religionis adimpleo, causam criminalem non habui.

1. R. Pater actricis consanguineus mihi est, quacum in magna amicitia vivimus, conventum maritum cognovi a tempore, quo actricem in matrimonium ducere intendebat.

2. R. Persuasum mihi est, *actricem mulierem esse bonorum morum, piam, religiosam, veridicam et semper a mendacio etiam in propria causa abhorrentem.* E contra Sassi *esse hominem officia religionis negligentem, mendacem et famosum.*

3. R. De cohabitatione maritali coniugum Sanni pauca novi. Tempore non multo ante actrix coram me locuta est, *commercia carnalia inter eos perfici non iuxta normam communem ob culpam viri;* de impotentia mariti nil audivi.

3. R. De confessione iudiciali actricis nil novi nisi, quod saepius manifestabat desiderium *mater fieri; quod si abortus accidisset, non* dubito, quod certiorem me rei istius fecisset.

5. R. Declarationem actricis, in Iudicio factam, *omnino veram affirmo, conventi vero mariti dicta omnia falsa esse.*

6. R. Nil amplius addere habeo, confessionem hanc uti propriam agnosco, iuro illique subscribo.

Augusta Lancisini.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — Cr. C. — I. Z. — His protocollon clausum et subscriptum est. — Die ut supra. Crispinus Cassetta — Aloisius Marchetti — Ioannes Zeri.

Num. 15.
Iudex designat medicos, obstetrices ac matronam pro corporali mulieris inspectione peragenda.

Iudicium Episcopale . . . . . , annuendo instantiae Procuratoris actricis, terminum ad inspiciendum corpus eiusdem actricis ad mentem instructionis S. C. Concilii die 22 Augusti 1840 peragendam, in diem 4 Maii an. curr. assignat, ad actionem vero hanc adimplendam in qualitate expertorum deputat Medicos Eduardum Malachi et Petrum de Petris; — obstetrices, Ioannam Amati, Annam Basilischi et Mariam Galassi, et Matronam Agatham Martorelli, quos omnes una

cum marito et defensore vinculi matrim. ad terminum supra specificatum citari mandat.

. . . . Die 1 Maii 1900.

N. † Episc. . . . . — Not. Iudicii, Ioannes Zeri.

Sessio Quinta.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 16. Memorati medici, obstetrices et matrona iure iurando spondent, se demandato munere fideliter functuros fore; dein autem medici opportune instruunt obstetrices et matronam.

Actum est . . . in Cancellaria Iudicii Episcopalis die 10 Maii 1900 hora 12 meridiana, — Praesentes; Iudex Delegatus, Crispinus Cassetta can. Eccl. Cath. — Matrim. Defensor Aloisius Marchetti — Not. Iudicii Ioannes Zeri.

In causa de nullitate matrimonii Dominici et Iuliae Sassi ex titulo canonico impotentiae coëundi physice ad instantiam uxoris agitata; hodie, in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis praecitatae actricis assignato, comparuerunt medici, obstetrices et matrona decisione diei 1 mensis Maii anni 1900 in qualitate peritorum deputati, *qui pro fideliter et religiose exsequendo commisso ipsis munere praestiterunt iuramentum,* adstante actrice, quae iisdem peritis praesentata est, omnesque protocollon hoc subscripserunt.

Iulia Sanni — Petrus De Petris — Eduardus Malachi - Agatha Martorelli — Ioanna Amati — Anna Basilischi — Maria Galassi. — In fidem. — C. C. — M. Z.

Deinde actrice in contiguum conclave semota, medici, instante Iudice, instruxerunt obstetrices et matronam de modo inspectionis peragendae.

His, actio haec praeliminaris terminata, praesensque protocollon clausum et subscriptum est.

Crispinus Cassetta — Al. Marchetti — Ioannes Zeri.

Sessio Sexta.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 17.
Verbalis processus corporalis inspectionis mulieris rite peractae.

Actum est . . . . . in domo n. 70 in Via N. die 10 Maii 1900.

Praesentes: Iudex Delegatus, Crispinus Cassetta Can. Eccl. Cathed. — Defensor Sacram. Matrim. Aloisius Marchetti, — Notarius Iudicii Ioannes Zeri.

In causa nullitatis matrimonii Dominici et Iuliae Sassi coniugum de nullitate eorum matrimonii ex titulo impotentiae physicae mariti ad instantiam uxoris agitata, hodie, in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis actricis assignato, adimpletis praeliminaribus in Cancellaria Iudicii Episcopalis in praesentia eiusdem actricis convenerunt in aedibus, ut supra, D. Delegatus una cum Defensore Sacram. Matrim. et Notario Iudicii, nec non medici experti, obstetrices et matrona a iudicio deputati; posteriores ad peragendam inspectionem, illi vero ad invigilandum, ut actio, de qua *conficeretur accuratissime secundum Instructionem hac in re a Iudicio approbatam.* — Medici, accersiti a matrona, omnium primum verificaverunt qualitatem aquae balneo praeparatae; deinde ianua conclavis cum alveo occlusa est matronaque et obstetrices ibidem morantes demandatum sibi negotium revisionis in persona actricis Iuliae Sanni seorsim absolverunt.

Minutis 70 post obserationem ianuae comparuit in conclavi contiguo obstetrix Anna Basilischi praesenteque Notario iudici consignavit relationem, eamque dicto Notario in manus tradidit, deinde discessit in aliud cubiculum, ut ibi praesentibus Illmo Iudice Delegato et Vndice Sacram. Matrim. praedictaret medicis reperta in inspectione. Eodem ordine adimplevit actionem suam obstetrix Ioanna Amati et Maria Galassi. Post obstetrices deposuit pariter matrona relationem suam in manus Notarii.

His protocollon absolutum et subscriptum est.

Die ut supra.

Crispinus Cassetta. — Al. Marchetti. — Ioannes Zeri.

Num. 18.
Obstetrix Anna Basilischi, omnibus attente inspectis, declarat actricem virginalem adspectum exhibere.

Apud Iuliam Sanni .... annorum ...., inveni constructionem corporis sanam sine vitio; mammas parvas, rotundas, duras; papillas parvas, roseas, in quibus glandulae multae inveniuntur; abdomen parvum. mediocriter eminens, linea alba sine colore, absque ullis rugis, cavis atque cicatricibus; montem veneris magnum, contectum crassis atris capillis.

Rima pudendi non stricte cohaerens; labia maiora, satis evoluta. contecta capillis, labia minora sunt magna et extremitates eorum extant ex maioribus rosei coloris; clytoris satis evoluta, rosea, *frenulum integrum;* hymen constat duabus partibus, quae incipiunt ab urethra et extenduntur subter, ubi hymen non apparet neque eius vestigia, extremae *partes eius sine cicatricibus et levigatae;* color hymenis roseus, in inferiori parte hymenis invenitur ostium parvum, quo digitus minimus immitti potest; latera vaginae contecta rugis satis duris, profluvium abest; **aspectus generalis virginalis.**

Anna Basilischi. — In fidem. C. C. — M. — Z.

Num. 19.
Obstetrix Amati pluribus recensitis integritatis notis, actricem virginem esse fatetur.

Apud Iuliam Sanni circiter .... an., inveni constructionem corporis sanam et iuxta normam communem compositam; mammas parvas, rotundas, extantes, papillas parvas et roseas, areolam pallidam subroseam cum glandulis parvis, pallidis; abdomen parvum, levigatum, *sine ulla cicatrice;* montem veneris satis magnum, contectum contorsis atris capillis, labia maiora non satis magna, contecta capillis; labia minora iusto minora extantia, ex parte ani rosea, extremitates vero extantes subobscurae, clytoris parva et rotunda, *frenulum et perineum intacta et levigata;* hymen est carnosum, crassum, a tergo magis roseum : a posteriore parte hymenis aliquantulum inferius invenitur fissura transversa, per quam ope manus potest videri orificium vaginae, quod palpando parvo digito sentiebam; latera vaginae cohaerentia. *Ex his indiciis existimo,* **actricem esse virginem.**.

Ioanna Amati — In fidem. — C. C. — M. — Z.

Num. 20.
Demum obstetrix Galassi, pluribus memoratis

Apud Iuliam Sanni, circiter .... an. inveni constructionem corporis sanam et normalem, mammas rotundas et formosas, papillas parvas, areolam sat parvam roseam, cum glandulis parvis, ventrem

signis, actricem adhuc virginitate pollere fatetur.

parvum, formosum, cutem solidam, lineam parum coloratam, montem veneris eminentem, contectum densis atris capillis; in anteriore parte femorum sunt cicatrices parvae, labia maiora sibi cohaerentia, clytoris satis occulta; labia maiora aliquantulum una ex parte extant prae labiis maioribus, quae sibi sat bene cohaerent; *frenulum et perineum intacta;* hymen est irritatum; *ostium adeo parvum, ut vix finem digiti cum magna molestia immittere potuerim;* hymen coloris rosei; intus ostium apparet mihi nimis parvum et forma oblonga; profluvium abest.

Ex dictis censeo, actricem in statu virginitatis adhuc manere.

Maria Galassi. — In fidem. — C. C. — M. Z.

Num. 21.

Agata Martorelli refert, instructionem obstetricibus impertitam adamussim executioni demandatam fuisse.

In causa etc. ego infrascripta ab Excelso Iudicio Episcopali decisione de die 1 Maii 1900, deputata matrona ad invigilandum inspectioni corporis Iuliae Sanni per obstetrices accurate peregendae, praestito in Cancellaria Iudicii Episcopalis iuramento, contuli me in habitaculum in Via N. in domum N. 7, quo praeter membra Iudicii convenerunt pariter medici Doctor Eduardus Malachi et Doctor Petrus De Petris atque obstetrices Anna Basilischi, Ioanna Amati e Maria Galassi.

Iuxta communicatam mihi instructionem, ab Excelso Iudicio approbatam, praesens aderam infusioni in alveum aquae, vocavi medicos ad exquirendam qualitatem eiusdem aquae; dein clausis ianuis auxilium tuli D.nae Sanni in vestibus deponendis et in alveum, *aqua ad 28 gradus calefacta* impletum, adeundo, *in quo 45 minuta permanebat* sine linteis aut quibusdam velaminibus.

Post egressum ex alveo et detersionem corporis, quando D.na Iulia in lectulum, ad hoc praeparatum, pedibus ad fenestram sitis se recepit, vocavi ad peragendam inspectionem obstetricem Annam Basilischi, deinde Ioannam Amati, tum denique Mariam Galassi.

Tempore peragendae inspectionis ab una obstetrice, aliae duae ex adverso stabant; ergo vero stabam tempore hoc prope lectulum ad pedes Dominae Sanni atque magna cum attentione animadvertebam obstetrices, quae accurate iuxta instructionem ab Excelso Iudicio datam officium suum expleverunt.

Eodem modo sicut prima ita et altera et tertia obstetrices seorsim expleverunt suum officium inspectionis, atque quaevis earum,

quando fecit id, quod ad illam pertinebat, statim exibat in contiguum cubiculum ad describendam relationem.

Toto tempore balnei et inspectionis obstetrices absolutum silentium observabant, tum inter se invicem, tum cum D.na Sanni, atque in hoc cubiculo, ubi supradicta agebantur, praeter me atque praefatas obstetrices nemo erat praesens.

. . . . . , die 10 Maii 1900.

Agatha Martorelli. — In fidem. — C. C. — M. —. Z.

Num. 22.
Doctor De Petris perpensis obstetricum relationibus, affirmat, ostium hymenis laceratum nunquam fuisse.

In examinandis corpore et muliebribus D. Iuliae Sanni tres obstetrices deputatae ad hoc tulerunt opinionem, ut sequitur.

1. Obstetrix Basilischi. Iulia Sanni, circiter . . . . annorum, subflavi coloris, regularis compositionis corporis, omnino sana et neque habet aliquod vitium, quod aliquam abominationem vel taedium excitare possit; mammas habet exstantes et satis solidas, in quibus inveniuntur subroseae papillae, circumdatae pariter subroseis unius centimetri latitudinis areolis, in quibus satis clare extant glandulae sic dictae Montgomerianae, in mammis nulla vestigia nutriendi infantes reperiuntur. Abdomen mediocriter elevatum, latera ventris satis solida; in cute nullae cicatrices vel vibices sunt, linea alba est patens, sed absque ullo colore. Mons veneris bene evolutus, contectus densis atris capillis est. Labia maiora recte evoluta tecta capillis, in parte anteriori stricte sibi cohaerent, in posteriori vero parte ex rima pudendi ad 1 1/2 centimetri labia minora extant.

Illa pars labiorum ad extra eminens est coloris subcaerulei, pars vero labiis maioribus contecta, subrosei. Clytoris mediocris mensurae et subrosei coloris; in commissura posteriori labiorum maiorum et in commissura posteriori labiorum maiorum et in perineo nulla vestigia subruptionis apparent. Hymen est et constat duabus laminis, quae in linea media concurrunt; laminae hae admodum facile digito sublevari possunt et maxima earum latitudo 3/4 centimetri; in parte posteriori ad fossam navicularem dictae laminae hymenis non adiacent sibi, attamen nulla signa abruptionis a pituitosa membrana vaginae apparent.

Latera laminarum sunt levigata, tennia, rosea, absque ullis cicatricibus et eiusdem coloris ac tota membrana. Ostium transmittit digitum minimum et dein ingressus in vaginam coarctatur. Hymen habet speciem alterius generis labiorum minorum. Introitus ad vaginam an-

gustus; latera vaginae sibi adiacent et abundanter contecta elasticis rugis; fluor ex vagina non stillat. In anteriori parte lumborum non multae striae coloris margari apparent. Obstetrix Basilischi supra dictis innixa non potest certe affirmare coitum non esse, sed probabilius ei videtur, actricem esse intactam.

Relatio obstetricis Amati quoad generalem statum actricis mammarum, ventris, labiorum maiorum minorumque nil differt a relatione obstetricis Basilischi. Hymen obstetrix Amati sic describit: hymen habet transversum orificium, quod non extenditur ad fundamentum eius et dividit hymenem in duas partes, quarum anterior subpallidi coloris et maior posteriore; sub eas digitus immitti potest et tunc saltem apparet orificium hymenalem, quod manet occultum; nam illae roseae laminae hymenis absque cicatricibus omnino sibi adiacent; lamina posterior carnosa est. In orificio hymenali minimus digitus collocari potest. Latera vaginae sibi adiacent; profluvium in vagina abest. Cum nulla vestigia vulnerationis hymenis reperiantur, obstetrix Amati censet actricem esse virginem intactam.

Iuxta relationem obstetricis Galassi, actrix habet circiter 26 annos vitae; observationes eius in genere similes observationibus aliarum obstetricum; iuxta eius opinionem labia minora vix extare ex rima pudendi et quidem tantum labium minus sinistrum apparet, quod est maius dextro.

Quod attinet ad hymenem, Galassi asserit, esse tantum eius reliquias, quae constant tribus laminis (duabus lateralibus et una posteriori) 3/4 centimetri latitudinis et efficiunt inter se triangulare ostium, quod, extentis labiis minoribus, videri potest; rotundati anguli huius ostii ad basim hymenis, qui habet roseum colorem in tota sua superficie, non extenduntur.

Latera dicti ostii sunt mollia, levigata, absque striis. Orificium transmittit digitum minimum; introitus vaginae valde angustus; latera vaginae adhaerent sibi, profluvium ex vagina abest. In his obstetrix Galassi innixa censet, adesse conatus perficiendi coitus; nam orificium hymenale extentum est; attamen ipsum hymenem disruptum non esse, quia introitus vaginae valde angustus existit.

Ex his tribus relationibus ante omnia cogor declarationes obstetricis Galassi reiicere, quia carent fundamento accuratae inspectionis. Dicta Galassi asserendo, se invenisse tantum reliquias hymenis, in conclusione affirmat, nulla vestigia dilacerationis adesse; et revera descriptio laterum triangularis ostii in membrana ab ipsa data minime

aliquam mechanicam lacerationem hymenis demonstrat. Narrat ulterius de extensione orificii hymenalis, quamvis in ostium eius vix digitum minimum immittere posset. Insuper non investigavit sufficienter illas reliquias hymenis; nam non elevavit ope digiti laminas et non potuit bene inspicere latera ostii, eius crassitudinem, colorem etc.

Aliae duae obstetrices absolute affirmant, nulla vestigia dilacerationis hymenis adesse, quod revera ex descriptione laterum ostii patet. Ex allatis relationibus evidens est, eas discrepare in delineatione formae ostii; Basilischi describit hymenem, qui notus est in medicina sub nomine hymenis labiiformis.

Amati vero pariter notam speciem hymenis enarrat, quae transversa fissura dividit hymenem in duas laminas anteriorem et posteriorem.

Descriptioni laterum orificii hymenalis fundatus existimo, in casu nostro, hymenem constare duabus laminis, cuius ostium mechanicae lacerationi non est obnoxium; non possum tamen affirmare, coitum perfectum non extitisse; nam huiusmodi ostia in hymene satis magnam extensionem habent. Insuper ex relationibus obstetricum concludere licet, Iuliam Sanni non peperisse et nulla adesse vestigia praegnationis.

D.r Med. Petrus De Petris.

In fidem. — Cr. C. — A. M. — I. Z.

Num. 23.

Doctor Malachi, ad trutinam revocatis obstetricum relationibus, censet, actricem maxima cum probabilitate virginem adhuc esse.

In examinandis corpore et muliebribus D. Iuliae Sanni tres deputatae ad hoc obstetrices dederunt opinionem, ut sequitur.

1. Iulia Sanni circiter 30 annorum (26-33) subflavi coloris, regularis compositionis corporis, omnino sana, carens aliquo vitio, quod aliquam abominationem vel taedium excitare possit; mammas habet extantes, parvas et solidas cum subroseis papillis parvis exstantibus, circa quas inveniuntur unius centimetri latitudinis arcolae eiusdem coloris, et satis clare extant in iis glandulae sic dictae Montgomerianae. Abdomen mediocriter elevatum et parvum; latera ventris solida, in cute nullae cicatrices vel striae, in anteriori vero parte lumborum lineae albae apparent. Mons veneris satis evolutus, tectus est densis, atris capillis. Labia maiora recte evoluta, tecta capillis.

Iuxta obstetrices Basilischi et Amati labia maiora solummodo in

parte anteriori contegunt labia minora, in parte vero posteriori haec 1 1/2 centimetri e rima pudendi exstant; iuxta autem Galassi tantum labium minus sinistrum aliquantulum e rima pudendi exstat (Galassi quidem ultimo loco actricem inspexit). Labia coloris rosei, partes eorum vero exstantes sunt coloris subcaerulei; clytoris mediocris et subrosei coloris; perineum et frenula integra.

Iuxta Basilischi hymen constat duabus laminis, quae in linea media invicem cohaerent; laminae hae contegunt ita ostium, ut introitus in vaginam statim non appareat; illae facile digito sublevari possunt et maxima earum latitudo 3/4 centimetri; in parte posteriori ad fossam navicularem dictae laminae hymenis non cohaerent sibi et efformant spatium vacuum; attamen nulla signa abruptionis earum a membrana pituitosa vaginae apparent. Latera laminarum levigata sunt, tenuia, rosea, absque ullis cicatricibus et eiusdem coloris ac tota membrana. Generatim hymen actricis obstetrici Basilischi apparet in forma labiorum tertii generis.

Iuxta Amati pariter constat duabus laminis invicem cohaerentibus, quae contegunt ostium, linea tamen inter eas e transverso ducit; praeterea pars anterior membranae maioris mensurae est, quam posterior; utraque pars sublevari digito potest; ambae laminae sunt satis carnosae, latera earum sunt satis crassa et rosea, praesertim in parte inferiori, absque cicatricibus et nodulis; illud spatium intermissum non extenditur ad fundamentum hymenis.

Iuxta opinionem obstetricis Galassi reliquiae tantum hymenis restant in specie trium laminarum ita invicem cohaerentium, ut ostium statim non appareat; disiunctis illis, manifestatur ostium triangulare; anguli tamen non tangunt fundamentum hymenis; lamina posterior maior ceterarum est; nam mensura eius 3/4 centimetri comprehendit, laterales laminae aliquantulum minores sunt. Laminae istae ubique sunt, unius coloris, roseae, sine cicatricibus in latere, nodulis, callis. In vaginam, iuxta opinionem omnium obstetricum, vix digitus minimus immitti potest; latera vaginae sunt delapsa, abundantia rugis; profluvium ex vagina abest.

Iuxta obst. Basilischi actrix probabiliter est virgo; iuxta Amati categorice est virgo; iuxta autem Galassi actrix pariter est virgo; nam introitus in vaginam est admodum angustus, quod ostendit copulam abfuisse; illas « reliquias » existimat esse extensionem hymenis, factam tempore conatus perficiendi copulam. Attentis tribus his opinionibus contradictoriis circa formam et speciem hymenis actricis, certum ali-

quid positivumque affirmare, difficile est. Opinio obstetricis Galassi necnon eius assertio omni fundamento veritatis caret; aut coitus locum habuit et hymen disruptus est in partes tres, ergo actrix non est virgo; aut coitus non erat et istae laminae sunt omnino naturales et actrix virgo intacta est.

Existimo declarationem obstetricis Basilischi esse maxime certam: nam descriptio hymenis ab ea data plane concordat cum his, quae legi possunt in « *Enchyridion medicinae iudicialis* » *auctore Feigel, pag. 94. Opera Casper et Siman, Medicina iudicialis tom. I, pag. 123; E. Hoffmann, Real-Encyclopädie der gesammten Heilkunde v. prof. D.r Al. Eulenburg pag.* 180-183. Huiusmodi species hymenis iuxta supra dictos auctores dicitur hymen labiiformis (lappenförmige hymen) et confirmat opinionem obstetricis Basilischi, quae censet actricem probabiliter tantum esse virginem; nam iuxta sententiam Feigel (pag. 96) hymen, laminis constans, minime obstat, quominus membrum virile transfodiat illum et tunc etiam manet illaesus. Opinio obstetricis Amati est valde similis declarationi Basilischi et videtur illa casu commiscere positionem rimae hymenis oblongam cum positione transversa.

. . . . . die 10 Maii 1900.

Doct. Ed. Malachi.

In fidem. — Cr. C. — A. M. — I. Z.

Sessio Septima.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 24.

Obstetrices et matrona iuramentum praestant; dein autem excutitur obstetrix Basilischi, quae, ex repertis in actrice notis, iterum iurata confirmat eamdem intactam virginem esse.

Actum est . . . . . in Cancellaria Iudicii Episcopalis, die 14 Maii 1900. — Praesentes: Iudex Delegatus, Crispinus Cassetta, Can. Eccl. Cathed. — Defensor Sacram. Matrim. Aloisius Marchetti, S. Th. Doct. — Notarius Franciscus Zeri.

In causa nullitatis matrimonii Dominici et Iuliae Sassi, hodie, in termino ad protocollarem indagationem matronae et obstetricum de peracta per easdem die 10 maii 1900 inspectione corporis Iuliae, coniugis Sassi, assignato, citatis legitime praedictis matrona et obstetricibus, Iudex Delegatus imprimis monuit illas de vi et gravitate iura-

menti eiusque serio ponderandis effectibus, quo facto foeminae praefatae genuflexae et manu dextera ad Crucem applicata, praestiterunt iuramentum de veritate dicenda. Deinde remansit Anna Basilischi, aliae vero in conclave contiguum secesserunt. Tum Vindex Sacram. Matrim. porrexit Iudici delegato obsigillata interrogatoria, quibus apertis, coepta est protocollaris indagatio, ut sequitur:

Anna Basilischi sum, 30 annorum, catholica, innupta, officia religionis impleo, confessionem paschalem mense proxime elapso absolvi, causam criminalem non habui.

1. A quo tempore nosti Iuliam Sanni, datam Dominico Sassi in matrimonio?

R. Actricem Sanni prima vice in camera Iudicii vidi.

2. An inspectionem peregisti super eadem persona, quam Iudicium tibi designavit?

R. Affirmative.

3. Qualis aqua ad balneum est adhibita?

R. Aqua erat pura, *ad 28 R. calefacta.*

4. Quomodo operam tuam collocasti?

R. Inspectionem corporis iuxta datam mihi in Iudicio instructionem peregi.

5. In corpore a te considerato utrum intemerati claustri virginalis signa reperisti, an vero consummati matrimonii? in specie quid observasti?

R. Sanni *inventa est a me* **virgo** et opinio mea fulcitur sequentibus argumentis: mammae rotundae, parvae et solidae, in ventre nullae cicatrices aut striae reperiuntur; *hymen integer,* compositio eius specialis et insolita; constat enim duabus laminis invicem cohaerentibus, quae initium ab urethra habent et finiunt in parte inferiori, ubi membrana abest, neque ullum post eam vestigium. Latera huius membranae levigata sine cicatricibus. Color membranae roseus, ostium in inferiori parte, ubi finiunt laminae hymenis, parvum, immittens digitum minimum.

6. Utrum recte animum advertisti ad detegendum discrimen, quod inter virginem et mulierem virginitate carentem intercedat?

R. Discrimen fundamentale inter virginem intactam et mulierem defloratam consistit *in praesentia vel absentia hymenis. In casu nostro hymen est* **intactus** et tota compositio corporis actricis Sanni demonstrat **statum virginitatis.**

7. An pudenda Iuliae Sanni prodant consummatum coniugium vel attentatam copulam?

R. Decidere non possum, an Sanni non conaretur perficere coitum cum marito. Duae laminae eius hymenis extenduntur et ego digito eas levavi; attamen introitus in vaginam est satis angustus.

8. Quid addere hac in causa cupis?

R. Nil amplius addere habeo; declarationem hanc, uti propriam recipio, iuro, illique subscribo.

Anna Basilischi.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — Cr. C. — A. M. — I. Z.

Num. 25.
Obstetrix Amati, pluribus recensitis signis, absque ulla haesitatione iurata fatetur, actricem adhuc virginitate pollere.

Ioanna Amati sum, 44 annorum, catholica, obstetrix, matrimonio iuncta, prolem habeo, officia religionis impleo, confessionem sacramentalem ante hebdomadam absolvi, causam criminalem non habui.

1. R Actricem Sanni prima vice hic in Iudicio Ecclesiastico vidi.

2. R. Eamdem personam inspexi, quae mihi in iudicio presentata est.

3. R. Aqua ad balneum erat pura *et calefacta 28 R.*

4. R. Inspectionem iuxta communicatam a Iudicio instructionem peregi.

5. R. Ex sequentibus signis corporis actricis censeo *eam esse adhuc* **virginem:** mammae sunt levigatae, solidae, exstantes; abdomen parvum, rotundum, sine cicatricibus: rima pudendi conclusa, introitus in vaginam pariter conclusus, frenulum integrum, perineum levigatum.

Hymen constat duabus laminis invicem cohaerentibus, maior pars est anterior, posterior vero minor; haec coloris magis rosei est quam illa; intervallum inter illas est transversum; cum autem laminas istas digitis extendi, ostium tunc habuit formam oblongam similem triangulo cum basi semicirculari; in positione naturali utraque lamina sibi cohaeret et efformat lineam e transverso. Immisso digito minimo in ostium, sensi latera vaginae sibi cohaerere. Latera harum laminarum, in quantum investigare potui (nam actrix Sanni movebat se) erant levigata et similia toti hymeni, qui habet speciem carnosam sed magis crassam.

Ad 6^{m} et 7^{m} R. Sedulo omnem operam navavi, ut discrimen

virginitatis et defloralionis appareret mihi; ex compositione organorum genitalium actricis iudico, *eam adhuc* **virginem** *esse*. Conatus perficiendi copulam videtur fuisse; nam inter hymenem et frenulum invenitur irritatum et saucium corpus.

8. R. Declarationi meae nil amplius addere habeo, illique subscribo et iuro.

Ioanna Amati.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In quorum fidem. — Cr. C. — A. M. — I. Z.

Num. 26. Obstetrix Galassi, ex pluribus notis in actrice repertis iurata deponit, eamdem virginitatis flore adhuc pollere.

Sum Maria Galassi, 50 annorum, catholica, obstetrix, vidua, prolem habeo, officia religionis impleo. Confessionem Sacramentalem die 10 m. cur. absolvi, criminaliter punita non sum.

1. R. Actricem Sanni in Iudicio hoc Ecclesiastico prima vice cognovi.

2. R. Inspectionem super eadem persona peregi, quae mihi in Iudicio erat indicata.

3. Aqua ad balneum praeparata erat pura *et calefacta ad 28 R.*

4. et 5. R. Sanni mihi bene composita inventa est. Mammas habet parvas et rotundas, abdomen parvum. Hymenis ostium habet figuram oblongi trianguli; latera erant levigata, color eorum similis colori totius hymenis; in ostium vix introducere digitum minimum potui. *His innixa censeo actricem virginem esse.*

6. R. Nulla vestigia defloralionis inveni.

7. R. Ex indiciis, quae in actrice inveni, non possum affirmare, conatus perficiendae copulae abesse.

8. R. Nil amplius addere possum, declarationi huic subscribo et iuro.

Maria Galassi.

Hic deponens iuramentum emisit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z.

Num. 27.

Matrona Martorelli coram Iudice iurata confirmat, instructiones obstetricibus datas quoad actricis inspectionem ad unguem executioni demandatas fuisse.

Agatha Martorelli sum, annum 65 ago, vidua, catholica, ex aere proprio me sustineo, officia religionis impleo, confessionem sacramentalem die 7 m. cur. absolvi, criminaliter nunquam punita fui.

1. Ubi et quando nosti Iuliam Sanni?

R. Actricem Sanni prima vice in Iudicio ecclesiastico cognovi.

2. An inspectio peracta est super eadem persona, quae a Iudice est designata?

R. Affirmative.

3. Qualis aqua fuit adhibita ad balneum parandum et cuius caloris?

R. *Aqua erat pura et caloris 28° R.*

4. An lucidum fuit conclave inspectionis? Quandiu duravit lotio?

R. *Conclave fuit omnino lucidum et lotio 45 minuta duravit.*

5. Quomodo peracta est inspectio? Ubi constitisti cum fiebat palpabilis inspectio corporis actricis?

R. Tempore inspectionis actricis *data in hac re instructio a Iudicio stricte observata est.* Obstetrices inspectionem peregerunt ordine sequenti: Basilischi, Amati et Galassi, quaelibet seorsim; toto tempore ego stabam ad pedes actricis et etiam eius genua tenebam, quia valde commota et denervata erat.

6. An putas obstetrices legitime officio sibi demandato functas fuisse?

R. *Obstetrices officium suum diligenter adimpleverunt et nullum pactum inter eas observavi.*

7. Quid habes quod addere velis?

R. Depositioni meae huic nil amplius addere possum, illique subscribo et iuro.

Agatha Martorelli.

Hinc deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z. His protocollon clausum et subscriptum est.

Die ut supra.

Crispinus Cassetta, — Aloisius Marchetti, — Ioannes Zeri.

Sessio Octava.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 28. Memorati medici iuramentum praestant, dein autem excutitur doctor De Petris, qui ex obstetricum relationibus iuratus confirmat, mulierem adhuc esse virginem.

Actum est . . . . . , in Cancellaria Iudicii Episcopalis die 8 Iunii 1900.

Praesentes: Iudex Delegatus Crispinus Cassetta Can. Eccl. Cathedr.; — Defensor Sacram. Matrim. Aloisius Marchetti: Notarius Ioannes Zeri.

In causa de nullitate matrimonii Dominici et Iuliae Sanni, coniugum Sassi, hodie, in termino ad protocollarem indagationem medicorum peritorum de peracta per obstetrices die 10 Maii an. cur., inspectione corporis Iuliae Sanni assignato, citatis legitime praedictis peritis, Iudex Delegatus imprimis monuit illos de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus, quo facto, iidem experti genuflexi et manu dextra ad Crucem applicata, praestiterunt iuramentum de veritate dicenda.

Deinde remansit D.r med. De Petris, alii vero in conclave contiguum secesserunt. Tum Vindex sacram. Matrim. porrexit Iudicii Delegato obsigillata interrogatoria, quibus apertis, coepta est protocollaris indagatio ut sequitur.

Sum Petrus De Petris, annorum 35, catholicus, uxoratus, prolem habeo, doctor medicinae, officia religionis impleo, criminaliter punitus non sum.

1. A quo tempore nosti Iuliam Sanni?

R. Actricem Sanni prima vice vidi hic in Iudicio Ecclesiastico.

2. Quaenam est tua opinio circa inspectionem corporis peractam ab ostetricibus?

R. Obstetrices Basilischi et Amati demandatam sibi actionem adimpleverunt accurate, Galassi vero minus accurate; nam depositiones eius erant obscurae.

3. Qualis aqua ad balneum adhibita est?

R. *Aqua erat pura et 28° R. caloris.*

4. Quid obstetrices de intacta virginitate actricis? Valetne earum illatio?

R. Basilischi et Amati, loquentes de lateribus ostii hymenis Sanni, eorum integritatem affirmant; Galassi vero narrat de reliquiis hyme-

nis, nullas rationes adducens pro tuenda sua sententia. Insuper addit haec, in ostium hymenis sic laceratum, vix digitum minimum immitti posse, quae aperte contradicunt declarationi eius superius memoratae, necnon depositionibus aliarum obstetricum; illae enim aperte declaraverunt, digitum minimum facile in ostium hymenis introduci posse, lateraque eius esse integra. Basilischi et Amati censent, actricem adhuc in statu virginitatis permanere; Galassi vero asserit, conatus perficiendi copulam fuisse, sed ob angustum introitum in vaginam, consummatum non esse.

5. Quid tu tenes de virginitate actricis Sanni?

R. *Puto, actricem esse* **virginem;** *nam hymen integer est;* cum autem compositio hymenis eius constet duabus laminis, facile se extendentibus, existimo in casu copulam posse omnino consummari sine ulla laesione integritatis hymenis.

6. Habetne tua sententia certitudinem et scientificum medicinale fundamentum?

R. Innixus multis observationibus medicorum, iuxta quos coitus saepe saepius fieri potest absque ulla laceratione hymenis, possum affirmare in casu factum huiusmodi locum habere posse; attamen absolute et certe probare non possum.

7. An Sanni est idonea ad matrimonium consummandum?

R. Iuxta depositiones obstetricum actrix videtur omnino ad matrimonium habilis et idonea.

8. Quid amplius addere habes?

R. Depositioni huic nil amplius addere vel immutare queo, illique subscribo et iuro.

D.r Med. Petrus De Petris.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z.

Num. 29. Medicus Malachi iuratus deponit, maxima cum probabilitate affirmari posse actricem virginem esse.

Sum Eduardus Malachi, annorum 36, catholicus, coelebs, doctor medicinae, officia religionis impleo, causam criminalem non habui.

1. R. Sanni novi hic in Iudicio Ecclesiastico.

2. R. Obstetrices Basilischi et Amati officium suum accurate adimpleverunt; Galassi vero oblita est levare laminas hymenis actricis; qua

de causa non adaequate dilucidavit, utrum istae laminae essent hymenis, an vero plicaturae membranae pituitosae vaginae.

3. R. *Aqua adhibita ad balneum erat pura et determinati caloris.*

4. R. *Omnes obstetrices convenerunt, actricem Sanni* **virginem esse.** Basilischi quidem asseruit Sanni probabiliter esse virginem; attamen ratione formae hymenis minime negavit possibilitatem in casu coitus maritalis.

5. R. Cum obstetrices dissentiant circa hymenem actricis Sanni, unde nil certum quoad statum eius virginitatis dicere possum; maxime mihi opinio Basilischi placet; nam illa descripsit speciem hymenis optime, quae descriptio consonat sententiis doctorum medicinae iudicialis. *Hinc actrix Sanni valde probabiliter censeri potest adhuc virgo,* quamvis ratione formae hymenis contraria opinio sustineri possit.

6. R. Innixus depositioni obstetricis Basilischi necnon studiis meis in hac materia, sententiam superius expressam omnino certam teneo.

7. R. Actrix Sanni videtur mihi omnino idonea esse ad matrimonium.

8. R. Nil amplius addere habeo; depositioni huic iuro et subscribo.

Dr. Ed. Malachi.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z.

His protocollon clausum et subscriptum est.

Die ut supra.

Crispinus Cassetta. — Alois. Marchetti. — Ioannes Zeri.

Num. 30. Iudex designat tres medicos ad corporalem inspectionem viri peragendam.

Iudicium Episcopale . . . . . , annuendo instantiae procuratoris actricis, terminum ad inspiciendum corpus in ius vocati mariti Dominici Sassi ad mentem Instructionis S. C. Concilii de die 22 Augusti 1840 peragendam, in diem 8 Iunii an. cur. assignat, ad actionem vero hanc adimplendam in qualitate expertorum deputat medicos, doctores Antonium Fabi, Henricum Buttini et Petrum De Petris, quos omnes una cum actrice et Defensore Vinculi matrim. ad terminum supra specificatum citari mandat.

. . . . . , die 22 Maii 1900. — ✝ N. Episcopus. — Notarius Iudicii, Ioannes Zeri.

Sessio Nona.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 31.
Memorati periti iuramentum praestant de munere fideliter exequendo.

Actum est . . . . . in Cancellaria Iudicii Episcop., die 11 Iunii 1900, hora 10 merid.

Praesentes; Iudex Delegatus Crispinus Cassetta, — Defensor Matrim. Aloisius Marchetti, — Notarius Iudicii, Ioannes Zeri.

In causa nullitatis matrimonii Dominici et Iuliae, coniugum Sassi, ex titulo canonico impotentiae coëundi physice ad instantiam uxoris agitata; hodie, in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis praecitati Dominici Sassi assignato, comparuerunt medici, decisione diei 22 Maii 1900 N. . . . in qualitate expertorum deputati, qui pro fideliter et religiose exequendo commisso ipsis munere praestiterunt, adstante reo convento, iuramentum; quo facto, praefatus reus conventus iisdem medicis praesentatus est, omnesque protocollon hoc subscripserunt.

Dominicus Sassi. — Petrus De Petris. — Antonius Fabi. — Henricus Buttini. — In fidem. — C. Cassetta. — A. M. — I. Z.

His actio haec praeliminaris terminata et praesens protocollon clausum et subscriptum est. — C. Cassetta. — A. Marchetti. — I. Zeri.

Num. 32.
Medicus Fabi, scientiae principiis innixus, affirmat, virum ob onanismum, morbum syphiliticum et abusum alcoolismi impotentia antecedente laborare.

In examinando corpore rei Dominici Sassi ad tramites Instructionis ab Illmo Iudice nobis communicatae, honori mihi duco renuntiare sequentia.

Examinatus a me Dominicus Sassi annorum 40 aetatis, structura corporis et musculis bene evolutis, adiposus, subcutaneus, immoderatus; mensura pectoris 94 centimetr. habet, abdominis vero 104 centim. Tempore inspectionis systematis nervorum reflexus patellares auctos inveni, progressus, clausis oculis, magis titubans. Actio cordis paulum debilis. *Ante 27 annos laborabat morbo* **syphilis** *et adhibuit frictiones. In pueritia* **onanismo** *indulgebat,* sed spatium temporis nunc determinare non potest. Interrogatus de commercio carnali cum uxore respondet, se copulam carnalem cum uxore intentasse, *sed nihil quoad eius*

consummationem perfectam dicere posse. Conventus maritus aperte dicit, se mediocriter ebrietati indulgere.

Mons veneris contectus capillis atris; membrum virile mediocriter solidum. longitudo eius dimensionis in superficie dorsali continet 8 centim., glans penis in peripheria 7 $^1/_2$ centim., collum 7 centim.; scrotum contractum, testiculi mediocris magnitudinis magis elastici.

Opinio. Stratum adiposum, subcutaneum, immoderatum in tali aetate vitae necnon debilem actionem cordis ego censeo *esse effectum abusus alcoolismi;* insuper attendenda sunt: reflexus patellares genuum, motus titubantes in ambulando clausis oculis, nec non onanismus in pueritia et morbus syphiliticus ante 27 annos. *Solus abusus alcoolismi saepe est causa impotentiae;* insuper si attendamus anormales motus genuum testificantes de morbo spinae dorsalis (Myelites), dein morbum syphiliticum, onanismum in adolescentia, *haec omnia valde militant pro impotentia physica absoluta. Cum vero onanismus morbusque syphiliticus praecesserit matrimonium, probabiliter etiam abusus alcoolismi;* **existimo impotentiam hanc esse antecedentem.**

D.r Antonius Fabi.

In fidem. — C. C. — M. — Z.

Num. 33.
Medicus De Petris ex peracta accurata inspectione deducit. virum relativa impotentia laborare.

In examinando corpore rei Dominici Sassi ad tramites Instructionis ab Illmo Iudice nobis communicatae, honori mihi duco renuntiare sequentia.

Dominicus Sassi circiter 40 annorum aetatis, statura est procera atque solida corporis constructione. In compositione ossium nulla vitia inveniuntur. Cutis elastica cum optime evoluto strato adiposo. Musculi plene evoluti. Membranae pituitosae colores sunt iuxta normam communem. In pulmonibus inveni in notabili quantitate fluxum pituitosum, ictus cordis supressos, parietes arteriales elasticas. Abdomen satis convexum, stratum adiposum bene evolutum; in organis cavi abdominis nullae sunt visibiles mutationes pathologicae; hepar et lien nullis laborant vitiis; intestina mediocriter implexa, lingua impura.

Mons veneris contectus densis atris capillis. Species hastae virilis omnino regularis; longitudo eius a monte veneris usque ad glandem penis 9 cent. habet; crassitudo coronae glandis 9 centim.; cutis membri virilis levigata est et nullae cicatrices inveniuntur. — Praeputium

glandem penis tegit, et efformat parvum ostium, quod facile transmittit glandem penis. Frenulum praeputii nullas mutationes exhibet. Species glandis penis typica et orificium urethrale loco suo collocatum est; cutis glandis coloris subrosei, cicatrices penis et urethrae tempore palpitationis nullas irregularitates demonstrant. Scrotum inveni contractum, cutis vero in eo rugosa. Testiculus sinister aliquantulum minor, uterque pariter solidus; nulla durities hic observatur.

In funiculis spermaticis nullam irregularitatem observavi. Glandulae lymphaticae normales. In systemate nervorum praeter mediocres nervosos motus genuum et parvum tremorem digitorum aliae mutationes non apparent. Pupillae aequales in lucem regulariter agunt; lingua recte effunditur neque contremit; tactus cutis regularis est. Immobilitas vel inertia manuum pedumque nulla observata est. Activitas musculi cremasteris, maxime a parte leva, facile obtinetur.

Ex supradictis existimo indagatum a me D. Sassi esse potentem ad coëundum. Conventus maritus fassus est mihi se relative quoad uxorem suam *ad praesens esse impotentem ob defectum sympathiae;* alio in casu erectio membri fit, sed etiam tunc iaculatio seminis subitanea sequitur, quod irritabilitate causatur. *Talis status facultatis virilis est impotentia relativa.* — 11 Iunii 1900.

D.r Med. Petrus De Petris.

In fidem. — C. C. — M. — Z.

Num. 34.
Doctor Buttini, virum impotentia relativa affectum esse pariter affirmat.

In examinando corpore rei Dominici Sassi ad tramites Instructionis ab Illmo Iudice nobis communicatae, honori mihi duco renuntiare sequentia.

D. Sassi est vir statura procera et valida constructione corporis; annos aetatis 40 habet. Nulla vitia apparentia in organismo conspiciuntur. Cutis est mediocris crassitudinis; stratum adiposum sub-cutaneum satis abundans; in abdomine adipis multum, qua de causa venter magnus et inflatus est. Musculi mediocriter evoluti, structura ossea, nulla vitia apparent.

Pulmones non sunt aucti neque aliquae obdurationes inveniuntur; in bronchiis nullae mutationes observantur. Cor et arteriae in statu normali habentur; pariter nullas mutationes organa concoctionis et urethrae praebent. Ex parte systematis nervorum conspicitur irritabi-

litas et neurasthenia. Motus inordinati genuum paulisper apparent. Organa genitalia tali modo efformata sunt.

1° Mons veneris contectus est densis atris capillis. 2° Scrotum mediocris magnitudinis a frigore coarctatur. 3° Membrum virile absque ulla deformitate; longitudo eius a monte veneris usque ad glandem penis 11 centim., crassitudo in fundamento 8,5 centim., in glande penis vero 8 $^1/_2$ centim. In membro nullae cicatrices vel aliae mutationes morbosae inveniuntur. 4° Funiculus spermaticus absque ullo vitio; musculus cremaster paulisper mechanice irritatus agit. 5° Testiculi solitae mensurae, satis molles, sine ulla locali obduratione. 6° Epidydimi etiam nullas mutationes praeseferunt. 7° Prostata nulla ostendit signa pathologicae mutationis.

In vita sua indagatus aliquoties rheumatismo laborabat; una vice magno ulcere syphilitico laborabat, cui medebatur frictione unguenti cinerei; aliquoties trypro laborabat, qui tamen nec testiculos neque epidydimos attingebat. Nulla vestigia morbi diabetes melliti inveniuntur. Sassi confitetur se praesenti tempore *esse impotentem relative quoad suam uxorem* tantum; nam cum aliis mulieribus coitum perficere potest. Hanc impotentiam quoad actricem indagatus maritus explicat: *a*) defectu motus carnalis erga uxorem, *b*) quadam abominatione, *c*) generali debilitatione organismi.

His fundatus ad hanc persuasionem deveni: 1° apud D. Sassi nulla esse positiva documenta, quae aperte impotentiam eius demonstrare possint; 2° pariter nulla esse argumenta, quibus eius potentia ad coëundum probari posset. Aliquo etiam modo eius declarationem de propria impotentia confirmant: *a*) abundantia adipis subcutanei, praesertim in cavo abdominis, *b*) repetitus morbus trypri, *c*) aliquantulum debilis evolutio membri virilis respectu totius organismi; denique *d*) defectus concupiscentiae sensualis et etiam abominatio erga uxorem, quae proveniunt ex causa mere morali.

D.r Med. Henricus Buttini.

In fidem. — C. C. — M. — Z.

Num. 35.

Verbalis processus inspectionis corporalis vi-

Actum est (*nomen dioecesis*), in aedibus Curiae Episcop. N. . . . ad . . . . die 11 Iunii 1900 hora 2. pom.

In causa de nullitate matrimonii Dominici et Iuliae coniugum

Sassi hodie, adimpletis praeliminaribus in Cancellaria Iudicii Episcop. convenerunt in supradictis aedibus A. R. D. Iudex cum Defensore Sacram. matrim. et Notario Iudicii, nec non experti a Iudicio deputati. Inspectio peracta est in stricta applicatione Instructionis, a Iudicio confirmatae, in conclavi seiuncto sito e regione alterius, in quo aderant Membra Iudicii. Primus medicorum peregit inspectionem D.r Antonius Fabi, secundus D.r Petrus De Petris, tertius D.r Henricus Buttini, singuli seorsim, et omnes pariter seorsim, absoluto negotio, nullius exquisita sententia consignarunt illico in scriptis relationes cum opinionibus scientificis easque in manus Iudicis Delegati tradiderunt.

ri, ad tramitem instructionis S. C. rite expletae.

Quibus protocollon hoc clausum et subscriptum est. — Die ut supra.

Crispinus Cassetta — A. Marchetti — Ioannes Zeri.

Sessio Decima.

In Nomine Domini. Amen.

Actum est (*nomen dioecesis*) in Cancellaria Iudicii Episcop. die 11 Iunii 1900.

Num. 36. Medicus Fabi, ex pluribus ac certis notis repertis, iuratus iterum affirmat, reum absoluta impotentia laborare.

Praesentes: Iudex Delegatus Crispinus Cassetta Can. Eccl. Cathed. — Defensor Sacram. Matrim. A. Marchetti — Notarius I. Zeri.

In causa nullitatis matrim. Dominici et Iuliae coniugum Sassi ex titulo canonico impotentiae coëundi physice hodie, in termino ad protocollarem indagationem medicorum peritorum de peracta die hodierna inspectione corporis Dominici Sassi assignato, Iudex Delegatus imprimis monuit illos de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus; quo facto, iidem periti genuflexi et manu dextera ad Crucem applicata praestiterunt iuramentum de veritate dicenda. Quo facto, remansit medicus Antonius Fabi, alii vero in conclave contiguum secesserunt. Tum Vindex Sacramenti Matrimonii porrexit Iudici Delegato obsigillata interrogatoria, quibus apertis coepta est protocollaris indagatio ut sequitur.

Sum Antonius Fabi, annorum 60, catholicus, uxoratus, prolem habeo, medicus, officia religionis fideliter servo.

1. Ubi et quando cognovisti prima vice reum conventum Dominicum Sassi?

R. Conventum Dominicum Sassi prima vice vidi in Iudicio Ecclesiastico.

2. Vir, cuius corpus explorasti, eratne idem ipse, qui tibi hic in Aula Iudicii praesentatus est?

R. Super hac eadem persona inspectionem peregi, quae mihi fuit indicata.

3. Num, in inspiciendo corpore Dominici Sassi observasti stricte, quae tibi in Instructione a Iudicio confirmata sunt?

R. Inspectionem meam iuxta principia medicinae et *regulas Instructionis a Iudicio data peregi.*

4. Tuo iudicio, laboratne Sassi impotentia vel non?

R. Ex sequentibus signis existimo Sassi *esse impotentem: abusus alcoolismi, reflexus patellares aucti, morbus siphiliticus ante 20 annos, dein onanismus spatio trium annorum in pueritia. Haec omnia confirmant meam persuasionem. Cum vero morbus syphiliticus, onanismus et probabiliter abusus alcoolismi praecesserint matrimonium, ergo impotentia eius est antecedens,* quamvis omnino certus non sum et sententiam meam solummodo virginitas actricis probare possit. Signa praeteriti morbi syphilitici non vidi, sed credo propriae rei conventi confessioni. Reflexus cremasterum non observavi.

5. Quasnam causas assignare possis observatae impotentiae Sassi?

R. Sub. N. 9 infra.

6. Observata impotentia Sassi estne absoluta et perpetua, vel respectiva?

7. Impotentia praefata estne naturalis vel acquisita?

8. Utrum impotentia haec mediis chirurgiae ac medicinae, absque tamen dispendio sanitatis, tolli et auferri possit an non?

9. Opinio tua circa impotentiam Sassi estne certa vel tantum probabilis et quibusdam fulcitur principiis?

R. Ad 5, 6, 7, 8, 9. *Iuxta meam persuasionem facta et signa, quae impotentiam Sassi causaverint, amoveri non possunt; nam iudicio meo effectus tolli nequit.*

10. Regulariterne pupillae oculorum Sassi funguntur, tremitne lingua, quando de ore emittitur, quidque amplius hac in re addere valeas?

R. Pupillae oculorum in statu normali inveniuntur, neque lingua eius tremit. — Depositioni huic nihil amplius addere vel aliquid immutare habeo, illique iuro ac subscribo.

D.r Antonius Fabi.

Hinc deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. In fidem. — C. C. — M. — Z.

Num. 37.
Medicus Buttini coram Iudice deponit, virum impotentia relativa affectum esse.

Henricus Buttini sum, annum 47 ago, catholicus, religionisque meae officia servo. D.r medicinae, uxoratus, prolem habeo.

1. R. Prima vice Sassi in Iudicio vidi.

2. R. Inspectionem in persona mihi praesentata adimplevi.

3. R. Officium meum iuxta principia medicinae et Instructionem a Iudicio data explevi.

4. R. Nulla signa positiva apud Sassi eius impotentiae inveni; necnon nulla argumenta sunt, quae eius potentiam coëundi demonstrant. E contra adsunt quaedam circumstantiae, quae aliquam praesumptionem afferunt Sassi revera ad praesens impotentem esse respective uxoris suae. Et quidem 1) nimia abundantia adipis subcutanei praesertim in abdomine; 2) aliquantulum debilis evolutio membri virilis relative ad totum organismum; 3) repetitus morbus trypri; denique 4) defectus concupiscentiae erga uxorem. — Ratione istiusmodi circumstantiarum impotentia Sassi probabilis esse mihi videtur.

5. R. Tanquam causam probabilis impotentiae Sassi circumstantias in responsione praecedenti allatas existimo.

6. R. *Impotentia Sassi respectu actricis probabilis mihi esse videtur; attentis quod conventus maritus iam annum quadragesimum vitae agit; quod nullos fere motus carnales iam sentit; qua de causa curatio eius valde dubium effectum sortiri potest.*

Ad 7. et 8. R. Impotentia Sassi mihi videtur tractu temporis orta esse et probabiliter relativa *i. e.*, respectu eius uxoris. Impotentia haec iam post matrimonium contractum formata est. Rationibus vero in praecedenti puncto allatis, curatio eius valde dubium effectum sortiri potest.

9. R. Sententia a me prolata probabilis mihi esse videtur.

10. R. Nihil amplius addere habeo, depositioni huic subscribo et iuro.

D.r Med. Henricus Buttini.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — M. — Z.

Num. 38.

Tandem Doctor De Petris iuratus fatetur, virum impotentia relativa laborare.

Sum Petrus De Petris, annorum 34, catholicus, uxoratus, prolem habeo, doctor medicinae, officia religionis impleo.

1. R. Sassi in Iudicio prima vice novi.

2. R. In eadem persona inspectionem peregi, quae mihi indicata est in aula Iudicii.

3. R. Inspectionem iuxta Instructionem Iudicii adimplevi.

4. R. Nulla argumenta sufficientia impotentiae Sassi invenio Si vera sint, quae conventus maritus narrat, impotentia eius est relativa tantum *i. e.*, respectu actricis, quamvis pariter confessio eius nullis solidis argumentis fulciatur.

5. R. Cum impotentiam apud conventum maritum non invenerim, hinc neque eius causam explicare possum.

Ad 6. 7. 8. R. *Quo tempore impotentia Sassi oriri poterat, assignare non possum.* Status nervorum et compositio partium genitalium non indicavit eam antecessisse matrimonium.

9. R. Opinio mea mihi videtur omnino certa.

10. R. Depositioni meae nihil amplius addere habeo, huic subscribo et iuro.

D.r Med. Petrus De Petris.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — M. — Z. — Die ut supra.

C. Cassetta. — Al. Marchetti. — G. Zeri.

Num. 39.

Iudex statuit acta processus matrimonii Defensori communicanda.

Iudicium Episcopale . . . . . acta causae pro parandis ad diem 2 Aprilis an. seq. coniecturis votoque formando communicari statuit Defensori Vinculi matrim.

. . . . . , die 19 Februarii 1901.

† N. N. Episcopus — Notarius Iudicii, Zeri.

Num. 40.

Matrimonii Defensor petit, ut excutiantur medici, quos olim actrix et vir consuluisse dicitur.

Amplissimo Iudicio Episcopali . . . . .

In tabulis causae Sassi actrix, quae fieret mater, consuluisse deprehenditur medicos Amici, Franci, Albini. Reus item medicationis causa adiverat medicos Cimini et Rivini.

Convenienter ad S. C. U. In. Instructionem 20 Iunii 1883 an.

tit. 17 n. 47 rogo ampl.mum Iudicium indicatorum medentium excussione probationes suppleri.

. . . . . , 2 die Aprilis 1901.

Aloysius Marchetti. Matrim. Def.

Num. 41.
Petitioni Defensoris matrim. Iudex annuit.

Iudicium Ep. . . . . postulata Vindicis Sacram. Matrim., praecedenti pagina comprehensa, exequi statuit.

. . . . . die 2 Aprilis 1901.

E.pus ✝ N. N. — Notarius Iudicii, Zeri.

Sessio undecima.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 42.
Duo medici, quos actrix consuluisse dicitur, iuramentum praestant; dein autem excutitur doctor Amici, qui non recordatur, an aliquando actrix eum adierit.

Actum est . . . . . in Cancellaria Iudicii Episcopalis die 24 Maii 1901.

Praesentes: Iudex Delegatus, C. Cassetta. — Defensor Sacram. Matrim. Aloisius Marchetti S. Th. D.r. — Substitutus Notarii Franciscus Franchini.

In causa nullitatis matrim. Dominici et Iuliae, coniugum Sassi, hodie, in termino ad protocollarem indagationem testium assignato, citatis legitime partibus et praedictis testibus, Iudex Delegatus imprimis monuit omnes de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus, quo facto, testes genuflexi et manu dextra ad Crucem applicata, praestiterunt iuramentum de veritate dicenda. Deinde omnes in conclave contiguum secesserunt, excepto teste examinando. Tum Vindex Sacram. Matrim. porrexit Iudici Delegato obsigillata interrogatoria, quibus apertis, coepta est protocollaris indagatio, ut sequitur.

1. Nomen et cognomen, etc.

R. Nomen et cognomen mihi Fabius Amici, 50 an. vitae, catholicus, doctor medicinae, apud plateam S. Marci N. 20 habito.

2. A quonam tempore tu nosti Iuliam Sassi?

R. Ante quinque annos eam novi in domo D.ni Fabrizi et advocati De Lellis.

3. Quaesivitne et quando actrix Sassi apud te consilium?

R. Non memini actricem Sassi a me consilium aliquando petiisse, quamvis optime reminiscor personarum, quibus medebar. Qua de causa nihil amplius in causa hac deponere possum; depositioni meae huic iuro et subscribo.

D.r Fabius Amici.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — F. F.

Num. 43.
Doctor Rivini fatetur, se nescire, an reapse suum consilium vir petierit.

1. R. Nomen et cognomen mihi Iulius Rivini, 60 an. aetatis, catholicus, doctor medicinae, primarius sum hospitalis S. Agathae, in via Lata n. 10 habito.

2. R. Sanni omnino non novi, ex photographia eius personae minime reminiscor ac proinde in causa hac nihil declarare possum. Iuramentum de veritate dicenda atque dicta libenter praestabo. — Depositioni huic, alta voce mihi perlectae, subscribo.

D.r Iulius Rivini.

Testes Franci, Albini et Cimini legitime citati non comparuerunt.

His protocollon clausum et subscriptum est. — Die ut supra. — C. Cassetta. — A. Marchetti. — Fr. Franchini.

Num. 44.
Iudex novam actricis inspectionem corporalem a medicis peragendam esse decernit, ob quamdam peritorum discrepantiam.

Iudicium Episcopale . . . . . novam mulieris inspectionem per medicos tres perficiendam institui decernit, attenta discrepantia in relationibus obstetricum et medicorum.

. . . . . die 5 Novembris 1901.

Episcopus . . . . . ✝ N. N.

Notarius Iudicii, Ioannes Zeri.

Num. 45.
Iudex mandat a matrimonii Defensore iuramentum praestari eumdemque instructionem pro medicis exarare,

Iudicium Episcopale . . . . . Defensori Sacram. Matrim. acta causae ad formandam instructionem pro medicis, Ioseph Achilli, Antonio Fabi et Agesilao Maraschini corpus actricis Iuliae Sassi, natae Sanni, die 29 Decembris anno c. adstante matrona Maria Antolini inspecturis, communicari statuit.

. . . . . die 22 Septembris 1901. — Episcopus † N. N.

Notarius Iudicii I. Zeri.

Sessio decimasecunda

In Nomine Domini. Amen.

Num. 46.
Memorati medici et matrona iurant, se demandato munere fideliter functuros, ac dein opportuna instructio iisdem impertitur.

Actum est . . . . . in Cancellaria Iudicii Episcopali die 4 decembris 1901.

Praesentes: Iudex Delegatus C. Cassetta. — Matrim. Defensor Aloisius Marchetti S. Th. D.r. — Notarius Iudicii I. Zeri.

In causa Dominici et Iuliae, coniugum Sassi, de pronuntianda nullitate eorum matrimonii ex titulo impotentiae coëundi physica ad instantiam actricis agitata; hodie in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis praecitatae actricis Iuliae Sassi, assignato, comparuerunt medici et matrona decisioni diei 22 Septembris 1901 in qualitate expertorum deputati, qui pro fideliter et religiose exequendo commisso ipsis munere praestiterunt adstante actrice iuramentum; quo facto praefata actrix iisdem medicis et matronae praesentata est omnesque protocollon hoc subscripserunt.

Iulia Sassi — Ioseph Achilli — Antonius Fabi — Agesilaus Maraschini — Maria Antolini.

In fidem. — C. C. — A. M. — Z.

Deinde, actrice in contiguum conclave semota, communicata est medicis per Iudicem instructio de peragenda inspectione, attenta discrepantia relationum praecedentis revisionis. — Hisce actio praeliminaris terminata et protocollon subscriptum est. C. Cassetta. — A. M. — I. Zeri.

Num. 47.
Medicus Achilli, accurata inspectione peracta, fatetur, se plura et indubia virginitatis signa reperisse.

Ego infrascriptus, praestito ex decisione Iudicii Episcopalis in praesentia Delegatorum iuramento adimpletaque die 4 Decembris 1901, hora antemeridiana 12. in aedibus privatis ad plateam S. Michaelis n. 10 revisione corporis Iuliae Sanni, honori mihi duco renuntiare Excelso Iudicio sequentia.

In revisione partium externarum corporis Iuliae Sassi compositionem organismi omnino regularem sine ullis vitiis inveni; aetatis actrix habere videtur 38-40 annos; statura gracili, musculi bene evoluti. In speciali revisione pulmonum, cordis et abdominis cum aliis partibus nihil irregulare inveni, mammae bene evolutae sunt, rotundae et solidae, areolae ex nigro subroseae, papillae plane evolutae; cutis abdominis levigata, alba, intacta absque cicatricibus vel striis. Mons veneris contectus capillis nigris. Labia maiora, subrosei coloris, non omnino invicem cohaerent, contegunt et labiis minoribus adiacent; ostium non est apertum, quod digitis extenditur; revidendo ulterius invenimus locum hymenis assignatum non multis verrunculis, non autem carunculis myrtiformibus, quae post dilacerationem hymenis remanere solent. Ulterius digitum immittendo per satis arctam vaginam pervenitur usque ad collum uteri; in superiori autem parte invenitur magis evoluta clitoris.

Omnibus allatis bene perpensis, ad hanc opinionem deveni: quamquam non invenimus hymenem, *nulla quoque signa dilacerationis conspicimus*, *carunculae enim istae inaequales non sunt reliquiae hymenis*, sed sunt parvae verrunculae vel obdurationes quaedam, quae possunt esse initia hymenis imperfecte evoluti; praeterea totus canalis vaginae arctatus et inctactus apparet. Mammae sunt ratione structurae et soliditatis *omnino virgineae*, ac pariter cutis in abdomine levigata et integra, quae omnia demonstrant *organa genitalia esse virginis* cum vitio organico imperfecte evoluti hymenis, qui, videtur, nunquam extitit.

D.r Ioseph Achilli. — In fidem. — C. C. — A. M. — Z.

Num. 48.
Doctor Fabi, quibusdam recensitis integritatis notis, declarat, actricem copulam perfe-

Ego infrascriptus, praestito ex decisione Iudicii Ep. in praesentia Delegatorum iuramento adimpletaque die 4 Decembris 1901 hora autem 11 in aedibus privatis ad plateam S. Michaelis revisione corporis Iuliae Sassi, natae Sanni, honori mihi duco renuntiare Excelso Iudicio sequentia.

Iulia annorum supra 30, structuram corporis robustam habet; pars adiposa et musculi bene evoluti; charactere hilari, sana esse videtur. ctam nunquam perfecisse.

In revisione externorum partium, mammas solidas et extantes inveni, areolae circ. 3 cent. in diametro habent et coloris rosei, papillae parvae, solidae et coloris magis subfusci. Abdomen rotundus, elasticus, absque cicatricibus et linea alba. Constructio pelvis omnino regularis est. Mons veneris contectus atris et densis capillis cum bene evoluta fascia adiposa. Labia maiora stricte invicem cohaerent intus cum membrana pituitosa coloris rosei, quae in parte inferiori frenulo (labiorum) integro et inlaeso finiunt; perinaeum pariter integrum est. Labia minora coloris rubro-subfusci, satis magna, labiis maioribus non exstant. In superiori parte labiorum clitoris conspicitur, quae maior est, quam ordinarie esse solet, glans clitoris satis eminens est. Magis infra invenitur hymen crassus, parum elasticus cum ostio ovato unius centimetri in diametro; immisso digito indice, dilaceratio conspicitur et digitus libere introducitur.

Opinio. Status mammarum demonstrat, Sassi nunquam nutrisse; forma vero abdominis pariter indicat, eam nunquam genuisse, quibus argumentis etiam integritas frenuli accedit. In organis genitalibus inveni nimis auctam clitoridem, quae tamen non potest huiusmodi obstaculum esse, quominus copula carnalis non consummetur. Hymenem quod attinet, quamvis iste laceratus sit, *attamen non efformat carrunculas myrtiformes*, et haec dilaceratio fieri potuit conatibus adimplendi coitum, qui puto non est perfectus, ut constructio totius vaginae demonstrat.

D.r Henricus Fabi. — In fidem. — C. C. — A. M. — Z.

Num. 49.

Doctor Maraschini, cum plura et certa virginitatis signa conspexerit, sibi contradicens, censet cum absoluta certitudine affirmari non posse, copulam perfectam numquam peractam fuisse.

Ego infrascriptus, praestito ex decisione Iudicii Ep. in praesentia Delegatorum iuramento adimpletaque die 4 Decembris 1901 hora autem 11 in aedibus privatis ad plateam S. Michaelis n. 10 revisione corporis Iuliae Sassi, natae Sanni, honori mihi duco renuntiare Excelso Iudicio sequentia. — Generalia. Actrix ann. 35-38 aetatis, composita corpore regulariter; nulla exhibet vitia in corpore, quae aliquam abominationem causare possunt; mulier haec sana est.

Mammae mediocris magnitudinis satis tenues, sed non remissae. Papillae parvae, roseae et in contrarias partes descendentes. Areolae

papillarum pariter parvae, roseae absque glandulis. Mammae non lactaverunt. Abdomen mediocriter convexus, satis solidus, sine ullis cicatricibus et striis; linea alba absque colore. Mons veneris mediocriter evolutus, exiguis atris capillis contectus est; rima pudendi clausa. Labia maiora bene evoluta, coloris fusci et tenuia. labia minora pariter tenuia et aliquantulum extensa, ex maioribus extant. Clitoris mediocris magnitudinis contecta praeputio, frenula perineumque integra. Ingressus in vaginam duplex, divisus intervallo transverso aliquantulum oblique ita, ut vagina in duas partes dividatur, scilicet superiorem et inferiorem. Pars superior vaginae contecta est hymene parvulo, duro, refractario cum exiguo ostio in medio (hymen anularis); orificium hymenale neque finem digiti minimi immittit. Latera membranae sunt levigata, absque cicatricibus et dilacerationibus; color eius roseus ubique similis. Infra hymenem invenitur alterum ostium seu inferior pars vaginae, quod non tegitur hymene; ostium hoc est infundibuliforme ad intus coangustans se et finem digiti indicis cum quadam resistentia transmittit. Hic invenitur inferior introitus in vaginam; rugae in vagina bene observari possunt; fluxus nullus e vagina apparet.

Opinio. In casu nostro vagina est duplicata, seu sic dicta vagina septa. In quantum iudicare possum ex immissione digiti indicis in partem inferiorem, utraque pars nullam secum communicationem habet. Pars superior stricte conclusa est, hymen cum parvulo in medio orificio hymenali, pars vero inferior digitum indicem transmittit. Fueritne copula carnalis consummata, difficile est aliquod certum et cathegorice affirmare; qua de causa quaestio, quoad virginitatem actricis, indecisa remanet. Haec tantum sunt certa, actricem nunquam peperisse et lactasse.

D.r Agesilaus Maraschini.

In fidem. — C. C. — A. M. — Z.

Num. 50.

Matrona Antolini refert, instructionem medicis impertitam adamussim fuisse executioni demandatam.

In causa etc. ego infrascripta ab Excelso Iudicio Ep. decisione de die 22 Septembris 1901 assignata sum ad vigilandum, ut medici rite corpus actricis Iuliae Sanni perspicerent. Expleto iuramento in camera iudiciali, domum in platea S. Michaelis adveni, ubi, praeter Membra Iudicii Ep., etiam medici I. Achilli, H. Fabi et A. Maraschini comparuerunt.

Iuxta instructionem a Iudicio mihi datam, praesens fui infusioni aquae in balneum, postea invitavi medicos ad verificandam eius qualitatem; dein, ianua occlusa, actricem Sanni adiuvabam in deponendis vestibus et ingressu in balneum cum aqua *28 R. caloris; lavatio sine ullis vestibus 45 minuta durabat.* Absoluta lotione et detersione corporis actricis, invitavi D.rem I. Achilli ad actionem inspectionis, astiti et diligenter medicum observabam, qui officium suum stricte iuxta instructionem a Iudicio datam adimplevit. Peracta revisione per medicum Achilli, alterum invitavi D.rem Fabi, post hunc vero D.rem Maraschini.

Unusquisque medicorum seorsim inspectionem corporis actricis peregit et statim egressus est in conclave contiguum ad relationem conscribendam. Toto tempore balnei et inspectionis ego silentium observabam et nemo amplius in cubiculo hoc praesens erat.

Maria Antolini.

In fidem. — C. C. — A. M. — Z.

Sessio Decimatertia.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 51. Verbalis processus corporalis inspectionis mulieris rite peractae.

Actum est . . . . . in Platea S. Michaelis N. 10 die 4 Decembris 1901.

Praesentes: Iudex Delegatus, Can. C. Cassetta. — Defensor Vinculi Matrim. Aloisius Marchetti. — Not. Iudicii Ioannes Zeri.

In causa etc., hodie in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis praefatae Iuliae Sassi assignato, adimpletis in Cancellaria Iudicii Episcopalis praeliminaribus de quibus supra, convenerunt hic Membra Iudicii, medici periti et matrona; posteriores ad peragendam commissam ipsis actionem inspectionis, priores vero ad invigilandum, ut actio, de qua, conficeretur accuratissime, secundum instructionem hac in re a Iudicio approbatam.

Medici accersiti a matrona, omnium primum, verificaverunt qualitatem aquae, balneo praeparatae, quo clausis ianuis, praesenteque solum tantum matrona, usa est *actrix spatio 45 momentorum.* Tem-

pore hoc transacto, ad signum matronae, introivit conclave medicus Achilli et adstante matrona, corpus actricis de visu et tactu exploravit. Simili modo eandem actionem explevit evocatus Fabi et ultimo eodem modo medicus Maraschini, quisque singillatim factis notulis in praesentia Membrorum Iudicii pro formanda adaequata relatione cum opinione medica. Matrona relationem paratam ad manus Notarii Iudicii deposuit.

His protocollon absolutum et subscriptum est.

Die ut supra. — C. Cassetta. — A. Marchetti. — I. Zeri.

Sessio Decimaquarta.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 52. Doctor Achilli iuratus fatetur, quod *omnia signa externa militant pro actricis virginitate.*

Actum est . . . . . in Cancellaria Iudicii Episcopali die 6 Decembris 1901.

Praesentes: Iudex Deleg. C. Cassetta, Can. — Defensor Sacram. Matrim. A. Marchetti, S. Th. Dr. — Notarius Ioannes Zeri.

In causa etc. hodie in termino ad protocollarem indagationem medicorum-peritorum et matronae de peracta die 4 Decembris 1901 inspectione corporis actricis Iuliae Sanni assignato, citatis legitime praedictis peritis et matrona, Iudex Delegatus imprimis monuit illos de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus; quo facto, iidem periti genuflexi et manu dextera ad Crucem applicata, praestiterunt iuramentum de veritate dicenda.

Deinde remansit D.r Achilli, alii vero in conclave contiguum secesserunt. Tum Vindex Sacramenti Matrim. porrexit Iudici Delegato obsigillata interrogatoria, quibus apertis coepta est protocollaris indagatio, ut sequitur.

1. Nomen et cognomen etc.

R. Nomen cognomenque mihi Ioseph Achilli, 60 annorum, habito ad plateam Albani N. 20, medicus, catholicam fidem profiteor, officia religionis adimpleo.

2. Ubinam primum nosti Iuliam Sanni? eademne est persona, cuius corpus una cum aliis medicis inspexisti die 4 Decembris 1901

an. in habitaculo ad plateam S. Michaelis N. 10, quae tibi in Cancellaria Iudicii est praesentata?

R. Iuliam Sanni prima vice vidi in Cancellaria Iudicii et eiusdem corporis revisionem adimplevi.

3. Scisne et data tibi fuit instructio, a Iudicio praescripta, in tali revisione peragenda?

R. Affirmative ad utrumque.

4. Quomodo obligationi tuae ante revisionem satisfecisti, scilicet: *a*) eratne conclave satis, lucidum? *b*) quisnam qualitatem aquae ad balneum praeparatae verificavit? *c*) quot gradus caloris aqua habuit? *d*) eratne aqua ista pura et absque commixtione alicuius medicamenti? *e*) quandiu Sanni balneo usa est?

R. Conclave assignato pro adimplenda inspectione erat omnino lucidum; *qualitatem aquae omnes nos medici verificavimus et erat 29 graduum caloris;* aqua ista omnino pura sine admixtione alicuius liquoris erat; *Sanni in balneo per 45 minuta permansit.*

5. Quo ordine, in cuiusnam praesentia et quomodo ipsam actionem revisionis adimplevisti, speciatim: *a*) observastine bene generalem constructionem actricis, stante illa, et speciali modo organa genitalia, eadem in lecto recumbente? *b*) quaenam est generalis compositio physica organismi Sanni? *c*) quamnam speciem externam habent eius mammae, abdomen, organa genitalia? *d*) et quamnam speciem, constructionem et statum interna organa genitalia nunc habent? estne aliqua in iis irregularitas et deformitas?

R. Cum matrona nuntiavit Sanni iam lotionem finisse, primus cubiculum introivi et, adstante eadem matrona, generalem statum organismi actricis investigavi, quae contecta sindone prope fenestram stabat. Mammas eius inveni solidas, rotundas et virgineas, abdomen planum, cutim levigatam sine striis, cicatricibus et signis partus. Dein actrix in lectum se contulit et tunc observavi, quod labia maiora coloris subrosei contegunt labia minora, non perfecte invicem cohaerendo. Ostium apertum non erat, quod digito tantum aperitur. Digitus introivit satis facile et in loco hymenis inveni 4-5 ecthymas membranae pituitosae; postea digitus libere usque ad matricem attigit.

6. Innixus observationi propriae quaenam est sententia tua circa sequentes: *a*) estne Sanni idonea physice ad perficiendum coitum cum unoquoque viro? *b*) suntne in corpore Sanni aliqua signa sive externa sive interna, quod *a*) illa matrimonium consummavit, *b*) praegnans erat vel iam peperit? *c*) estne Sanni adhuc virgo, an non?

R. Sanni est idonea ad copulam carnalem perficiendam cum unoquoque viro. *Nulla sunt signa externa coitus adimpleti;* interna vero signa i. e. defectus hymenis non sinunt mihi affirmare, copulam consummatam non esse. Nulla omnino adsunt signa praegnationis vel partus. *Omnia signa externa militant pro eius virginitate. Status insolitus eius hymenis mihi videtur omnino naturalis*, i. e. *a nativitate hymen non erat perfecte evolutus;* qua de causa non possum absolute affirmare, habueritne illa commercium carnale cum viro, an non.

7. Cuinam tradidisti relationem in scriptis de peracta inspectione?

R. Relationem meam, propria manu scriptam, dedi in habitaculo Defensoris Vinculi eius fratri; sed relatio erat obsigillata.

8. Habesne aliquid addere tuae depositioni, illamque voce clara perfectam accipis illique subscribis ac iuras?

R. Nil amplius hic addere possum; depositionem hanc meam esse agnosco, illi subscribo et iuro.

D.r Ioseph Achilli.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z.

Num. 53.
Medicus Maraschini dum fatetur, mulieris hymenem esse integrum cum parvulo ostio, sibi contradicens, virginitatem se affirmare non audere dicit.

Ad 1. R. Nomen et cognomen mihi Agesilaus Maraschini, 40 annorum, ad plateam S. Claudii N. 8 habito, catholicus, medicus, officia religionis expleo.

Ad 2. R. Actricem Sanni cognovi ante viginti annos; nunquam ei medebar aut eam auscultabam. Aliquot diebus ante inspectionem actrix venit ad me, narravit de peragenda secunda inspectione medicali et rogavit, ne eam perderem. Ad propositionem hanc responsum ei praebui, me sub iuramento processurum esse, posthabito omni humano respectu. Revisionem corporis Sanni die 4 Decembris in habitaculo ad plateam S. Michaelis N. 10 peregi.

Ad 3. R. Instructionem a Iudicio datam novi et accepi.

Ad 4. R. Conclave designatum pro inspectionem erat omnino lucidum, *aquam omnes medici verificavimus et habebat 29⁰ caloris*, erat pura sineque admixtione alicuius liquoris; *Sanni lotione spatio 45 minutorum usa est.*

Ad 5. R. Ego ordine tertius adimplevi inspectionem corporis actricis, quae toto tempore in lecto iacebat. Mammas mediocris ma-

gnitudinis habet, satis solidas respective suae aetatis et virgineas; *abdomen virginalis absque ullis cicatricibus, linea alba sine colore.* Labia maiora non perfecte contegunt minora ita, ut labia minora aliquantulum maioribus exstent. *Hymen est integer cum valde parvulo ostio in medio, neque finem digiti minimi transmittit.* In parte superiori invenitur ostium in specie infundibuliformi, quod facile digitum indicem transmittit. *Existimo in casu esse duplicem vaginam « vagina septa » et anormalitatem hanc a nativitate existere.*

Ad 6. R. Sanni idonea est ad perficiendam copulam iuxta normam communem cum unoquoque viro sive per ostium inferius sive superius, si possit illud extendi. Cum introitus in ostium inferius omnino facilis sit et omnis hasta virilis immitti possit, ideo non possum affirmare vel negare coitum cum marito. Nulla signa graviditatis vel partus apud Sanni inveni; ordinarie mulieres cum tali vitio organico rarissime praegnantes fiunt. Estne adhuc Sanni virgo, affirmare non audeo, *quamvis ostium superius sit virginale*, sed tamen, ut superius dixi, liberrime ope ostii inferioris copulam carnalem perficere potuit.

Ad 7. R. Relationem meam manu propria conscriptam et obsigillatam uxor mea. absente domi Defensore, famulo eius tradidit.

Ad. 8. R. Depositioni meae huic nil amplius addere cupio, eam uti propriam agnosco illique subscribo ac iuro.

D.r Agesilaus Maraschini.

Hic deponens iuramentum praestitit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem, — C. C. — A. M. — Z.

Num. 54.

Doctor Fabi asserit, quod nulla exstant in actrice signa externa vel interna completi coitus, et tamen, in contradictionem incidens, eiusdem virginitatem certam haud esse putat.

Ad 1. R. Nomen et cognomen mihi Henricus Fabi, 62 annorum, ad viam Latam N. 40 habito, catholicus, medicus, officia religionis adimpleo.

Ad 2. R. Sanni nota est mihi ab aliquot annis; nam tunc consilii medicalis causa venit, sed morbi immemor sum. Postea eam apud notos saepe videbam. Ante revisionem advenit ad me et excusabatur ab absentia sua in termino 29 Novembris, declaravitque die 4 Decembris sese ad peragendam inspectionem corporis comparituram esse. Organa genitalia actricis nunquam ante iudicialem revisionem inspexi,

hanc ultimam die 4 Decembris ann. curr. in domo ad plateam S. Michaelis N. 10 peregi.

Ad 3. R. Instructionem pro tali inspectione, ab Iudicio praescriptam, novi et haec mihi communicata est.

Ad 4. R. Conclave assignatum pro adimplenda iudico-medicali inspectione lucidum erat. *aqua pura, verificata ab omnibus medicis, ad 29 % calefacta. Actrix Sanni balneo 45 minutis usa est.*

Ad 5. R. Sanni inveni in lectulo cubantem sed ad peragendam externam inspectionem corporis surrexit. Mammas extantes, satis solidas et virgineas inveni, abdomen rotundum, *sine cicatricibus in linea.* Dein actrix recubit in lectulo et ego organa genitalia revidere coepi. Apertis labiis maioribus minoribusque, conspexi quamdam anormalitatem, scilicet, clitoridem auctam, hymenem ex parte dextra laesum. Ostium inveni unum, rotundum et digitus meus index usque ad secundum membrum in illud introivit.

Ad 6. R. Existimo Sanni idoneam esse ad perficiendam copulam carnalem cum unoquoque viro; nam aucta clitoris minime obstat, quominus membrum virile vaginam penetrare possit. *Nulla sunt signa externa vel interna completi coitus,* graviditatis et partus. Cum autem actrix hymenem laesum habeat, affirmare, eam esse adhuc in statu virginitatis, non possum.

Ad 7. Relationem hanc, manu propria conscriptam et bene obsigillatam, absente domi Defensore, eius famulo dedi, ut eam domino suo traderet.

Ad 3. R. Depositioni meae nil amplius addere habeo, eam uti propriam agnosco, subscribo ac iuro.

D.r Henricus Fabi.

Hic deponens iuravit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — Z.

Num. 55.

Matrona iurata deponit, corporalem actricis ispectionem, iuxta impertitam instructionem, ad unguem peractam fuisse.

1.° Quale nomen et cognomen etc.

R. Nomen et cognomen mihi Maria Antolini, 50 annorum, catholica, ad plateam S. Aloisii N. 20 habito, officia religionis adimpleo.

2.° Unde nosti Iuliam Sanni? estne eadem persona, cuius corporis tres medici-periti die 4 Decembris an. c. in domo ad plateam S. Michaelis N. 10 inspectionem adimpleverunt?

R. Sanni in Iudicio prima vice novi eiusdemque corporis revisionem medici peregerunt.

3.° Estne tibi nota instructio ab Iudicio praescripta in tali casu et accepistine eam ?

R. Instructionem scrutavi bene eaque mihi tradita est.

4.° Quomodo officio tuo functa es ? ; *a*) lucidumne conclave erat ; *b*) quis qualitatem aquae verificavit ; *c*) quot gradus caloris aqua ista habuit ; *d*) eratne omnino pura, absque ulla admixtione suspecti liquoris ? ; *e*) erantne ante lotionem vel post aut tempore balnei adhibita aliqua medicamenta ad simulandam virginitatem ? ; *f*) quale spatium temporis actrix in balneo mansit ? ; *g*) quomodo actrix tempore balnei et inspectionis se gessit ? ; *h*) esne locuta et de quibus rebus cum actrice vel cum medicis ? ; *i*) eratne quis alienus praesens tempore inspectionis ? ; *j*) quid tu agebas tempore lotionis et revisionis actricis ? : *k*) quo ordine et quomodo medici actionem suam peregerunt ? ; *l*) eratne aliquis sermo inter actricem et medicos, de quibusnam loquebantur.

R. Cubiculum, in quo balneum et inspectio peracta sunt, omnino lucidum erat. *Omnes tres medici qualitatem aquae verificaverunt, quae pura, sine ullo liquore, calefacta ad 29° fuit ; nulla remedia ad virginitatem simulandam actrix Sanni neque ante neque post lotionem adhibuit, balneum 45 minutis duravit.* Sanni confabulabatur mecum de sua adolescentia, tempore vero inspectionis silentium servavit. In cubiculo isto praeter me et medicos nemo amplius aderat. Achilli primus medicorum inspectionem adimplevit, dein Fabi et ultimo loco Maraschini ; duo primi stantem actricem in externis organis, Maraschini vero cubantem in lecto inspexerunt. Tempore lotionis sedebam, tempore revivisionis vero stabam apud pedes actricis.

5.° Cuinam dedisti relationem tuam scriptam de his, quae vidisti et audisti tempore inspectionis ?

R. Relationem meam manu propria conscriptam die 5 Decembris Notario Iudicii Episcopalis tradidi.

6.° Cupisne aliquid addere depositioni tuae eamque agnoscis uti propriam ? Parata es iuramento et subscriptione veritatem dictorum confirmare ?

R. Depositioni meae nil amplius addere vel detrahere habeo, eamque mihi perlectam meam agnosco, iuro et subscribo.

Maria Antolini.

Hic matrona iuramentum emisit de veritate dicta et silentio servando. — In fidem. — C. C. — A. M. — I. Z.

His Protocollon clausum et subscriptum est.

Die ut supra. — Crispinus Cassetta — A. Marchetti — I. Zeri.

Num. 56. Designatur dies publicationis actorum suppletivae inspectionis.

Iudicium Episcop. . . . . precibus actricis, viva voce interpositis, annuendo, cum Vindex Sacram. Matrim. nihil opposuerit, conclusionem in causa decernit terminumque ad publicationem actorum in diem 22 Decembris ann. curr. assignat, ad quem Defensorem Sacram. Matrimon. et reum conventum citari mandat.

. . . . . die 15 Decembris 1901.

† N. N. Episcop. A. Marchetti — N. N. Defensor Sacram. Matrim. — Notarius Iudicii, I. Zeri.

Num. 57. Iudex ad beneplacitum actricis reliquit terminum instantiae proponendae.

Iudicium Episc. . . . . peracta hodie publicatione suppletoria actorum, precibus procuratoris actricis, viva voce interpositis, annuendo, terminum instantiae proponendae ab beneplacitum eiusdem actricis reliquit.

. . . . . die 22 Decembris 1901.

Iudex deleg. Crispinus Cassetta Can. Eccl. Cathedr. — Notarius Iudicii, I. Zeri.

Num. 58. Iudex designat diem sententiae ferendae.

Iudicium Episcop. . . . . precibus actricis, viva voce interpositis, annuendo, terminum sententiae definitivae ferendae in diem 17 Maii an. seq. assignat, ad quem reum conventum et Defensorem Sacram. Matrim. citari mandat.

. . . . . die Maii 1902.

† N. N. Episcop. — Notarius Iudicii, I. Zeri.

Num. 59. Episcopalis Curia declarat in

Actum est . . . . . in publica causarum audientia Iudicii Episc. die 17 Maii 1902.

Sedente pro Tribunali Vincentio N. N. Episc. . . . . — Praesentibus: Crispino Cassetta Can. Eccl. Cathedralis, Iudice Delegato — Aloisio Marchetti, Defensore Vinculi Matrim. — Ioanne Zeri, Notario Iudicii.

sua sententia, satis constare tum de virginitate mulieris, tum de impotentia viri, cum aliqua tamen formidine oppositi propter quemdam peritorum dissensum.

In causa nullitatis matrimonii coniugum Sassi, ad instantiam actricis Iuliae Sanni . . . . . ad plateam S. Lazzari habitantis contra maritum Dominicum Sassi . . . . . ad plateam Minorem N. 17 habitantem et personaliter comparentem ex titulo impotentiae physicae.

EXPOSITIO CAUSAE

Actrix die 11 Novembris . . . . . Iudicio Episcop. supplicem libellum porrexit, in quo exposuit, se die 10 Ianuarii . . . . matrimonium cum convento marito contraxisse, in Ecclesia parochiali S. Alphonsi . . . . . benedictum. — Brevi tempore maritus copulam carnalem perficere conabatur, quam spatio aliquot mensium iterabat, quamvis rarius et dein omnino cessavit, coitu minime perfecto. Frequentes conatus sanitati actricis nocebant, quae inde magnam abominationem erga maritum suum sentiebat; decursu temporis reus conventus ebrietati indulgere coepit extraque domum commorari; qua de causa ab inanibus conatibus perficiendi copulam liberata est.

Actrix existimat, se adhuc virginem esse, ideoque petiit, ut Iudicium Episcop. matrimonium eius nullum ex titulo impotentiae physicae mariti declararet. Cum decisione Iudicii Episcop. de die 16 Maii . . . coniugibus Sassi *separatio ad tempus indefinitum ex culpa conventi mariti pronuntiata esset,* tentatio reconciliandi eos omissa est, et vigore decisionis diei 14 Novembris 1899 Defensor vinculi Sacram. Matrim. die 16 Ianuari . . . . iuramentum praestitit. Die vero 20 Ianuarii 1900 actrix iuravit de vere dicendo et de vere dictis deposuitque protocollariter declarationem suam iuxta interrogatoria a Defensore proposita.

Actrix declaravit, maritum prima sequente nocte, contracto matrimonio, copulam adimplere conatum esse, sed absque felici successu; conatus istos iteratos esse semel in mense; fere ordinarie conventum maritum in statu ebrietatis officia coniugis attentasse, semper tamen sine effectu; quapropter hucusque virginem manere.

Die 10 Martii eiusdem anni conventus maritus *sine iuramento de-*

posuit, se coitum statim post matrimonii benedictionem perfecisse bono cum effectu; in decursu primi anni se aliquoties in hebdomada cum uxore copulasse, postea rarius, denique semel in hebdomada. Nonnunquam accidisse, ut membrum virile tempore perficiendae copulae non esset erectum. Elapso anno post nuptias, uxorem de sedili cecidisse in terram, qua de causa vel ex debilitatione coniuncta cum typho abortum factum esse; quatuor aut quinque annis post celebrationem matrimonii sese minus idoneum ad reddendum debitum maritale sensisse.

Decisione Iudicii de die 12 Martii 1900 elencus testium septimae manus utriusque coniugum approbatus est, videlicet, Eduardus Marini, Anna Sanni-Ilarini, Augustus Sanni, Anna Villa et Augusta Lancisini, qui sub iuramento dierum 7 et 26 Aprilis 1900 testimonia sua deposuerunt.

Approbata instructione a Iudicio pro medicis — peritis et obstetricibus iisque assignatis, die 10 Maii 1900 inspectio corporis actricis peracta est, emisso tamen prius a personis, ad revisionem electis, religioso iuramento. Depositis prius relationibus in scriptis ab obstetricibus, medicis et matrona, die 14 Maii 1900 sub iuramento, dictae obstetrices observationes suas iuxta interrogatoria a Defensore elaborata deposuerunt.

Et quidem: 1° Anna Basilischi declaravit, *totam compositionem corporis actricis esse virginalem, hymenem constare duabus laminis et in quo ostium angustum esse.* Quoad consummationem matrimonii nil positivum in casu dicere posse.

2° Ioanna Amati narravit, *organismum totum actricis adhuc esse virginalem, hymenem constare duabus partibus cum ostio in forma trianguli, in quo digitus minimus immitti potest et actrix ab ea virgo existimatur.* Conatus adimplendi coitum adesse, nam inter frenulum et membranam irritatum ac saucium corpus esse.

3° Maria Galassi deposuit, *hymenem esse illaesum cum ostio triangulari,* in quo digitus minimus immitti potest; *compositionem corporis esse virginalem; iuxta suam opinionem actrix virgo adhuc esse videtur.* Ex constructione organorum genitalium nil certum de coitu adimpleto ab ea iudicari potest.

Eadem die sub iuramento deposuit suas observationes matrona Agatha Martorelli. Die vero 8 Iunii 1900 pariter sub iuramento medici periti suas conclusiones deposuerunt iuxta interrogatoria a Defensore proposita.

Et quidem: 1° Petrus De Petris *invenit actricem in statu virgi-*

nali; nam hymen illaesus adest, attamen ratione extraordinariae eius compositionis coitus locum habere potuit.

2° Eduardus Malachi innixus principiis, quae iam superius De Petris dilucidavit, pariter probabiliter actricem esse virginem existimavit, minime tamen excludendo in casu perfectam copulam.

His peractis, medici-periti decisione Iudicii de die 29 Maii 1900 pro revisione corporis mariti conventi designati sunt, nec non instructio ad haec approbata. Revisionem rei conventi medici iurati die 11 Iunii 1900 adimpleverunt relationesque suas in hac re in scriptis deposuerunt; eodemque die sub iuramento iuxta interrogatoria Defensoris opiniones scientificas oretenus in Iudicio praestiterunt. — Primus peritorum medicus Henricus Fabi ob praeteritum morbum syphilidis, habitum alcoolismi et nimiam abundantiam adipis contendit, *conventum maritum obnoxium esse impotentiae absolutae, antecedenti et incurabili; certitudinem hanc fundat in signis adinventis apud actricem virginitatis.*

Duo alii medici Henricus Buttini et Petrus De Petris admittunt *in casu impotentiam relativam*, et quidem primus ob abundantiam nimiam adipis in organis rei conventi et ob debilem evolutionem membri virilis; secundus autem admittit *impotentiam relativam in quantum reo fides dari potest;* nam ipse peritus nulla signa evidentia existentis impotentiae invenit. Uterque impotentiam hanc uti subsequentem decernunt.

Cum utraque pars in depositionibus suis declarasset, se medicos Franci, Albini, Cimini et Rivini consuluisse, Iudicium Episcopale decisione de die 2 Aprilis 1901 ad instantiam Defensoris Vinculi Matrim. praedictos medicos indagare statuit. Non obstante legitima citatione, Franci, Cimini et Albini in Iudicio non comparuerunt; Rivini vero et Amici sub iuramento die 24 Maii 1901 notitias suas deposuerunt.

Attenta discrepantia in relationibus medicorum et obstetricum, Iudicium, decisione diei 5 Novembris 1901 lata, novam corporis actricis per tres medicos, adstante Matrona, revisionem faciendam decernit.

Assignatis medicis-peritis et matrona, instructione ad hunc finem approbata a Iudicio, die 4 Decembris 1901 nova haec inspectio peracta est, eiusdemque revisionis relationes suas in scriptis eodem die medici matronaque in Iudicio deposuerunt. Die autem 6 Decembris eiusdem anni, medici et matrona iuxta interrogatoria a Defensore elaborata sub iuramento observationes oretenus deposuerunt. — Primus peritorum Ioseph Achilli compositionem *actricis virginalem invenit*, sed

defectum hymenis totalis observavit; hanc anormalitatem esse naturalem i. e. a nativitate asseruit, de qua causa difficile definire, habueritne actrix commercium carnalem perfectum cum marito, an non; actricem esse idoneam ad copulandum censuit.

Secundus medicus Agesilaus Maraschini *omnia signa virginitatis apud actricem invenit; iuxta eius opinionem actrix duplicem vaginam (vagina septa) habet; in una parte hymen est integer cum ostio,* in altera vero hymen omnino deest et in eius ostium omne membrum virile immitti potest; cum autem actrix ad coitum idonea sit, ideoque facile copula adimpleta esse potuit.

Tertius medicus Henricus Fabi pariter speciem externam et compositionem *actricis virginalem invenit;* cum autem hymen violatus sit in parte dextera, hac de causa actricem esse adhuc virgiuem affirmari nequit, etsi nulla evidentia signa copulae adimpletae adsint in casu.

Conclusione in causa facta actisque pubblicatis, Iudicium Episcopale ad petitionem actricis terminum sententiae definitivae ferendae assignandum usque ad tempus eidem actrici benevisum distulit; iteratis vero precibus annuendo decisione sua de die 3 Maii 1902 terminum in proferenda sententia definitiva in diem 17 Maii eiusdem anni assignavit.

Hodie itaque advocata causa, auditis postulationibus et declarationibus actricis, illationibus Defensoris Vinculi Matrim. et scrutatis actis causae, — Iudicium Episcop. . . . . attentis:

1° Quod obstetrices in prima inspectione corporis *actricem in statu virginitatis invenerunt* et solummodo definire non possunt, essetne copula carnalis adimpleta; *medici vero periti, innixi narrationibus obstetricum, pariter actricem esse virginem existimant,* sed ratione extraordinariae constructionis hymenis consummationem matrimonii non excludunt;

2° Quod secunda inspectio a medicis peracta consonat *quoad statum virginalem actricis,* sed plane discrepat quoad compositionem hymenis, omnes tamen admittunt possibilitatem copulae adimpletae;

3° Quod revera status actricis potest esse virginalis, sed iuxta opinionem omnium medicorum possibilitas matrimonii consummati ab actrice minime excludi potest;

4° Denique quod iuxta sententiam medicorum, qui corpus rei conventi indagarunt, impotentia physica absoluta, antecedens et incurabilis in casu admitti nequit, e contra haec prouti subsequens relativa et sanabilis accipienda est,

Iudicium Episcop. . . . . *de nullitate matrimonii non constare decernit* vigore huius definitivae in prima Instantia latae sententiae.

† N. N. Episcopus . . . .

Notarius Iudicii, Ioannes Zeri.

Beatissime Pater

Num. 60.

Actrix, exponens SS.mo e sex peritis, qui inspectionem sui corporis peregerunt, quinque declarare se virginem adhuc esse, et unum tantum dubitare, dispensationem a matrimonio tantum rato exorat.

Viginti annis ante Dominico Sassi matrimonio iuncta sum. Cohabitatio mea ab initio cum marito admodum infelix erat ob eius proclivitatem ad ebrietatem, lusum chartarum et continuas commessationes cum sociis famosis. His coacta sum Iudicio Ep. . . . supplicare pro obtinenda *separatione a mensa et thoro ex culpa mariti, quae revera mihi concessa est.*

Non solummodo circumstantiae allatae causa infelicis vitae in matrimonio erant, sed insuper impotentia mariti physica coëundi taedio me affecit. Persuasa intime matrimonium a me consummatum non esse Iudicium Episcop. . . . . rogavi, ut matrimonium meum ex titulo impotentiae mariti nullum invalidumque declararetur. Processu formaliter instructo, Iudicium Episcop. . . . . declaravit non constare de nullitate matrimonii. Ratio huius sententiae fundata est in eo, quod impotentia mariti non sit omnino certa et matrimonium a me consummari potuerit. Cum autem certissime persuasum mihi sit, me esse adhuc virginem, ad pedes S. V. provoluta humillime precor, ut quae esponere audeo clementissime considerare digneris.

Tres obstetrices, a Iudicio Episcop. designatae ad inspectionem corporis mei peragendam, unanimi consensu declaraverunt. me esse virginem. Mulieres istae fere semper a Iudicio in causis matrimonialibus deputantur ad revisionem adimplendam ; gaudent magna praxi et experientia ; qua de causa difficillime ex parte earum error talis admitti potest, eo magis quod opiniones suas sub iuramento tulerunt. Mulieres illae sine ulla conspiratione, innixae propriis observationibus affirmant, me esse virginem et opiniones suas certis argumentis probant.

Duo medici periti ex declarationibus obstetricum conclusionem formarunt in casu, ratione irregularis structurae organorum genitalium consummationem matrimonii excludi non posse. Dissensio haec inter

opiniones obstetricum et medicorum facile dilucidari potest iis circumstantiis, quod obstetrices non satis stricte terminis doctrinalibus medicinae partes genitales circumscribere poterant, unde dubium medicis ortum est.

E contra persuasio obstetricum fundata in inspectione non solum organorum genitalium, sed etiam in revisione totalis organismi habet speciem omnimodae certitudinis; ac proinde illae declaraverunt me esse virginem.

Videbatur prima inspectio nullum dubium movere posse; interea revisionem ordinavit ope ipsorum medicorum ad omne dubium deponendum in prima revisione formatum. nec non ad universam causam melius dilucidandam. E gremio trium medicorum, qui secundam inspectionem peregerunt, medicus Fabi absolute declaravit me esse adhuc virginem, medicus Achilli tuetur opinionem et conclusionem medici Fabi; tertius tantum medicus Maraschini specialem et irregularem compositionem organorum genitalium apud me invenit et dubium quoad statum meae virginitatis excitavit. Iam inspectio trium obstetricum et opinio medicorum Fabi et Achilli me esse virginem, satis argumentum sufficiens praebere videtur; nam sententiam suam post diligentissimam inquisitionem ac investigationem tulerunt.

Si nulla obstetricum neque medici Fabi et Achilli aliquam specialem ac irregularem constructionem meorum organorum genitalium invenerunt, ergo medicus Maraschini errare potuit et omnino falsam opinionem sibi efformavit. Videtur mihi omnino aequum ac iustum esse, si opinio quinque peritorum opinioni contrariae unius praevaleat.

Errare humanum est ac proinde ob errorem commissum a medico Maraschini totam reliquam vitam infelicem agere cogar? Etenim obstetrices et medici a Iudicio Episcop. electi sub omni respectu tum quoad moralitatem, tum quoad scientiam et peritiam omnem fidem merentur. Insuper attendendum est ad concordiam opinionum peritorum quoad meam virginitatem cum declaratione sub iuramento deposita a me in Iudicio Episcop.

Ego sum filia fidelis S. Matris Ecclesiae; de mea probitate ac honestate morum testimonium deposuerunt septimae manus testes, quibus optime nota sum. Qualis est valor iuramenti a me praestiti, quamnam gravissimam poenam in oculis Dei horrendum crimen periurii meretur, bene intelligo. Numquam mentiri audeam, eo magis in causa tanti momenti, in qua Deum Omnipotentem pro veritate tuenda testem

invoco. Firmissimam persuasionem habeo, a marito meo matrimonialem copulam non esse adimpletam ac proinde me adhuc virginem exsistere. — Declarationem meam hanc confirmat depositio in Iudicio mariti, *qui dubium circa suam potentiam habet.*

Cum optime mihi persuasum sit matrimonium non esse consummatum in casu, attendendo ad generalem et specialem compositionem organorum genitalium et signa virginitatis, ad pedes S. V. provoluta eosque deosculans, humillime supplico, ut de apostolica potestate et paterna benignitate gratiam dispensationis a matrimonio rato et non consummato mihi impertiri clementissime non dedignetur.

Humillima serva et obsequentissima filia

Iulia Sassi nata Sanni.

Eme Domine

Precibus Iuliae Sanni, annuendo acta inquisitionis in causa nullitatis matrimonii eius cum Dominico Sassi atque supplicem eius libellum de obtinenda dispensatione SSmi a matrimonio rato et non consummato transmittens, preces dictae oratricis, **cuius morum probitas, honestas atque veracitas maxime apud me commendantur,** benignissimae clementiae E. T. commendo, meque profiteor.

Num. 61. Archiepiscopus, processus acta transmittens, dum actricis probitatem ac veracitatem laudibus extollit, eiusdem petitionem maxime commendat.

Emae Dominationis Tuae servum affabilem

† N. N. Ep. . . . .

. . . . die 6 Augusti 1902.

S. C. C. in hac causa advocatum pro Actrice nominavit, qui, inspectis actibus ipsius causae, iudicavit optimum esse relationes obstetricum et medicorum subiicere examini duorum peritorum medicorum in Urbe, quia relationes valde discrepare evidens est. Ex duobus peritis alter conclusit actricem Sassi habere vaginam septam, esse virginem ob duplicatam vaginam et matrimonium non fuisse consummatum; alter vero medicus gravia dubia in omnibus his excitavit; qua re necessaria fuisset alia inspectio mulieris. Quae cum fieri non posset, causa derelicta fuit.

SPECIMEN II.

Argumentum. — Augusta Agostini matrimonium contraxit cum Iosepho Finni, qui numquam potuit illud consummare ob impotentiam psychicam, qua correptus fuit ob particularem statum suae uxoris. Qua re Augusta petiit a Tribunali ecclesiastico institutionem processus canonici, ut declaretur invalidum eius matrimonium. Sententia iudicis ecclesiastici, post discussionem canonicam processus, cum constaret de virginitate absoluta Augustae et impotentia psychica eius viri, statuit petendam esse dispensationem a R. Pontifice super matrimonium ratum et non consummatum, quam dispensationem concessit Summus Pontifex, postquam causa agitata fuit apud S. Congr. Concilii.

Rmo Iudicio Episcopali N. N. (*nomen Civitatis*).

Querela

Augustae Finni, natae Agostini civitatis N. N.

Contra

Maritum Iosephum Finni, in civitate N. N. degentem.

Num. 1. Augusta Agostini petit, ut suum matrimonium, ex impotentia illud consummandi, ex parte mariti nullum declaretur.

Matrimonium contraxi cum Iosepho Finni die 15 Iulii anno 1894, quod benedixit A. R. Par. Antoninus Antonini in ecclesia S. Ioannis....., ut docet extractum actus copulationis, quod heic adnectitur. Eodem statim die post nuptias profecta sum cum marito in civitatem M., ubi maritus accessit ad consummandum matrimonium; sed conatus eius, licet accedente ex mea parte libenti consensu, nullum habuerunt effectum. Conatus hi vix aliquoties suscepti sunt primo mense nostrae cohabitationis, deinceps sub sequenti tempore neglecti sunt. Cohabitavimus simul per octo continuos menses; postquam autem maritus prolapsus est in statum evidentis irritationis, cumque in me inveheretur, quod ex mea culpa, nempe ex vitiosa conformatione organismi mei, matrimonium consummare non potuisset, deserui domum eius et contuli me ad patrem; at rursus mense Iulio anni 1895 redii ad maritum; is tamen non modo non adhibuit novos conatus, verum etiam reliquit dormitorium nostrum et pernoctabat seorsim,

pessimam prodens affectionem ex meo in communem nostram domum adventu. Quae fuerit causa impotentiae coëundi, vitium organorum meorum genitalium, an imbecillitas sexualis mariti, non novi; id tamen persuasum et perspectum habeo, coniugium nostrum consummatum non esse, meque esse virginem, quod comprobare parata sum, subeundo inspectionem expertorum, quos iudicium deputaverit. Inter continuas reprehensiones et irritationem mariti, cohabitare cum eo non potui; relicto igitur communi tecto, consedi apud patrem in civitate N. His igitur rationibus et provocans ad decreta iuris (Decretalium lib. 4, tit. 15, *De frigidis et maleficiatis et impotentia coëundi*), supplico Rmum Iudicium ut causam hanc ad instructionem recipiat et post absolutam instructionem causae, connubium meum cum Iosepho Finni in Ecclesia S. Ioannis .... die 15 Iulii anno 1894 contractum, declaretur invalidum.

..... die 14 Martii anno 1899.

Augusta Finni nata Agostini.

Num. 2.
N. N. Archiepiscopus delegatur ad processum instruendum.

Die 15 Aprilis anno 1899.

Reverendissimo Domino Archiepiscopo N. N.

Augustina Finni, filia Henrici, nata Agostini, degens permanenter in civitate L., dioecesis M.. libello supplici, mihi porrecto, significans se in animo habere excitare processum de dissolvendo eius coniugio ex titulo impotentiae physicae mariti Iosephi Finni, expostulat permissionem, ut processus eius divortialis geratur in Curia N. N. Vestrae Excellentiae iurisdictioni subiecta propter has rationes: *a*) quod matrimonium ipsius fuit benedictum in civitate .... in ecclesia parochiali S. Ioannis, 1 Iulii anni 1894 et *b*) quod testes, in ipsius causa examinandi, degent in eodem loco.

Cum nihil sit quod mea ex parte voto eius satisfieri non permittat, honori mihi duco per praesentes rogare et delegare Excellentiam Vestram, ut processus divortialis coniugum Finni geratur in Curia Vestra Archiepiscopali .....

Episcopus N. N.

Sessio Prima.

Num. 3.
Iudex satagit coniuges ad concordiam revocare, at irrito conatu, cum illi declarent, se fratris ac sororis more vivere nec velle, nec posse.

Actum est ..... in Cancellaria Iudicii Archiepiscopalis, die 6 Iunii anno 1899.

Praesentes: Rochus Annibali, Canonicus Cathedralis Eccl., Iudex Delegatus.

Alexander Malerba, Defensor Matrim.

Petrus Assenzi, Notarius iudicii.

In causa de dissolvendo matrimonio Iosephi Finni et Augustae, natae Agostini, coniugum Finni, ex titulo impotentia coëundi, ad instantiam actricis, hodie, termino a Delegato praestituto ad conciliandos coniuges, eventualiter ad indagationem eorum protocollarem, comparuerunt iidem coniuges. Delegatus proposuit reconciliationem; sed propositio utrinque repudiata est, et coniuges declaraverunt se fratris et sororis more vivere nec velle nec posse.

Tunc defensor sacramenti matrimonii ex decisione Iudicii praestitit iuramentum in praesentia Notarii et utriusque partis de fideliter et incorrupte gerenda causa, deinde in ius vocatus secessit in conclave contiguum, actrix praestitit iuramentum de veritate dicenda. Defensor porrexit Delegato interrogatoria institutaque est indagatio ut sequitur.

Num. 4.
Interrogationibus Defensoris Sacram. Matrim. ingenue ac dilucide eliens iurata respondet.

Nomen mihi est Augustina Finni, annorum sum 29, catholica, coniugata, carens prole, dego in civitate L., in paroecia S. Ioachim, officia religiosa, ut demonstrat testimonium actis annectendum, adimpleo.

1. Asserisne petitionem tuam in universis et singulis?

R. Petitionem meam assero in toto et in partibus.

2. Ex quo titulo petis invalidum declarari tuum matrimonium?

R. Postulo dissolutionem matrimonii ideo quod non fuit consummatum, nec consummari potest; quod perperam agit in meam valetudinem.

3. Quando et ubi contraxisti matrimonium cum Iosepho Finni, quamdiu una vixistis; qualis fuit vester convictus, quod si malus, quare?

R. Contraxi matrimonium in ecclesia parochiali S. Ioannis. . . . ,

15 Iulii anno 1894, benedictum a Parocho Antonino Antonini. Vixi-mus simul octo menses. Cohabitatio nostra fuit concors aliunde ; ex sola impotentia coëundi existebant inter nos simultates.

4. Qua valetudine fuerunt coniuges ante coniugium, in momento nuptiarum et per tempus cohabitationis ; quod si autem valetudo fuit adversa, qua de causa ?

R. Ante connubium, inter nuptias et per tempus nostrae cohabitationis egomet prorsus valida fui, postmodum dumtaxat exorta est neurosis ; maritus pariter bona usus est valetudine, ac nonnisi deinceps affectus est irritatione nervorum, quod in utroque nostrum provenit ex impotentia consummandi matrimonium.

5. Quando coniuges discesserunt definitive ab invicem, inter quae adiuncta et quas ob causas immediatas ?

R. Anno 1895, mense Iulio, separavimus nos definitive postulante marito, ex causa superius allata impotentiae coëundi.

6. Studuistisne adimplere debitum coniugale et quoties, consummastisne matrimonium legitime et debite ita, ut semen mariti penetraverit intra vas tuum ; quod si vero copulatio legitima non est secuta, quibusnam ex causis ?

R. Primo mense post nuptias ultra decies conati sumus concumbere maritaliter ; cum tamen id, quatenus equidem intelligere possum, inefficax esset, ulterioribus conatibus supersedimus.

7. Libenterne gessisti morem marito in exercenda re coniugali et num non obstitisti ei, an vero contra opposuisti te iuribus mariti; utrum conatus vestri toties quoties fuerunt inanes, an vero consummastis quandoque coniugium legitime ?

R. Libenter participavi in attentanda copula, quae tamen nunquam fuit efficax.

8. Utrius ex parte et quod nominatim deprehendistis obstaculum perficiendae copulae ; num alteruter vestrum non est obnoxius sub hoc respectu cuipiam vitio organico et cui nominatim ?

R. Ex utrius parte proveniat obstaculum in adimplendo debito coniugali determinare non possum, id modo dicam, memet sentire me esse validam.

9. Potesne demonstrare virginitatem tuam hactenus durantem per inspectionem expertorum explorandam et visne succumbere huic inspectioni ?

R. Parata sum subire inspectionem expertorum, et opinor me esse hucusque virginem.

10. Collocutine estis inter vos de impotentia coëundi; num non fuerunt hac de causa dissensiones domesticae; num questi non estis de hac re extraneis; cui nominatim, quoties et quando etc.

R. Maritus saepe; nam forsan ad quinquagies reprehendebat me propter non adimpletum coniugium, quamvis verbis decentibus. Aliis personis non sum questa; semel tantum aiebam de hac re amicae meae Malvini, nunc iam defunctae, ac deinceps quoque colloquebamur de hac re libere.

11. Exquisivitne alteruter vestrum sententiam medicorum adversus hanc impotentiam; quorumnam et quando; quae remedia praescripta fuerunt; estisne usi eiusmodi remediis; quocum successu?

R. Ego nunquam exquisivi consilium medicorum; quantum novi autem, nec maritus id unquam fecit, eo quod sentiebamus nos valere; praeter herbas quasdam ad sedandos nervos, nullis aliis usa sum medicamentis.

12. Ubi degistis per tempus cohabitationis; num non habetis ex hoc commercio prolem?

R. Tempore cohabitationis commorabamur in civitate X. Prolem non habemus.

13. Quando deprehendistis prima vice impotentiam habendae copulae et quando concepistis internam persuasionem commercia coniugalia inter vos locum habere non posse?

R. Prima iam vice observavimus impotentiam coëundi; elapso autem mense, concepimus persuasionem, conatus hos irritos fore et negleximus.

14. Potesne Iudicio producere suo tempore testes septimae manus?

R. Testes septimae manus suo tempore producam.

15. Habesne aliquid, quod confessioni tuae addas vel demas, num parata es dicta tua iuramento roborare?

R. Id praeterea addam, quod in confessione mea utor numero plurali, quia in assignando numero conatum nostrorum et impotentiae perficiendae copulae, magis inhaereo narrationi mariti, quam propriae memoriae. Adnotatio haec refertur ad quaestionem, quoties attentavimus concubitum.

Dein iuramentum praestitit de veritate dicta et silentio servando.

His protocollum actricis clausum et ab ea subscriptum est.

Augustina Finni.

. . . . die 6 Iunii anno 1899.

In fidem. — R. Annibali. — A. Malerba.

Num. 5. Examen iuratum viri.

Deinde comparuit Ioseph Finni. Hic in ius vocatus praestitit iuramentum.

Nomen mihi est Ioseph Finni, annorum sum 40, catholicus, coniugatus, carens liberis, domicilium habeo in pago N, parochiae S. M., sum possessor bonorum, officia religionis adimpleo.

1. Quid sentis de veritate querelae uxoris tuae?

R. Percepta lecta modo petitione uxoris, declaro eam esse iustam.

2. Causa allata in petitione estne vera, an fictitia?

R. Titulum quoque in petitione allatum pro vero habeo.

3. Quando et ubi contraxisti matrimonium cum Augustina Agostini; quamdiu una vixistis, qualis fuit vester convictus; quod si malus, quare?

R. Matrimonium contraxi in ecclesia parochiali civitatis . . . . S. Ioannis die 15 Iulii anno 1894. Benedixit parochus Antoninus Antonini. Cohabitavimus mutuo per octo ferme menses continuos; conversatio nostra fuit pacifica, quia nihil est, in qua mores uxoris reprehendam.

4. Qua valetudine fuerunt coniuges ante coniugium, in momento nuptiarum et per tempus cohabitationis; quod si autem valetudo fuit adversa, qua de causa?

R. Ante matrimonium proinde atque in momento nuptiarum et post nuptias, eramus omnino valentes, nullis affecti morbis.

5. Quando coniuges discesserunt definitive ab invicem, inter quae adiuncta et quas ob causas immediatas?

R. Uxor discessit a me definitive mense Iulio anni 1895. Deseruit me ideo, quia ego interrupi communitatem tori, id est, aliud selegi dormitorium, nec volui cum ea conversari; uxor intellexit rem hanc esse convulsionem coniugii et discessit.

6. Studuistisne adimplere debitum coniugale et quoties; consummastisne matrimonium legitime et debite, ita ut semen tuum penetraverit intra vas uxoris: quod si vero copulatio legitima non est secuta, quibusnam ex causis?

R. Aliquoties, conatus sum concumbere cum uxore, sed non valui; causam impotentiae concumbendi determinare non possum; opinor tamen inter nos obvenire disproportionem genitalium, vel vitiosam conformationem vaginae in uxore. In attentanda consummatione matrimonii experiebar erectionem atque conabar introducere membrum in vaginam, sed ante introductionem semen meum semper defluebat, post vero copula fieri non potuit.

Mihi pro certo persuasum est, principalem causam esse discrimen staturae inter me et uxorem; ego ut patet, procerus sum, illa pusilla atque reipsa minor, quam in vestibus esse videtur.

7. Libenterne gessisti morem uxori in exercenda re coniugali et num non obstitisti ei, an vero e contra opposuisti te iuribus eius, utrum conatus vestri toties quoties fuerunt inanes, an vero consummastis quandoque coniugium legitime?

R. Uxor in attentando actu coniugali libens mihi morem gerebat, nihilominus conatus nostri fuerunt semper inanes.

8. Utrius ex parte et quod nominatim deprehendistis obstaculum perficiendae copulae; nam alteruter vestrum non est obnoxius sub hoc respectu cuipiam vitio organico et nominatim?

R. Ego certo nulli obnoxius sum vitio organico nec unquam affectus fui morbo apparatus sexualis; hinc, ut superius dixi, causam non consummati matrimonii imputo aut disproportionatae conformationi genitalium nostrorum ac vitiosae structurae vaginae uxoris.

9. Potestne uxor tua demonstrare virginitatem suam hactenus durantem per inspectionem expertorum explorandam?

R. Ex iis, quae hactenus dixi, sequitur uxorem debere sub respectu sexuali esse intactam.

10. Collocutine estis inter vos de impotentia coëundi; num non fuerunt hac de causa dissensiones domesticae; num questi non estis de hac re extraneis; cui nominatim, quoties et quando?

R. Cum uxore non sum collocutus aperte, consummationem matrimonii inter nos locum habere non posse, atque demum, postquam cessavi a communicando toro, dixi ei aliquot sententias in universam rem hanc concernentes, utpote convictum nostrum ultra extendi non posse, exindeque non amplius conversati sumus maritaliter; nulli conquestus sum de impotentia coëundi cum uxore.

11. Exquisivitne alteruter vestrum sententiam medicorum adversus hanc impotentiam; quorumnam et quando; quae remedia praescripta fuerunt; estisne usi eiusmodi remediis; quocum successu?

R. Consilium medicorum in amovenda impotentia non exquisivi; uxor probabiliter quoque non adhibuit curationem.

12. Ubi degistis per tempus cohabitationis; num non habetis ex hoc commercio prolem?

R. Per tempus cohabitationis commorati sumus indesinenter in civitate . . .

13. Quando deprehendistis prima vice impotentiam habendae co-

pulae et quando concepistis internam persuasionem commercia coniugalia inter vos locum habere non posse?

R. A prima attentatione observavi actum meum cum uxore non esse legitimum: post iteratos vero conatus concepi persuasionem, fieri non posse, ut cohabitaremus.

14. Potesne Iudicio producere suo tempore testes septimae manus?

R. Testes septimae manus possum producere, sed rogo, ut examinentur in civitate F.; non enim sunt mihi necessarii in . . . .

15. Habesne aliquid, quod confessioni tuae addas vel demas, num paratus es dicta tua iuramento roborare?

R. Huic confessioni clara voce mihi perlectae nec addere nec demere quidquam volo. Hanc confessionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Ioseph Finni.

Hic indagatus praestit iuramentum de veritate dicta et de silentio servando.

His protocollum absolutum et subscriptum est.

R. Annibali — A. Malerba — Petrus Assenzi, Not.

Num. 6.
Mulier testes septimae manus proponit, ac rogat ut quidam ab exhibendis testimoniis idoneitatis dispensentur.

Augustina Finni petit, ut causa ipsius ad instructionem recipiatur sequentesque testes septimae manus approbentur:

1. Sacerdos Aloisius Pazzini, familiaris,
2. Iosephus Abeti, propinquus,
3. Maria Amici, cognata,
4. Theophilus Fabini, necessarius,
5. Felix Napolini, affinis,
6. Alexander Avanzini, necessarius,
7. Henricus Agostini, pater actricis,
8. Iosephus Armadilli, familiaris,
9. Anna Amidei, uxor Fabini, amica,
10. Agatha Pezzenti, amica; — ut admittantur septem ex recensitis decem in causam, si quis eorum impediatur, quominus suo tempore compareat; ut denique dispensentur ab exhibendis testimoniis idoneitatis 1. Pazzini, 2. Iosephus Abeti, 3. Maria Amici, 4. Theophilus Fabini, 5. Anna Amidei.

A. Annatini, procurator actricis.

Num. 7.
Iudex actricis petitioni libenter annuit.

Iudicium Archiepiscopale . . . ex registro testium septimae manus ab actrice productorum

a) Sacerdotem Aloisium Pazzini necnon Annam Amidei, Iudicio personaliter notam, ab exhibendis testimoniis idoneitatis dispensat;

b) Alexandro Avanzini, Felici Napolini, et Agathae Pezzenti testimonia idoneitatis a respectivis parochis, cum expressa mentione peractae confessionis, praesentare mandat;

c) Reliquis quinque, quippe Iudicio notis, solas schedulas, peractam confessionem attestantes, deponere praecepit.

. . . . . , die 8 Iunii anno 1899.

Praeses — R. Annibali — Notarius Iudicii, P. Assenzi.

Num. 8.
Canonicus Aloisius Pazzini summis laudibus actricem extollit obspectatissimam suam probitatem ac religionem, ideoque fide dignissimam praedicat.

Nomen mihi est Aloisius Pazzini, Canonicus, annorum 50, domicilium habeo N. N. ad plateam S. Petri, N. 1.

Testis praestitit iuramentum de veritate dicenda.

Hinc Defensor porrexit Iudici interrogatoria, quibus apertis, examen inceptum est, ut sequitur:

1. Nostine, unde et a quo tempore Augustam Finni, natam Agostini?

R. Augustam Finni, natam Agostini, novi inde ab anno aetatis eius duodecimo, innotuit mihi in civitate M., in domo amicae Malvini; exinde semper per quaedam intervalla temporis mihi occurrebat; a Malvini vero obtinebam de ea relationes orales et scriptas.

2. Estne tibi firmiter persuasum, eam esse mulierem piam, probam et honestam nullaque in re periurium commissuram?

R. Quum a tam longo tempore cognita mihi sit actrix, potui concipere persuasionem seriam, eam esse mulierem piam, probam et honestam, nec fieri posse, ut in re aliqua periurium committat. Liceat mihi addere, Augustam Finni educatam fuisse ab amica Malvini, accurate, pie et devote.

3. Qualis fuit conversatio coniugum Finni, et quae fuit causa eorum separationis definitivae? unde hoc nosti?

R. Quod attinet conversationem coniugum Finni, et quaenam fuerit causa eorum definitivae separationis, omnino ignoro. Ex eius amica Malvini cognovi Augustam Agostini nupsisse Iosepho Finni. Maritum actricis non novi, ac ne vidi quidem unquam.

4. Quid nosti, unde et ex quo tempore de processu divortiali coniugum Finni et de titulo, quo causa haec adstruatur?

R. De processu divortiati certior factus sum ab actrice, quum me invitaret ad ferendum testimonium in Iudicio, sed de causa divortii nihil plane mihi dixit.

Nota. Hic notificanda est testi confessio actricis.

5. Habesne sinceram persuasionem omnia, quae actrix, in causa sua divortiali coram Iudicio Spirituali confessa sit, esse meram ac nudam veritatem?

R. Spectata bona institutione actricis, eius probitate et devotione, pro certo habeo communicata mihi ex eius confessione Iudiciali singularia esse vera, nec admitto quidem ut actrix capax sit periurii.

Nihil praeterea in causa hac novi.

Hanc depositionem ratam habeo, iuro et subsigno.

Aloisius Pazzini.

Hic testi delatum est iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 9. Ioseph Abeti actricis propinquus, idem affirmat.

Nomen mihi est Iosephus Abeti; annorum sum 60, catholicus, viduus, habens liberos, dego N. N. ad plateam S. Mariae, N. 11. confessionem sacram. peregi.

Testis praestitit iuramentum de veritate dicenda.

1. Nostine etc.

R. Actrix nota est mihi inde a teneris, siquidem cognationis vinculo iuncta est cum defuncta uxore mea.

2. Estne etc.

R. Certam habeo persuasionem, actricem esse mulierem probam, honestam et religiosam nullaque in re commissuram periurium. Anno proximo elapso demorata est apud me per aliquot menses observavique eam frequentare ecclesiam et sacram confessionem.

3. Qualis etc.

R. Actrix aiebat mihi, cum apud me moraretur, se esse infelicem in coniugio; causam tamen infausti convictus non nominavit; pariter non possum determinare quaenam fuerit causa definitivae separationis coniugum Finni.

4. Quid etc.

R. Mense Martio anni currentis rescivi fore, ut processus divor-

tialis coniugum Finni gereretur in hoc Iudicio Ecclesiastico, titulumque canonicum esse impotentiam vel praepotentiam, id quod ipsamet familia actricis accurate explicare non posset.

Nota. Hic notificanda est testi confessio actricis.

5. Habesne etc.

R. Quantum nosco mores actricis eiusque principia probitatis, non admitto confessionem eius iudicialem, cuius singularia mihi communicata sunt, posse esse falsam. Id addam, actricem, ut observavi, nullam praeseferre aversionem erga maritum, nec unquam, ut fieri solet, male de eo esse locutam.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Iosephus Abeti.

Hic testis praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 10. Idipsum asserit Ioseph Armadilli, actricis familiaris.

Nomen mihi est Iosephus Armadilli, annorum sum 60, catholicus, coniugatus, habeo prolem, domicilium habeo N. N. ad plateam S. Petri N. 10, confessionem sacram. peregi.

Testis praestitit iuramentum de veritate dicenda.

1. Nostine etc.

R. Parentes actricis noti mihi sunt pridem, quippe consanguinei uxoris meae ; ipsam actricem cognovi non multo abhinc tempore, iam post eius nuptias.

2. Estne etc.

R. Attento quod actrix optime et pie in domo paterna, perinde atque in instituto monialium S. Iosephi educata fuerit, persuasum habeo eam esse mulierem probam, honestam et devotam periurandique incapacem.

3. Qualis etc.

R. Conversationem domesticam coniugum Finni non novi ; item ignoro quae fuerit causa definitivae eorum separationis ; ab extraneis audivi quondam Iosephum Finni esse hominem insulsum, tetricum ipsosque eius consanguineos notasse, uxorem, si quam duxerit, non fore felicem.

4. Quid nosti etc.

R. Ab actricis patre cognovi de excitato processu divortiali in hoc Consistoriali Iudicio; titulum canonicum, quo adstruatur causa, plane ignoro.

Nota. Hic notificanda est testi confessio actricis.

5. Habesne etc.

R. Pater actricis, Henricus Agostini, iam post inceptum processum aiebat mihi, coniuges Finni secum vivere non posse, causam tamen propius non determinavit. Cum tamen perspecti mihi sint mores et indoles actricis, statuere audeo eius confessionem protocollarem esse meram ac nudam veritatem.

Hanc depositionem ratam habeo, iuro et subscribo.

Iosephus Armadilli.

Hic testis praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 11. Agatha Pezzenti, mulieris amica, idem deponit.

Appellor Agatha Pezzenti, annos nata 45, vidua, habeo liberos, possideo officinam paramentis ecclesiasticis conficiendis ad plateam S. Marci N. 15. confessionem sacram. absolvi.

Testis praestitit iuramentum de veritate dicenda.

1. Nostine etc.

R. Actrix nota est mihi inde a pueritia; nam una cum eius familia habitavimus in pago X.

2. Estne tibi etc.

R. Actrix fuit pie educata in domo Malvini et in conventu S. Iosephi; hinc persuasum habeo eam esse mulierem probam, honestam, religiosam et quae nullatenus committat periurium.

3. Qualis fuit etc.

R. Quae fuit conversatio coniugum Finni et causa eorum mutui discessus prorsus ignoro; siquidem Iosephum Finni plane non novi atque ne vidi quidem unquam.

4. Quid nosti etc.

R. De causa coniugum Finni in hoc Iudicio Spirituali agitata innotuit mihi demum, ubi Henricus Agostini, pater actricis, rogavit me, ut testimonium coram Iudicio ferrem; de titulo canonico huius processus nihil omnino novi.

Nota. Hic notificanda est testi confessio actricis.

5. Habesne etc.

R. Quantum novi actricem eiusque familiam, pro certo habeo, eam in protocollo, modo mihi perlecto, fassam esse veritatem. Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Agatha Pezzenti.

Hic ab indagata praestitum est iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 12. Altera mulieris amica, Anna Amidei idem asseverat.

Appellor Anna Amidei, annos nata 70, catholica, coniugata, habens liberos, dego N. N. ad platcam Latam N. 1, confessionem sacram peregi.

1. Nostine etc.

R. Augustam Finni, natam Agostini, novi ab infantia; est enim mihi cum eius patre necessitudo affinitatis.

2. Estne tibi etc.

R. Secundum meam sententiam, actrix est pia, honesta et proba nullaque in re capax committendi mendacium vel periurium.

3. Qualis fuit etc.

R. Conversationem maritalem coniugum Finni non nosco; fando tantum audivi atque ex eius patre et avunculo percepi maritum eam negligere, solam cum matre sua relinquere, ipsumque coquum et pedissequum assumpsisse. Fuit hoc anno post nuptias et tunc de ea re audivi. Causam definitivae separationis coniugum omnino ignoro atque id solum notum mihi est, actricem etiam tum post discessum a marito amore eius affectam fuisse, eius photogramma asservasse, fovisseque spem fore, ut ad eum reverteretur. Ipsa mihi hoc iteratis vicibus dixerat et photogramma ostenderat.

4. Quid nosti etc.

R. Ipsa actrix hieme praeterita dixit mihi se excitasse processum divortialem, cum nullos speraret coniugii effectus libenterque cupere maritum liberum reddere addiditque: « forsan et mihi aliquando quidpiam obvenerit », rationem tamen qua causam suam adstruxisset, non nominavit.

Nota. Hic notificanda est testi confessio actricis.

5. Habesne etc.

R. Ubi considero mores, indolem et educationem actricis, non possum admittere, ut communicata mihi modo confessione, quam iuramento sanxit, Iudicium Spirituale fallere cupiat. Addam praeterea, actricem esse in pietatis praeceptis educatam, sed per annos aliquot post nuptias nulla mihi cum ea fuisse commercia.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Anna Amidei.

Hic testis praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 13. Idem confirmat Henricus Agostini, Augustinae pater.

Appellor Henricus Agostini, annos natus 62, catholicus, viduus, habens prolem, possessor bonorum, degens in civitate . . . . Confessionem sacram. peregi die 10 lunii anni currentis.

Testis deposuit iuramentum de veritate dicenda.

1. Nostine etc.

R. Sum pater Augustinae Finni.

2. Estne tibi etc,

R. Filia mea Augustina est admodum religiosa, morigerata et honesta, nec unquam periurium commiserit.

3. Qualis fuit etc.

R. Apud coniuges Finni semel tantum fui. Novi nullas inter eos fuisse rixas, nec unquam filia de hac re questa est, fuit tamen depressa, et in una ex epistolis scripsit, se sentire in domo mariti quandam confusionem.

Mense Februario anno 1895 venit actrix in meam domum, reversura ad maritum, atque adeo misit epistolam, ut expedirentur equi. Finni tamen respondit: se equos non expediturum, litteras vero mox daturum. Quapropter actrix profecta est ad amicam Malvini in pago M., atque postea demum ad illius suasum mense Iulio rediit ad maritum. Transegit tamen vix unam hebdomadam; Finni enim domo discessit, actrix autem ad me se contulit, ubi hucusque moratur. Causa separationis esse fertur non consummatum matrimonium, uti ex actrice et antea ex amica Malvini percepi.

4. Quid nosti etc.

R. Cum cognoverim matrimonium coniugum Finni non esse adimpletum, ipse cum filia adii Episcopum M. et incepi hunc processum.

Nota. Hic notificanda est testi confessio actricis.

5. Habesne etc.

R. Novi certissime confessionem actricis hic in Iudicio factam esse plenam veritatem.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro, hac facta adnotatione, quod filia mihi professa sit conatus consummandi matrimonii cum marito adhibitos fuisse, sed mansisse inanes.

Henricus Agostini.

Hic testis praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 14.
Hisce demum consonat Alexander Avanzini, actricis necessarius.

Appellor Alexander Avanzini, annos natus sum 60, catholicus, coniugatus, habens prolem, degens N. N. ad plateam S. Mariae N. 8, confessionem paschalem absolvi.

1. Nostine etc.

R. Augustina Finni nota mihi est ab annis circiter novem; frequentavi enim domum Malvini, ubi educabatur actrix.

2. Estne tibi etc.

R. Firmiter persuasum habeo, actricem praestare moribus, devotione et probitate, atque certissime credo eam nulla in re periurium committere posse.

3. Qualis fuit etc.

R. Conversatio domestica coniugum Finni non est mihi nota; causa autem eorum separationis definitivae fertur esse impotentiam mariti, quod audivi ex patre actricis anno praeterito.

4. Quid nosti etc.

R. De incepto processu divortiali rescivi ante mensem hunc, quum invitarer ad comparendum in qualitate testis; pater autem actricis aiebat filiam ipsius esse hactenus virginem.

Nota. Hic notificanda est testi confessio actricis.

4. Habesne etc.

R. Id mihi firmiter persuasum est actricem professam esse ingenue et conscientiose, siquidem, spectata eius institutione eximie re-

ligiosa in domo Malvini, ne admitto quidem, ut falsi quidquam confiteatur, eo minus vero coram Iudicio Ecclesiastico.

Hanc depositionem ratam habeo, iuro et subscribo.

Alexander Avanzini.

Hic testis praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

. . . . . , die 27 Iunii anno 1899.

His protocollum absolutum et subscriptum est.

R. Annibali — Alexander Malerba Defensor S. M. — Petrus Assenzi Notar.

Augustina Finni petit, ut ulterius in causa ipsius procedatur, speciatim ut revisio corporis ipsius peragatur; omissa indagatione testium septimae manus ex parte mariti, quippe qui in eorum productione moratur.

A. Annatini, procurator actricis.

Num. 15.

Iudex approbat instructionem a vinculi Defensore confectam pro corporali mulieris inspectione peragenda, et designat medicos ac obstetrices peritia et probitate eximios.

Iudicium Archiepiscopale . . . . instructionem pro peritis a Defensore Sacramenti Matrimonii confectam confirmat rogationique eiusdem Defensoris conformiter ad peragendam inspectionem corporis actricis expertos annuit:

1. Medicos: Fabium Berti et Camillum Camilli.

2. Obstetrices: Mariam Longhi, Ceciliam Severi et Iosepham Tessuti, necnon

3. Iuliam Giulimondi, matronam designat.

. . . . , die 30 Novembris anno 1899.

Iudex, R. Annibali — Notarius Iudicii, Assenzi.

Sessio Secunda.

Num. 16. Medici, obstetrices et matrona, iureiurando spondent, se demandato munere religiose functuros.

Actum est in Cancellaria Iudicii Archiepiscopalis . . . , die 8 Ianuarii a. 1900.

Praesentes: Iudex Delegatus, Rochus Annibali, Canonicus Cathedral. Ecclesiae,

Defensor Indissolubilitatis Sacramenti Matrimonii, Alexander Malerba,

Notarius Iudicii, Petrus Assenzi.

In causa Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, de dissolvendo eorum coniugio ex capite impotentiae physicae mariti, ad instantiam uxoris, hodie, in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis Augustinae Finni, natae Agostini, assignato, comparuerunt experti, decisione Iudicii die 30 Novembris anni 1899 lata accersiti, nominatim: I. Medici 1. Fabius Berti et 2. Camillus Camilli — II. Obstetrices: 1. Maria Longhi 2. Cecilia Severi 3. Iosepha Tessuti — III. Matrona Iulia Giulimondi, ad praestandum iuramentum de fideliter et religiose obeundo commisso ipsis munere.

In fidem — R. Annibali. — Malerba. — P. Assenzi.

Sessio Tertia.

Num. 17. Obstetrix Iosepha Tessuti, relationem exarans de peracta corporali mulieris inspectione, quam plurima virginitatis signa in eadem reperta recenset.

In causa Iosephi Finni et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, de nullitate matrimonii ex titulo impotentiae physicae mariti, ego infrascripta, ab R.mo Iudicio Archiepiscopali, decisione diei 30 Novembris anno 1899 lata, deputata in qualitate peritae ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis Augustinae Finni, natae Agostini, praestito in Cancellaria Iudicii Archiepiscopalis iuramento, contuli me in habitaculum ad plateam S. Michaelis in domo N. 19 situm, ubi quoque convenerunt, praeter Membra Iudicii Spiritualis, medici Dr. Berti et Dr. Camillus Camilli, necnon obstetrices Maria Longhi et Cecilia Severi atque matrona Iulia Giulimondi.

Inhaerendo communicatis nobis in Cancellaria iudicii a praesentibus ibidem medicis indiciis circa peragendam inspectionem, intravi

cum reliquis duabus obstetricibus et matrona praeparatum ad hoc conclave, ubi assistebam per totum tempus balnei, quod duravit continuis 45 minutis. Egressa ex alveo, deterso corpore, Augustina Finni procubuit in lectum, tunc accessi ad eam atque, praesente iugiter matrona, executa sum accuratissime commissum mihi munus, cuius per praesentes honori mihi duco reddere rationem.

Reperi in Augustina Finni, nata Agostini, conformationem organismi in universum satis debilem, sed quae proderet sanitatem. Pectus mediocre prominens, mammas modice evolutas, papillas parvas cum areolis pallido-roseis. Venter est planus, nullae adsunt rugae vel vibices, aut infectiones lineae candidae. Pubes est solitae prominentiae, consita pilis densis, crispis, colore fusco. Labra maiora exteriora arcte cohaerent, colore sunt pallido-rosaceo, utrinque contecta pilis. Labra minora modica, tenuia, admodum subtilia, coloris pallido-rosacei, teguntur maioribus. Clitoris est rotunda, magnitudine grani triticei. Deductis labiis maioribus, cernitur hymen cum ostiolo rotundo, per quod penetrat extremitas digiti auricularis, marginibus levibus et tenuibus, solo oculo sine accuratiore exploratione non conspicuus, frenulum tenue et integrum, perinaeum rigidum, non longum.

Iosepha Tessuti, Obstetrix.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 18. Obstetrix Caecilia Severi idipsum praestat.

In causa Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, de invalidando matrimonio ex titulo impotentiae physicae mariti, ego infrascripta ab Rmo Iudicio Archiepiscopali decisione diei 30 Novembris 1899 in qualitate arte peritae deputata ad instruendam de visu et tactu revisionem corporis Augustinae Finni, natae Agostini, praestito in Cancellaria Iudicii Archiepiscopalis iuramento, contuli me in habitaculum ad plateam S. Michaelis in domo N. 19 situm, ubi pariter convenerunt, praeter Membra Iudicii. Dr. Berti et Dr. Camillus Camilli, necnon, obstetrices Maria Longhi et Iosepha Tessuti atque matrona Iulia Giulimondi. — Inhaerendo traditis nobis in Cancellaria Iudicii a praesentibus ibidem medicis indiciis ad peragendam inspectionem concernentibus, intravi una cum reliquis duabus obstetricibus et matrona in praeparatum ad hoc conclave, ubi adfui toto tempore balnei, quod duravit continuis 45 minutis. Egressa ex alveo, deterso

corpore, Augustina Finni procubuit in lectum; ego vero accessi, atque. praesente iugiter matrona, executa sum accuratissime demandatum mihi munus, cuius per praesentes honori mihi duco reddere rationem.

Reperi in Augustina Finni, nata Agostini, universam conformationem corporis exilem, modicam, mammas parvas, paulum demissas, papillas exiguas, rigidas, colore rosaceo, areolas rubicundas, ventrem planum, cicatricibus quibusvis et infectionibus vacuum, pubem moderate prominentem. consitam pilis fuscis. Labia pudenda maiora satis tenuia, colore sunt pallido-roseo, frenulum intactum, labia minora persubtilia, aequalia maioribus, colore candido-roseo, in marginibus aliquantulum fortiore; clitoris parva, ut granum tritici, introitus in vaginam angustus; in medio ostio cernitur intus caruncula ad instar folii, veluti extremitas vaginae, ulterius oculis nihil explorari potest, quia fluor e vagina stillans non permittit; digitum auricularem dimidium tantum introducere potui.

Caec. Severi, Obstetrix.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 19. Obstetrix Maria Longhi idem peragit.

In causa Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, de nullitate matrimonii ex titulo impotentiae mariti, ego infrascripta ab Rmo Iudicio Archiepiscopali decisione de die 30 Nov. 1899 deputata in qualitate arte peritae ad exequendam de visu et tactu inspectionem corporis Augustinae Finni, natae Agostini, praestito in Cancellaria Iudicii Archiepiscopalis iuramento, deveni in habitationem ad plateam S. Michaelis in aedibus N. 19 sitam, in qua pariter convenerunt, praeter Membra Iudicii Spiritualis, medici Dr. Fabius Berti et Camillus Camilli, necnon obstetrices Caecilia Severi et Iosepha Tessuti atque matrona Iulia Giulimondi.

Ad mentem traditorum nobis in Cancellaria Iudicii a praesentibus ibidem medicis indiciorum concernentium peragendam inspectionem, ingressa sum cum reliquis duabus obstetricibus et matrona destinatum ad hoc cubiculum, ibique adfui per totum tempus balnei, quod duravit 45 minutis. Egressa ex alveo, deterso corpore, Augustina Finni procubuit in lectum; ego vero accessi atque in iugi assistentia ma-

tronae adimplevi accuratissime demandatum mihi opus, cuius per praesentes honori mihi duco reddere rationem.

Reperi in Augustina Finni, nata Agostini, conformationem universi organismi satis exilem et modicam, staturam pusillam, aspectum tamen salubrem. In revisione cernitur pectus mediocre, mammae parum evolutae, papillae perexiguae, roseae, cum areolis pallido-roseis. Venter est planus, laevis, nullasque exhibet cicatrices vel infectiones lineae albae. Pubes satis eminens, consita pilis fuscis, clitoris parva. Labia maiora parva, arcte cohaerentia, intus roseo colore. Labia minora tenuia, parva, colore item roseo. Diductis ope digitorum labiis maioribus, apparet hymen tenuis, tener, cum ostio aequalibus marginibus instructo, quod summitate digiti auricularis tegi potest; intus digitus non ultra unguem penetrare valet, perineum breve, consistens.

Maria Longhi, Obstetrix.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 20. Matrona in exarata relatione testatur, instructionem sacramenti vindicis pro explenda corporali Augustinae inspectione fuisse adamussim executioni demandatam.

Actum est . . . . . ad plateam S. Michaelis, in aedibus N. 19, die 8 Ianuarii anno 1900, hora prima post meridiem.

Ego infrascripta, deputata a Iudicio Archiepiscopali matrona ad peragendam inspectionem ocularem corporis Augustinae Finni, natae Agostini, attestor praesentatam mihi in Iudicio Augustinam Finni post verificatam a medicis qualitatem aquae pro adhibendo balneo in conclavi bene illustrato paratae, immersam esse aquae ad 28 gradus calefactae per 45 minuta. Huic balneo assistebam continuo una cum tribus delegatis a Iudicio obstetricibus. In alveo morabatur actrix sine linteaminibus, vestita vero indusio revidebatur ab obstetricibus, ad quam actionem, post egressum Augustinae Finni ex alveo et commodam collocationem super lectum, accersivi primam obstetricem Iosepham Tessuti, secundam Caeciliam Severi, tertiam Mariam Longhi. Ubi una ex obstetricibus fungebatur suo munere, reliquae stabant a latere. Digressa una in cubiculum contiguum ad consignandam relationem peracti a se operis, pari modo peregerunt inspectionem secunda et tertia obstetrix. Ego toto hoc tempore stabam iuxta lectum ad genua Augustinae Finni et animadvertebam diligenter ad obstetrices, quae munus suum adimpleverunt secundum instructionem generalem ab Rmo Iu-

dicio confirmatam, necnon specialem a medicis expertis traditam. Toto tempore balnei ac deinceps revisionis actricis omnes obstetrices servabant silentium, nihil plane loquendo tam inter se, quam cum Augustina Finni, atque, praeter me et tres nuncupatas obstetrices, nemo amplius reperiebatur in hoc conclavi.

Iulia Giulimondi.

In fidem R. A. — A. M. — P. A.

Num. 21.
Verbalis processus inspectionis mulieris rite peractae.

Actum est . . . , in aedibus ad plateam S. Michaelis sub N. 19, die 8 Ianuarii a. 1900, hora secunda pomeridiana.

Praesentes: Rochus Annibali, Canonicus Cathedr., iudex Delegatus.

Alexander Malerba, Defensor Indissolubilitatis Sacramenti Matrimonii.

Petrus Assenzi, Notarius Iudicii.

In causa de nullitate matrimonii Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, ex titulo impotentiae physicae mariti, ad instantiam uxoris in Iudicio Archiepiscopali . . . . utpote in I. Instantia, in vim delegationis Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Dioecesis de die 6 Martii anno 1899 N. . . . agitata, hodie, in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis actricis Finni assignato, adimpletis praeliminaribus in Cancellaria Iudicii Archiepiscopalis, convenerunt in aedibus, ut supra, A. R. Canonicus Delegatus una cum Defensore Sacramenti Matrimonii et Notario Iudicii, necnon medici experti, obstetrices et matrona a Iudicio confirmati; hi posteriores ad peragendam inspectionem, Membra Iudicii ad invigilandum, ut actio, de qua, conficeretur accuratissime secundum instructionem hac in re a Iudicio approbatam.

Medici, accersiti a matrona, omnium primum verificaverunt qualitatem aquae balneo praeparatae, deinde ianua conclavis cum alveo occlusa est, matronaque et obstetrices ibidem morantes demandatum sibi negotium revisionis in persona Augustinae Finni, natae Agostini, absolverunt.

Minutis 52 post obserationem ianuae, comparuit in conclavi adiacenti obstetrix Iosepha Tessuti, praesenteque Notario Iudicii consignavit relationem, eamque dicto Notario in manus tradidit, deinde discessit in aliud cubiculum, ut ibi, praesentibus Delegato et Defensore sacramenti

matrimonii, praedictaret medicis expertis reperta in inspectione. Eodem ordine adimplevit actionem suam obstetrix Caecilia Severi et Maria Longhi. Post obstetrices deposuit pariter matrona relationem suam in manus Notarii Iudicii.

His protocollum absolutum et subscriptum est.

Die ut supra.

R. Annibali — Alexander Malerba — Petrus Assenzi.

Actum est in Cancellaria Iudicii Archiepisc. die 9 Ianuarii a. 1900.

Praesentes: Rochus Annibali, Canonicus Eccles. Cathedr. iudex Delegatus.

Alexander Malerba, Defensor Sacramenti Matrimonii.

Petrus Assenzi Notarius.

Num. 22.

Obstetrix Iosepha Tessuti in iurato examine confirmat, se certissima virginitatis signa in actrice reperisse.

Comparuit Iosepha Tessuti, praestitit iuramentum de veritate dicenda; deinde Defensor porrexit Delegato interrogatoria, ad quae indagata deposuit ut sequitur.

Nomen mihi est Iosepha Tessuti, annorum sum 48, catholica, coniugata, carens liberis, domicilium habeo... ad plateam Augustam N. 40, ad deponendum admissa, qua nota iudicio; iuramentum praestiti.

1. Nostine, unde et ex quo tempore Augustinam Finni, natam Agostini, et num persona in qua die 8 Ianuarii a. c. peregisti inspectionem corporis de visu et tactu, fuit eadem, quae tibi praesentata fuit hic in Iudicio?

R. Augustina Finni innotuit mihi heri, hic in Iudicio; in eius persona adimpleta est inspectio.

2. Quando et quo ordine peregisti hanc inspectionem?

R. Inspectionem absolvi secundum communicatam nobis instructionem medicorum, revidendo primum generalem aspectum corporis, deinde pectus, ventrem et muliebria.

3. Quas notas virginitatis reperisti in actrice et nullane adest ambiguitas circa integritatem Augustinae Finni?

R. Reperi in actrice hymenem integrum, illaesum, cum parvo ostio in medio, conspexi eum iam nudo oculo, secretio tamen mucosa non sinebat eum examinare accurate solo oculo; quapropter exploravi digito auricolari atque intellexi eum procul dubio adesse; praeter hoc principale argumentum virginitatis, reperi alias quoque notas, scilicet, mammas, quales esse solent virginum, licet aliquantum laxae, sive

potius exiles et molles; nam minores sunt, quam ut laxae esse possint, attamen non sunt eiusmodi quales occurrunt apud mulieres puerperio perfunctas atque adeo apud eas, quae matrimonium consummarunt; areolas mammarum roseas, pallidas, papillas exiguas; ventrem planum quidem, at planities huiusmodi provenit ex universa exili structura corporis; labia maiora muliebria arcte cohaerent, minora autem tenella teguntur maioribus; in ventre nullae adsunt cicatrices vel infectiones.

4. Conformatio universi organismi actricis estne legitima, num adsunt quidam defectus vel vitia organica in muliebribus actricis, quae constituant impedimentum habendae copulae?

R. Structura corporis Augustinae Finni est legitima, relate dumtaxat ad ceteros homines, iusto minor, nulla tamen praesefert vitia organica atque sub respectu sexuali non constitutt impedimentum exercendae copulae.

5. Muliebria Augustinae Finni suntne exilia et mollia eatenus, ut per se non constituant obstaculum et impedimentum ad concumbendum?

R. Muliebria actricis, sicut universus organismus, sunt debiliter evoluta, sed exilia et mollia sufficienter, ut per se ipsa non constituant impedimentum habendae copulae.

6. Quo in statu et qua forma est hymen apud actricem; estne facilis ad rumpendum, ita ut nequeat resistere instrumento duriori?

R. Hymen Augustinae Finni est rotundus cum rotundo ostio in medio conspicuo, marginibus subtilibus et teneris, ideoque opinor eum facile convelli posse.

7. Aqua ad balneum adhibita fuitne munda, nulla re admixta, et ad quot gradus calefacta?

R. Aqua balneo adhibita fuit munda, ad 28 gradus calefacta.

8. Quid praeterea habes ad memorandum in hac causa?

R. Nihil amplius habeo ad dicendum. Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Iosepha Tessuti, Obstetrix.

Hic indagata praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem — R. An. — A. Mal. — Petr. Ass.

Num. 23.

Obstetrix Caecilia Severi iurata testatur, omnes integritatis notas in Augustina invenisse ideoque virginem intactam illam iudicat.

Nomen mihi est Caecilia Severi, annorum sum 44, catholica, vidua, habeo liberos, dego . . . . Via Militari N. 48, confessionem absolvi, iuramentum praestiti.

1. Nostine etc.

R. Augustina Finni innotuit mihi hoc in Iudicio heri, eamque ipsam inspexi.

2. Quomodo etc.

R. Inspectionem absolvi secundum instructionem datam a medicis, revidendo primum ventrem et pectus, deinde genitalia.

3. Quas notas etc.

R. Reperi in actrice omnes notas virginitatis, persuasumque habeo, eam esse omnino inviolatam.

4. Conformatio etc.

R. Spectata statura, conformatio corporis actricis est omnino legitima, licet exilis. Nullos deprehendi defectus externos ac, ne in muliebribus quidem, reperi quidquam impedimenti ad habendum coitum.

5. Muliebria etc.

R. Muliebria actricis sunt exilia et mollia atque per se nullum constituunt obstaculum habendae copulae.

6. Quo in statu etc.

R. Hymenem reperi in actrice forma diversa a solita. Visus mihi est affixus esse in duobus punctis desuper et deinfra, inter loca autem cohaesionis valui reclinare hymenem digito a compagine. Ostiolum reperi a latere dimensione ad crassitudinem graphii; certa sum fuisse hunc hymenem, non vero aliud quidquam, observationemque meam communicavi medicis. Hinc adiiciam, actricem non consummasse matrimonium; hymen enim, etiamsi ita conformatus, conscissus esset, quum sit integer, est autem sic, ut retuli, a natura conformatus.

7. Aqua ad balneum etc.

R. Aqua adhibita balneo fuit munda, calefacta ad 28 gradus, ambo medici eam verificaverunt.

8. Quid etc.

R. Id praeterea addam ad explicandas notas virginitatis: mammas actricis esse pusillas, molles, papillas exiguas, duriusculas, roseas, in ventre nullas adesse rugas; labia maiora, minime crassa, cohaerere, minora iungi ideoque cum maioribus, non tamen prominere. Hymen, sive, ut dixi caruncula, est intacta; frenulum pariter inviolatum, clitoris autem magnitudine grani tritici.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Caecilia Severi, Obstetrix.

Hic indagata praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 24. Obstetrix Maria Longhi iurata fatetur, se certissimas virginitatis notas in actrice conspexisse.

Nomen mihi est Maria Longhi, annorum sum 46, catholica, coniugata, habeo liberos, dego . . . . . ad plateam Regis N. 8, confessionem absolvi, iuramentum praestiti.

1. Nostine etc.

R. Augustina Finni innotuit mihi hic primum in Concistorio eamque deinceps non aliam inspexi.

2. Quomodo etc.

R. Omnium primum inspexi universam conformationem organismi actricis, deinde pectus, ventrem et muliebria.

3. Quas notas etc.

R. Reperi apud actricem certissimam virginitatis notam, hymenem, praeterea mammas virgineas aliquantum demissas propter universam conformationem corporis exilem, areolas roseas, pallidas, papillas parvas pariter subroseas; ventrem planum a quibusvis infectionibus et cicatricibus immunem, planum, quia actrix est macilenta, labia pudenda maiora muliebrium arcte cohaerent; minora sunt perexigua, colore roseo et tenella; post haec satis profunde reperitur hymen.

4. Conformatio etc.

R. Universa conformatio corporis, relate ad staturam, est legitima. Actrix in muliebribus nullos exhibet defectus, nulla vitia organica.

5. Muliebria etc.

R. Partes genitales sunt satis exiles et hymen mollis, ita ut per se non constituant impedimentum copulae carnalis.

6. Quo in statu etc.

R. Hymen habet formam rotundam, vidi eum oculis; margines in circuitu sunt laeves sine ullis vestigiis concisionis; opinor eum facile conscindi posse.

7. Aqua ad balneum etc.

R. Aqua ad balneum adhibita fuit munda, ad 28 gradus calefacta.

8. Quid etc.

R. Nihil amplius habeo ad dicendum. Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Maria Longhi, Obstetrix.

Hic ab indagata receptum est iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 25. Iurata depositio Iuliae Giulimondi super matronae munere fideliter expleto.

Nomen mihi est Iulia Giulimondi, annos nata 60, catholica, vidua, carens liberis, dego . . . . . ad plateam Reginae N. 10, confessionem absolvi, iuramentum praestiti.

1. Nostine, unde et a quo tempore Augustinam Finni, natam Agostini, et num persona, in qua obstetrices adimpleverunt inspectionem, est eadem, quam rescivisti hic in Iudicio esse Augustinam Finni?

R. Augustina Finni innotuit mihi hic in Iudicio ante inspectionem; eam, non aliam, obstetrices examinarunt in mea praesentia.

2. Quale fuit conclave, in quo paratum erat balneum pro actrice (dimensiones, illustratio, locus, ubi positus erat alveum), adfuistine infusioni aquae in alveum; qualis fuit aqua ad balneum adhibita (color, gradus caloris), num fuit verificata a medicis?

R. Conclave, in quo paratum erat balneum, fuit amplum et bene illustratum; ego non interfui infusioni aquae in alveum; ubi venimus cum obstetricibus, alveus fuit iam paratus; aquam verificaverunt medici; fuit plus aequo calida, quare admixta fuit frigida, ita ut non excederet 28 gradus caloris.

3. Quomodo usa est balneo actrix (num in indusio), quamdiu duravit balneum, quae fuit toto hoc tempore ratio sese gerendi actricis et obstetricum; num obstetrices non convenerunt inter se, quomodo conficienda esset relatio?

R. Balneo usa est actrix omnino nuda, duravit lotio haec 45 min., obstetrices minime inter se conferebant; loquebantur quidem, sed de rebus, quae non concernebant inspectionem.

4. Ubi stetisti tempore inspectionis et quid egisti?

R. Inter revisionem stabam iuxta pedes actricis et observabam, ne obstetrices discederent a praeceptis instructionis.

5. Quid praeterea in causa hac habes ad dicendum?
R. Nihil amplius habeo ad dicendum in hac causa.
Hanc depositionem ratam habeo, subsigno et iuro.

Iulia Giulimondi.

Hic indagata praestitit iuramentum de veritate dicta et de silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 26. Medicus Fabius Berti perpensis obstetricum relationibus, votum de intemerata mulieris integritate in scriptis edit.

In causa Augustinae Finni, natae Agostini, contra maritum Iosephum Finni de nullitate matrimonii ex titulo impotentiae physicae, ego Fabius Berti medicus privatus, vigore decisionis Iudicii Archiepiscopalis, ad mentem instructionis ab eodem Iudicio confirmatae et iuramenti coram Delegatis praestiti, probata identitate personae Augustinae Finni, contuli me una cum membris Delegatis et obstetricibus die 8 Ianuarii 1900 post horam 12 diurnam ad plateam S. Michaelis, ubi, absoluto secundum praescriptum balneo et peracta inspectione corporis Augustinae Finni, obstetrices ad hoc ab Rmo Iudicio deputatae specialem reddiderunt relationem, in cuius fundamento honori mihi duco deponere Rmo Iudicio sequentem renuntiationem et opinionem: Augustina Finni, conformatione corporis exili, musculos habet mediocriter evolutos, aetatem prodit annorum ultra viginti, statura est modica, temperamento miti. In revisione corporis nulla detecta sunt vitia. Mammae debiliter conformatae, minusculae, paulum demissae, molles. Areolae mammarum roseo-pallidae, papillae parvae duriusculae, non elasticae. Venter planus rugis et cicatricibus expers. Conformatio pelvis convenit structurae totius organismi. Pubes elata, consita pilis fuscis. Labia maiora exigua, tenuia, cohaerentia. Labia minora rosea, parva, tenera, contecta maioribus. Clitoris parva, non ultra granum tritici. Diductis labiis maioribus et minoribus, apparuit in introitu vaginae hymen, tenuis, submollis, laevis, integer, sine ullis convulsionibus, instructus fere in centro ostiolo rotundo, intra quod digitus auricularis aliquatenus penetrat, quodque extremitate eiusdem digiti contegitur. Frenulum intactum; perineum breve. Inter revisionem profluebat ex vagina satis abunde substantia mucosa. Ex opinione obstetricum, his stantibus, matrimonium non est consummatum.

Opinio: Relationes obstetricum sunt identicae et differunt dumtaxat in phrasibus. Ad aspectum generalem Augustina Finni prodit personam adolescentem, teneram, temperamento miti, sine vitiis evidentibus, tam in universo organismo, quam in regione pelvis. Mammae debiliter evolutae, parvae, aliquantum pendulae, molles, conveniunt cum exili universa structura. Areolae mammarum roseae et papillae modicae produnt mulierem, quae nondum nutricis ufficio functa sit. Venter planus, laevis, sine rugis et cicatricibus necnon integritas frenuli demonstrant actricem nondum concepisse nec peperisse. Labia maiora cohaerentia et occultantia in se minora, utraque perexigua ac potissimum repertus in introitu vaginae hymen integer, levis, tenuis, non convulsus, cum ostiolo transmittente extremitatem parvi digiti, evincunt certam virginitatem eoque ipso non consummationem matrimonii. Vitia in muliebribus Augustinae Finni nulla sunt deprehensa. Liquor pituitosus, qui in revisione profluebat, satis copiose ex vagina, demonstrat tantum adesse nunc catarrhum vaginae vel uteri.

Dr. Fabius Berti.

In fidem: — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 27.
Medicus Camillus Camilli suam pariter sententiam pro indubia clientae virginitate exarat.

In causa de nullitate matrimonii Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, ego Camillus Camilli, medicus privatus, degens . . . . ex decisione Iudicii Archiepiscopalis, inhaerendo instructioni ab eodem Iudicio confirmatae et iuramento coram Delegatis praestito, me contuli una cum Membris Delegatis et obstetricibus die 8 Ianuarii a. c. hora 12 $^1/_2$ diei ad plateam S. Michaelis sub N. 19, ubi explorata authenthia personae Augustinae Finni, post absolutam et peractam revisionem corporis eiusdem Augustinae Finni ab obstetricibus ad hoc ab Rmo Iudicio deputatis, in fundamento relationum a nuncupatis obstetricibus mihi suppeditatarum honori mihi duco renuntiare Rmo Iudicio sequentia.

Augustina Finni, annorum circiter 27, macilenta, exiliter conformata, humili statura, temperamento miti, modice evoluto systemate musculorum, nulla praesefert vitia organica exteriora. Mammae parum evolutae, aliquantulum demissae, satis molles, papillae parvae duriusculae, areolae papillarum roseae pallidae. Venter planus, levis, in cute

ventris nullae cernuntur cicatrices vel infectiones. Pelvis conformata proportionate ad totum organismum. Pubes cum modica quantitate stratus adiposi inhaerentis consita est pilis fuscis. Labia maiora rosea, pallida, satis tenuia, arcte cohaerent; frenulum laeve et penitus integrum; labia minora teguntur totaliter maioribus et sunt pariter tenuia et roseo pallida, clitoris rotunda, dimensione grani tritici. Introitus in vaginam occlusus hymene omnino integro et laevi. Hymen satis tenuis, habet ferme in centro ostium rotundum, quod summitate parvi digiti obstrui potest. Liber margo ostii prorsus laevis, tenuis, colore roseo. Per ostium stillat aliquantum liquoris mucosi e vagina. Ostium transmittit tertiam partem digiti auricularis. Exploratio vaginae ob existentiam hymenis fieri non potest.

Ex hisce apparet, Augustinam Finni, personam legitime conformatam, manifestorum defectuum corporis expertem, esse habilem ad exercendum officium coniugale. Ex statu mammarum, ventris et genitalium evincitur actricem nondum subiisse praegnantiam; existentia hymenis integri evincit eam esse virginem, adeoque matrimonium non consummasse ob causas, hactenus quidem mihi ignotas.

Memorandum censeo, relationes obstetricum in hac causa fuisse omnino concordes in re, quamvis variaverint aliquantulum in modo exponendi et definiendi. Summa cum reverentia.

D.r Camillus Camilli.

. . . . die 8 Ianuarii 1900.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Sessio Quarta.

Actum est in Cancellaria Archiepiscop. . . . . die 15 Ianuarii an. 1900.

Praesentes: Rochus Annibali, Canonicus Cathedr., Iudex Delegatus.

Alexander Malerba, Defensor Sacramenti Matrimonii.

Petrus Assenzi Notarius.

In causa coniugum Finni de nullitate matrimonii ex titulo impotentiae, hodie, in termino examinandis peritis praestituto, compa-

ruerunt medici Fabius Berti et Camillus Camilli et imprimis praestiterunt iuramentum.

Deinde defensor porrexit Delegato interrogatoria. D.r Camilli secessit in vicinum conclave et incepta est indagatio, ut infra.

Num. 28.
Medicus Fabius Berti votum editum pro integritate virginali Augustinae iuratis depositionibus confirmat.

Nomen mihi est Fabius Berti, annorum sum 55, catholicus, coniugatus, habens liberos, medicus, degens . . . . . ad plateam Augustam, N. 4.

1. Nostine, unde et ex quo tempore Augustinam Finni natam Agostini ?

R. Augustina Finni nota mihi est ab annis circiter duobus, occasione curationis, qua usa est apud me eius soror.

2. Aqua adhibita ad balneum actricis fuitne munda, nulla re intermixta et sufficienter calefacta ?

R. Aqua ad balneum adhibita fuit munda, nulla re intermixta, calefacta ad 28 gradus Réaumur.

3. In quibusnam discordabant inter se relationes obstetricum, atque discordia ciusmodi sinitne admittere conformationem muliebrium apud actricem esse prorsus singularem ? et —

4. Utrum igitur ex discordibus relationibus obstetricum licet omnino confidere sententiae duarum obstetricum, an vero oportet certitudinis causa instituere novam inspectionem per medicos expertos ?

R. Relationes obstetricum nulla in re differebant, praeterquam in phrasibus.

Interrogatoria Defensoris ex officio.

Obstetrix Caecilia Severi in relatione sua scriptitia non dixit, se reperisse hymenem, sed protulit sequentia : « in medio introitus vaginae cernitur caruncula formam folii exhibens ». Num igitur caruncula ciusmodi non est sic dictum folium myrteum, ortum ex convulso hymene, idque tanto magis, quod obstetrix in depositione iurata, ait folium ciusmodi extare dumtaxat ex altero latere introitus ad vaginam, ex altera vero parte nullum esse vestigium hymenis foliumque desuper et deinfra esse affixum, latere vero reclinari ?

R. Obstetrix Caecilia Severi in relatione vocali professa est, se reperisse quidnam, quod definire non valeret ; interrogata quomodo

res se haberet, respondit videri veluti folium transversum, sive tenuem hymenem cum ostio transmittente extremum digitum auricuralem. Quapropter ut dilucidaretur, quomodo appellanda esset eiusmodi caruncula, primum interrogavi, num, praeter descriptas partes muliebrium, reperisset quoque floccos myrteos, id quod absolute negavit. Deinde igitur interrogavi iterum quomodo appellaret hoc folium sive carunculam transversam, cum adessent labia maiora et minora legitime corformata, exigua tum quoque clitoris et deessent flocci myrtei. Respondit non haesitans : « hymenem ». Quam obstetricis relationem equidem verissimam reputo, eo quod, rem illico definire non valens, maluit secum restrictione exprimere. Obstetrix Severi significavit adesse hymenem ; ideo in relatione scriptitia asserui, renuntiata ab obstetricibus in essentialibus non differre. Quare Caeciliae Severi hymen aliam visus sit habere formam, quam ceteris obstetricibus, opinor id factum esse propter notabilem quantitatem fluoris mucosi, cuius in relatione sua speciatim meminit.

5. Quae est sententia obstetricum de virginitate actricis et quibusnam adstruitur ?

R. Circa virginitatem actricis, obstetrices nullatenus ambigunt asseruntque firmiter eam esse inviolatam.

6. Spectata sententia obstetricum, quae est tua opinio de actricis virginitate et quomodo eam scientifice vindicas ?

R. Attentis relatis obstetricum, specificatis in opinione mea scriptitia, persuasum habeo, Augustinam Finni esse virginem matrimoniumque non consummasse ; quae sit causa non consummati coniugii, forsitan demonstraverit inspectio mariti.

7. Conformatio totius organismi actricis ac peculiariter eius muliebrium estne omnino legitima, ita ut nulla adsint vitia nec obstacula organica, quae impediant copulationem maritalem ?

R. Conformationem totius organismi actricis perinde atque eius pudendorum, non obstante debili statu universo, reperi omnino legitimam iuxta obstetricum relata ; quare persuasum habeo, ex eius parte nulla adfuisse obstacula consummandi matrimonii.

8. Quid insuper habes ad proferendum in hac causa.

R. Nihil amplius habeo ad significandum in hac causa ?

Hanc depositionem clara voce mihi perlectam ratam habeo, subscribo et iuro.

Doctor Fabius Berti.

Hic indagatus praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem R. A. — A. M. — P. A.

Nomen mihi est Camillus Camilli, sum medicus, annos 40 natus, catholicus, coniugatus, habens liberos, dego ad plateam S. Mariae sub N. 16 . . . . .

Interrogatoria eadem ut supra.

Num, 29. Medicus Camillus Camilli, ex indubiis signis in actrice repertis, certam sententiam de perfecta eiusdem integritate iureiurando iterum exponit.

1. Nostine etc.?

R. Augustina Finni innotuit mihi prima vice hic in Consistorio, quum ante revisionem mihi praesentata fuit?

2. Aqua adhibita etc.?

R. Aqua fuit omnino munda et calefacta ad gradus plus minusve 28.

3. In quibusnam etc.?

R. Obstetrices concordabant in essentialibus, differebant solummodo in forma, qua opiniones suas referebant.

Interrogatio Defensoris ex Officio

Obstetrix Caecilia Severi in relatione sua litteris consignata, non dixit, reperisse se hymenem, sed retulit sequentia: « in medio introitus vaginae cernitur caruncula formam folii exhibens ». Nonne igitur caruncula haec est folium myrtheum, proveniens ex scissione hymenis, eo quidem magis quod Severi in depositione iurata addidit, folium eiusmodi cerni ex altera tantum parte introitus in ostium vaginae, ab altero vero latere nulla deprehendi vestigia hymenis; foliumque eiusmodi affixum esse desuper et deinfra ad compaginem vaginae, a latere autem reclinari?

R. Descriptam a Caecilia Severi carunculam reputo esse dimidium integri hymenis, in casu ab ostetrice deprehensum; alterum dimidium, propter minus accuratam diductionem introitus vaginae, occultari oportuit, eo magis, quod distillans mucus explorationem notabiliter impediebat, ut ipsamet Severi in enarratione orali nobis retulit statim post revisionem. Spectata forma et dimensione, caruncula quaestionis non

potest accipi pro flocco myrteo; certum igitur mihi est sermonem obstetricis referri ad hymenem integrum.

4. Utrum igitur etc.?

R. Depositiones duarum obstetricum possunt haberi pro sufficientibus, novaque inspectio foret omnino supervacanea.

5. Quae est etc.?

R. Omnes obstetrices unanimiter consentiunt in asserendo, Augustinam Finni esse virginem, impotentiam coëundi deducunt ex nimia arctitudine ostii, quod quidem in hymene occludente introitum vaginae existens, vix extremum digitum intus penetrare sinit.

6. Spectata etc.?

R. Augustina Finni, ex mea sententia, est virgo; id quod evincit integritas hymenis.

7. Conformatio etc.?

R. Ex revisione muliebrium actricis exteriore, quae sola praesto est, ulterius enim instituere explorationem praesentia hymenis non permittit, colligo Augustinam Finni idoneam esse ad officium uxoris.

8. Quid insuper etc.?

R. Amplius in hac causa nihil est, quod dicere velim, praeterquam quod obstetricem Caeciliam Severi animadverti esse admodum scrupulosam et timoratam in peragenda inspectione prae metu, ne laederet hymenem.

Hanc depositionem clara voce mihi perlectam ratam habeo, subscribo et iuro.

D.r Camillus Camilli.

Hic indagatus praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 30.
Iudex instructionem vinculi Defensoris approbat et tres peritos designat ad viri corporalem inspectionem peragendam.

Iudicium Archiepiscopale . . . . instructionem praesentatam approbat, inspectionem corporis conventi Finni die 10 Novembris a. c. peragi statuit atque ad negotium hoc in qualitate medicos: Vincentium Bellini, Fabium Berti et Camillum Camilli deputat.

. . . . . , die 8 Novembris an. 1900.

Praeses C. Annibali.

Notarius Iudicii, Petrus Assenzi.

Sessio Quinta.

Num. 31.
Tres supra memorati medici iurant, se commissum munus fideliter executuros.

Actum est in Cancellaria Iudicii Episcopalis . . . . . , die 10 Novembris anno 1900, hora 12 diurna.

Praesentes: Rochus Annibali, Canonicus Cathedr. iudex Delegatus.

Alexander Malerba, Defensor Sacramenti Matrimonii.

Petrus Assenzi, Notarius Iudicii.

In causa Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni. de nullitate eorum matrimonii ex titulo impotentiae physicae, hodie, qua in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis Iosephi Finni assignato, comparuerunt medici, decisione Iudicii die 8 Novembris a. c. N. . . . lata, in qualitate expertorum deputati nominatim 1. D.r Fabius Berti, 2. D.r Vincentius Bellini et 3. D.r Camillus Camilli, qui pro fideliter et religiose exequendo commisso sibi munere praestiterunt iuramentum.

In fidem — R. Annibali — Alexander Malerba — Petrus Assenzi.

Sessio Sexta.

Num. 32.
Verbalis processus peractae corporalis inspectionis viri ad tramitem instructionis a matrimonii Vindice propositae.

Actum est . . . . . ad Viam Petrae n. 61, die 10 Novembris anno 1900, hora 2 post meridiem.

In causa de nullitate matrimonii Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, hodie, adimpletis praeliminaribus in Cancellaria Iudicii Archiepiscopalis, convenerunt in supradicta aede A. R. D. Canonicus iudex Delegatus cum Defensore Sacramenti Matrimonii et Notario Iudicii, necnon experti a Iudicio deputati.

Inspectio peracta est in stricta applicatione Instructionis a Iudicio confirmatae, in conclavi seiuncto, sito e regione alterius, in quo aderant Membra Iudicii. — Primus medicorum peregit inspectionem D.r Vincentius Bellini: secundus D.r Fabius Berti: tertius Camillus Camilli, singuli seorsim, et omnes pariter seorsim, absoluto negotio, nullius exquisita sententia, consignarunt illico in scriptis relationem cum opinione scientifica, eamque in manus Defensoris tradiderunt.

Quibus protocollum hoc clausum et subscriptum est.
R. Annibali — Petrus Assenzi.

Num. 33.
Doctor Vincentius Bellini, gravissimis innixus argumentis, fatetur impotentiam relativam viri uti certam et fere insanabilem habendam esse.

In causa Augustinae Finni, natae Agostini, contra maritum Iosephum Finni de invalidando matrimonio, ego Vincentius Bellini, Doctor medicinae, ex decisione Iudicii Archiepiscopalis de die 8 Novembris anni 1900, inhaerendo instructioni ab eodem Iudicio confirmatae, necnon iuramento coram membris Delegatis praestito, verificata identitate personae Iosephi Finni, hodie deveni in domum ad Viam Petrae sitam, n. 61, peractaque revisione oculari Iosephi Finni, reperi quae sequuntur:

Iosephus Finni est vir bona statura et conformatione. Annorum est 44. Nullos prodit defectus conspicuos. Musculi evoluti sunt recte. Item systema ossium. Systema nervosum materiales, id est, quae manifeste deprehendantur, alterationes non exhibet. Pulmones et tractus respirationis continentur intra limites solitos nullumque adest evidens symptoma eorum alterationis. Idem dicendum de organis circulationis, id est, de corde et vasis haematophoris. Hepar in limitibus legitimis perinde atque lien. Nihil quoque arguit tractum intestinalem obnoxium esse notabili cuivis alterationi pathologicae. Renes et tractus urinales reperiuntur in ordine. Nulla cernuntur vestigia diabetis. Genitalia praeseferunt adspectum legitimum. . . . .

In consistentia penis et urethra nullae adsunt indurationes vel difformitates. Testiculi solita magnitudine, scilicet, nec nimis magni nec parvi; eorum consistentia ubique aequalis, homogenea, quibusvis indurationibus vel difformitatibus vacua. Epididymus dimensionis normalis sine indurationibus. Item nullam indurationem nullamque difformitatem produnt funiculi spermatici et prostata.

Scrotum mediocri magnitudine, elasticum. Pubes consita mediocriter pilis. Glandulae lymphaticae inguinales parvae, nulla exhibent vestigia syphilidis.

Inspectio igitur obiectiva in convento exhibet virum bene conformatum, valentem, robustum ad aspectum, nullisque defectibus ex primitiva illegitima evolutione provenientibus obnoxium.

Quae cum ita sint, nihil sinit admittere in eius actione sexuali obvenire quidquam illegitimi: e contra statuendum potius eam esse prorsus in ordine.

Quae igitur est causa, cur Finni intra octo menses cohabitationis cum uxore non consummaverit coniugium? Ex eius personali assertione nulla intercedebat mutua aversio, imo utrinque aderat libens copulae habendae appetitus. Porro ex eiusdem professione conatus habendae copulae iterabantur plurimis vicibus intra 4-6 hebdomadas, semper tamen sine effectu. Erectio penis aderat; aderat studium concumbendi; sed toties quoties terminabatur spontanea eruptione seminis extra vaginam uxoris. Causa huius rei fuit, asserente Iosepho Finni, penes uxorem. Eius statura pusilla praeseferebat non mulierem, sed quiddam tam minuti et exigui, ut suffocaret omnem ipsius appetitum venereum. Quae quanquam ita fuerunt, conabatur tamen copulam consummare. Inter huiusmodi conatus uxor praeter arbitrium suum prodebat signa doloris et ignorans ac nolens motu corporis reluctabatur. Id postremum abalienabat conventum etiam magis. Quum id repeteretur toties, fastidium Iosephi Finni eo usque crevit, ut sibi persuaserit muliebria uxoris non esse sufficienter evoluta et habendae copulae inepta. Persuasio haec rem deduxit eo, ut omnes conatus consummandi coniugii abrumperentur; siquidem Finni renuntiavit iuribus mariti seque ratus est esse psychice inabilem ad coëundum cum uxore.

Hanc Ioseph Finni narrationem retuli, quia constituit grave indicium medicum. Post multos conatus habendae copulae inter coniuges Finni ad consummandum matrimonium res non devenit. Non exulabat voluntas. Inanium igitur conatuum eiusmodi nulla alia esse potest causa praeter nervosam. — Primo id provocavit abalienationem tantummodo aliquam; deinceps vero erroneam persuasionem, quae redundat in impotentiam physicam relativam. Finni non valet coire cum uxore, eo quod obseditur falsa opinione, muliebria eius esse vitiose ac debiliter conformata seque, licet physice valentem, nihil proficere posse.

Utrum eiusmodi impotentia relativa conventi solam eius uxorem respiciens, unquam amoveri possit, perdifficile est statuere. Potest sane id aliquando consequi, at probabilius — non. Convictus maritalis coniugum, praeter potentiam physicam, pendet etiam ex sympathia physica. Quod si haec posterior aversione, utrinque vel etiam ab altero tantum coniuge concepta, extinguitur, cessat fomentum, quod multa alioquin superat obstacula.

Quae cuncta reassumendo, statuo Iosephum Finni obnoxium esse

impotentiae physico-psychicae relativae, solam uxorem concernenti atque impotentiam hanc probabiliter sanari non posse.

. . . . . die 10 Novembris anno 1900.

D.r Med. V. Bellini.

In fidem. — R. Annibaldi — A. Malerba — P. Assenzi.

Num. 34.

Medicus Fabius Berti asseverat ex scientificis principiis tuto tenendum, virum affici impotentia antecedenti, relativa et incurabili.

In causa Augustinae Finni, natae Agostini, contra maritum Iosephum Finni de nullitate matrimonii, ego Iulius Berti, Medicus privatus, ex decisione Iudicii Archiepiscopalis de die 8 Novembris anno 1900, inhaerendo Instructioni ab eodem Iudicio confirmatae necnon iuramento coram Membris Delegatis praestito, verificata identitate personae Iosephi Finni, hodie contuli me in aedes in via Petrae N. 61, peractaque revisione corporis Iosephi Finni honori mihi duco praesentare Rmo Iudicio sequentem relationem et opinionem.

In revisione extrinseca, Finni exhibet se virum ultra annos 40 natum, bene conformatum, sine ullis difformitatibus in organis exterioribus. Ex gestibus dumtaxat et contrectatione corporis in variis locis cernitur quaedam sensibilitas, quae aliquatenus apparet non modo in systemate nervorum. verum etiam in circulatione brevi, individuum nervosum. In revisione genitalium reperi penem bene conformatum, elasticum . . . . . Scrotum duriusculum, elasticum; testiculi proportionate conformati, elastici, sensibiles ad compressionem. Vestigia syphilidis et onanismi in adolescentia non deprehendi. Notare debeo, in inspectione observavi reactionem nervorum paulum excedentem normam.

Opinio. Supra relata genitalia concernentia. nempe, elasticitas penis, scroti et testiculorum, porro, dimensiones eorum, nulla vestigia syphilidis, onanismi et myelitis, denique proportionata conformatio organismi evincunt absentiam impotentiae absolutae. Finni, his attentis, apparet idoneus ad officia mariti. — Quaeritur igitur, cur non consummaverit coniugium, licet, ut ipse ait, vixerit cum uxore per octo menses et per aliquas hebdomadas copulam attentaverit. Rem aliter explicari non posse existimo, quam e neurosi, sic e. g. convento innata est adaucta sensibilitas nervosa; hac stante, inanes aliquot conatus habendae copulae cum muliere exiliter conformata ac probabiliter item nervosa provocarunt diffidentiam sui ipsius, adeoque impotentiam

naturae psychicae, respicientem unam determinatam personam. Quamvis relata a subiecto revisionis posteriorem obtinere soleant locum, attamen assertio Iosephi Finni: « uxor mea, exutis vestibus, videbatur mihi esse « puella impuber, id quod consummationem matrimonii reddebat mihi « impossibilem » penitus convenit cum principiis scientificis sub hoc respectu. In individuis nervosis talis status provocare potest impotentiam consummandi matrimonii. Temperamentum hoc nervosum Iosephi Finni, cum sit naturale, matrimonium praecessit, impotentiamque exinde erga uxorem ipsius repetendam habeo pro incurabili.

D.r Fabius Berti.

Die 10 Novembris anno 1900.

In fidem. — R. Annibali — A. Malerba — P. Assenzi.

Num. 35.

Tertius etiam peritus, Camillus Camilli, uti certam admittit in viro impotentiam antecedentem, relativam et insanabilem.

Ego infrascriptus ex decisione Iudicii Archiepiscopalis, praestito in praesentia Delegatorum iuramento, adimpletaque revisione corporis Iosephi Finni die 10 Novembris anno 1900 . . . . . in via Petrae, honori mihi duco renuntiare Rmo Iudicio sequentia.

Iosephus Finni, annos 44 natus, conformatus legitime, reficitur bene. Narrat, se cum uxore vixisse intra octo menses, quo tempore per bimestre ferme pluries conatus sit consummare actum coniugalem, ad quem debito praeditus erat robore; attamen copulam non peregit propter disproportionalem, ut ait, dimensionem organismi uxoris. Inspectio specifica demanstravit ex parte pulmonum, cordis, hepatis, lienis et tractus intestinalis defectum quarumvis alterationum pathologicarum. Systema nervorum praeter immoderatam sensibilitatem pariter nullam prodit abnormitatem. Finni est magna ingenii cultura, nec, quantum coniicere possum, in pueritia et adolescentia indulsit quibusvis excessibus. Penis et testiculi in forma et structura nulla exhibent vitia; glans magnitudine proportionata. Ostium urethrae externum debite collocatum . . . . . Magnitudo testiculorum proportionata, consistentia, duriuscula, epididymus dexter ad compressionem sensibilis; capitulum et pars corporis eius indurata, funiculi spermatici nihil produnt singulare. Ex relatione Iosephi Finni erectiones penis occurrunt saepenumero subindeque patitur pollutiones nocturnas.

Ex eiusmodi anamnesi et particulari inspectione opinor ut sequitur: Iosephus Finni recte conformatus physice, in conformatione et

structura genitalium nullos praesefert defectus, praeter chronicam epididymitem in parte dextra. Ex dictia sequitur conventum esse habilem ad exercendam copulationem atque consummaturum fuisse matrimonium cum uxore, si haec conveniret ei conformatione organismi: interim actrix, ut mihi constat ex peracta prius inspectione et revisione eius corporis, est revera conformatione tenui et exili. Haec igitur disproportio inter coniuges, attinens non modo genitalia, sed omnino universum organismum, potuit esse ac fuit reipsa causa, cur actus copulationis inter eos non fuerit patratus. Alterationes pathologicae epididymi dextri, quas supra commemoravi, potuerunt intervenire iam post separationem coniugum; utcumque autem fuit, non possunt impedire exercitium actus copulae.

D.r Camillus Camilli.

In fidem — R. Annibali. — A. Malerba. — P. Assenzi.

Sessio Septima.

Actum est in Cancellaria Iudicii Archiepiscop . . . . die 13 Novembris anno 1900.

Praesentes: Rochus Annibali, Canonicus Eccl. Cathed. iudex Delegatus — Alexander Malerba, Defensor Sacramenti Matrimonii — Petrus Assenzi, Notarius.

In causa coniugum Finni ex titulo impotentiae hodie, in termino ad hoc assignato, incepta est indagatio protocollaris medicorum expertorum.

Comparuit D.r Vincentius Bellini, praestitit iuramentum de veritate dicenda atque ad interrogatoria Defensoris Matrimonii respondit ut sequitur.

Num. 36.

Doctor Vincentius Bellini editam sententiam de impotentia relativa et ferme incurabili viri iureiurando confirmat.

Nomen mihi est Vincentius Bellini, annorum sum 41, Professor Universitatis, catholicus, coniugatus, habens prolem, officia religionis adimpleo, dego . . . . in Via Sapientiae N. 32.

1. Num ex sententia tua Iosephus Finni non est omnino impotens?

R. Nihil adest, quod admittere sinat functiones sexuales Iosephi

Finni fieri illegitime; obiective igitur non possum statuere eum esse impotentem.

2. Utrum opinionem tuam, de impotentia inter coniuges Finni obveniente, adstruxisti symptomatibus obiectivis physicis, ex revisione ope tactus instituta, oculis, an nudis coniugum assertionibus?

R. Opinionem meam de impotentia relativa inter coniuges Finni occurrente, adstrui sola professione conventi, qui asserit multiplices conatus habendae cum uxore copulae fuisse irritos, eumque, ut ait, debuisse tandem omni ulteriore attentatione supersedere. Eiusmodi frustrationis causam tradit Finni rem non improbabilem, nempe, debilem universam conformationem actricis; id quod ipsi instillaverit persuasionem, muliebria uxoris non satis evoluta esse et inepta ad habendum concubitum.

3. Posito, a te, vel ab Iudicio, nullam haberi fidem dictis Iosephi Finni, aut credi eidem non posse, num etiam tum statueris inter coniuges Finni adesse impotentiam relativam et quibusnam adstruis hanc opinionem?

R. Si inquisitio demonstret assertiones Iosephi Finni non esse fundatas, opinio mea corruit. Altera firma ratio, qua ductus conventum impotentem relativum declaravi, est quod anterior revisio demonstraverit uxorem eius esse virginem intactam.

4. Amisso inter coniuges Finni adesse impotentiam relativam, potesne producere argumenta, quae evincant eam perpetuam, i. e., incurabilem, et quaenam; tum potestne statui et quam ob rationem, eam antecessisse matrimonium?

R. Impotentia relativa Iosephi Finni nititur sola praeconcepta opinione, et falso arbitrio ipsum cum uxore copulam carnalem adimplere non posse. Quae cum ita sint, potest admitti curatio eiusmodi impotentiae, licet reticere nequeam, in similibus casibus eam esse omnino difficilem atque saepenumero irritam, eo quod conatus exercendae copulae, pluries frustrati effectus inter coniuges, solent provocare ob alienationem, mutuam, immo completam aversionem.

Amplius in hac causa nihil habeo dicendum.

Hanc depositionem, clara voce mihi perlectam, ratam habeo. subscribo et iuro.

D.r Med. Vincentius Bellini.

Hic ab indagato receptum est iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 37.

Medicus Fabius Berti, attenta praesertim conformatione utriusque coniugis, iuratis depositionibus iterum affirmat, virum impotentia antecedenti et relativa laborare.

Appellor Fabius Berti, Medicus, sum annorum 55, catholicus, coniugatus, habens prolem, dego . . . . ad plateam Angustam, N. 4, praecepta religionis adimpleo.

Hic testis praestitit iuramentum de veritate dicenda.

1. Num ex sententia tua etc.

R. Iosephum Finni nullatenus statuo esse impotentem absolutum.

2. Utrum opinionem etc.

R. Sententiam meam de impotentia inter coniuges Finni occurrente adstruxi unice symptomatibus obiectivis decerptis ope revisionis ocularis, professionem subiectivam conventi ponendo in altero loco.

3. Posito a te etc.

R. Impotentiam relativam Iosephi Finni explico nervositate, quam opinor esse innatam; ceterum psychosis haec crevit ex inanibus conatibus concumbendi. Quoniam Finni, ut patet ex specificatis in relatione, non potest haberi pro impotente absoluto; igitur attentis phaenomenis neuroseos, non possum statuere, nisi matrimonium non esse consummatum ex rationibus psychicis. Notandum tamen censeo, in toto organismo atque ex aequo in genitalibus conventi et actricis cerni magnam disproportionem.

4. Admisso etc.

R. Hanc impotentiam relativam inter coniuges Finni occurrentem praecessisse connubium, non ambigo: neurosim enim conventi reputo esse naturalem, adeoque relate ad coniuges Finni incurabilem. Status ciusmodi aliter definiri non potest, quam impotentia relativa.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

D.r Fabius Berti.

Hic testis praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

Num. 38.

Medicus Camillus Camilli editam sententiam de impotentia viri antecedenti, relativa et insanabili magis explicat et iure-

Appellor Camillus Camilli, annos natus sum 40, catholicus, coniugatus, habens liberos, medicus, dego . . . . . ad plateam S. Mariae, n. 16.

Praecepta religionis adimplet; iuramentum de veritate dicenda praestitit.

1. Num ex sententia tua etc.

iurando confirmat.

R. Non possum statuere Iosephum Finni esse impotentem absolutum.

2. Utrum opinionem etc.

R. Sententiam meam de potentia conventi adstruo symptomatibus physicis obiectivis detectis ope inspectionis ocularis genitalium; assertiones eius subiectivae erant mihi dumtaxat instar indiciorum ad accuratius instituendam inspectionem.

3. Posito a te etc.

R. Praescindendum prorsus a narratis mihi a convento, firmiter statuo in fundamento solius revisionis eius corporis, inter coniuges Finni occurrere impotentiam relativam, eo quidem magis, quod, cum interfuerim inspectioni organismi actricis ab obstetricibus factae, concepi persuasionem, eam tunc temporis fuisse virginem.

4. Admisso etc.

R. Ex ratione medica statuere possum, impotentiam physicam relativam, inter coniuges Finni existentem, curari non posse, eo quod originem habet in momentis psychicis; Finni enim, ut ait, habet completam aversionem erga uxorem, quippe physice exiliter conformatam. Cum exploratum sit, actricem ante nuptias non fuisse proceriorem, decernere possum, rationem eamdem adesse ab initio coniugii.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

D.r Camillus Camilli.

Hic ab indagato receptum est iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — R. A. — A. M. — P. A.

His protocollum clausum et subscriptum est. — R. Annibali. — Alexander Malerba. — Petrus Assenzi.

Num. 39.

Sacramenti Defensor ex quadam levissima et nonnisi apparenti inter obstetrices contradictione petit, ut actrix iterum inspectioni corporali subiiciatur.

In causa Iosephi et Augustinae natae Agostini, coniugum Finni, Defensor Sacramenti Matrimonii honori sibi duxit proponere rogationem de deputanda nova commissione iudiciali ad iterum inspiciendum corpus Augustinae Finni ob rationes sequentes.

Deputatae ad peragendam inspectionem corporis Augustinae Finni obstetrices Severi, Tessuti et Longhi tradiderunt Iudicio relationes contradictorias, quibus Iudicium nullo pacto acquiescere potest; quandoquidem res concernit substantiam processus, quapropter medici in

opinionibus suis magis fulciuntur in praesumptionibus, quam in certis et stabilitis factis. Nimirum quum obstetrices Tessuti et Longhi asserant, hymenem actricis esse integrum et inviolatum, obstetrix Severi in relatione sua scribit, reperisse se in medio ostio vaginae caruncularn formam folii praeseferentem. Caruncula haec, obstetricis sententia. fuit folium myrtheum. In tradenda medicis relatione, Severi, ab iis examinata, concepit persuasionem, repertam a se caruncularn formam folii exhibentem oportere appellare hymenem. Hac re freti medici tulerunt opinionem actricem esse virginem. Nodus tamen rei haeret, non in eo quod medici iusto audacius decreverint, sed quod obstetrices discrepant in describendo hymene. Secundum Tessuti et Longhi hymen actricis est rotundus cum ostiolo in medio. Interim folium illud myrteum in depositione protocollari ab obstetrice Severi sic describitur: « Hymenem reperi in actrice forma diversa a solita. « Visus mihi est affiixus esse in duobus punctis desuper et deinfra, « inter loca autem cohaesionis hymenem reclinare volui digito a com- « pagine. Ostiolum reperi a latere dimensione ad crassitudinem « graphii ».

Iudicium non potest acquiescere explicationi medicorum, fieri potuisse, ut obstetrix Severi erraverit, hymen eius visus sit alius, atque revera sit; reponi enim potest reliquas quoque obstetrices errare potuisse, hymenem, qui iis aliter, atque sit, videri potuisse. Res igitur indiget verificatione.

Ceterum probabilitatem eorum, quae referuntur ab obstetrice Severi, innuit tota revisio, quae detexit in actrice alias quoque notas amissae virginitatis, nempe ventrem planum, pudenda exilia, mammas molles, vaginam laxam, adeo ut modo dicta Severi potuerit introducere eo medietatem digiti articularis.

His igitur ex rationibus precor Rm̃um Iudicium Spirituale, ut nova deputetur commissio medicis et obstetricibus constans, quae statum virginitatis extra omne dubium ponat; quod si vero id actrici iusto molestius videatur, ut disignentur saltem duo medici, qui eam revideant et Iudicio opportunam relationem de peractis a se praesentent.

. . . . . die 13 Novembris a. 1900.

Alexander Malerba.

Num. 40.
Iudex petitioni vinculi Defensoris annuit.

Iudicium Arcqiepiscopale . . . . . rogationi Defensoris Sacramenti Matrimonii annuens, Augustinam Finni denuo a medicis Felice Topolini et Vincentium Bellini in assistentia matronae Iuliae Giulimondi revideri decernit.

. . . . . , diei 15 Novembris anno 1900.

Praeses, R. Annibali — Notarius Iudicii, P. Assenzi.

Excellentissime Domine!

Reverendissime Pastor!

Num. 41.
Mulier iudicem obsecrat, ne rem tam arduam exigat ab ea cum gravi suae valetudinis dispendio, alteram nempe inspectionem pati.

Sex superque effluxerunt anni a nuptiis meis. Inde vero a quinquennio, derelicta penitus a marito, quocum, non mea utique culpa, copulam coniugalem non habui, devolvi coram Consistorio . . . . . processum divortialem ante annos hos prope duos. Putabam fore, ut, praesentatis testibus septimae manus, inter quos de veritate dictorum meorum et iuramenti, a me praestiti, deposuerunt iurato tam honestae et fidae personae, ut Anna Amidei, A. R. Canonicus Pazzini et avunculus meus Iosephus Abeti, inspectio esset duntaxat mera formalitas.

Acerbe me fefelli! Inspectio enim peracta est 27 Decembris a. 1899 toto cum rigore a quatuor obstetricibus, iuratis, medicis et tribus sacerdotibus delegatis a Consistorio, intra aliquot horas, cum infanda humiliatione, molestiis, quibus sperabam me redemisse saltem definitivam resolutionem causae

Interim comperi, me hac etiam vice vanam spem fovisse, his enim diebus, i. e. undecim mensibus post peractam inspectionem, Consistorium . . . . . per Advocatum meum Annatini, requirit ut me denuo alteri inspectioni subiiciam, id quod est ultra meas debiles vires, quum nunquam oblitura sim quanto prior steterit mihi dispendio valetudinis, honoris et verecundiae virginalis. Coactam me video repetere, me ante revisionem praestitisse pro innocentia mea iuramentum in Consistorio, quumque sim religiose educata, intelligere omnem eiusdem significationem, magnitudinem et sanctitatem, tum quoque personas summe venerandas, utpote Canonicum Pazzini, Annam Amidei et avunculum Iosephum Abeti iuramento confirmasse iuramenti mei valorem.

Accumbens igitur pedibus Tuis, Reverendissime Pater, supplex

exoro, ut digneris sacerdotibus ad causam meam delegatis, commendare, ne a me rem impossibilem i. e. alteram inspectionem, exigant atqua ut causa mea iudicetur statim in fundamento eorum, quae hactenus sunt conquisita, necnon depositionum latarum a tam idoneis testibus, qui me, a defuncta amica mea Malvini educatam, a teneris noscentes, iurato dictorum meorum veritatem roboraverunt.

Profundissima cum veneratione prosterno me ad pedes Excellentiae Tuae, Reverendissime Archipraesul, omnique cultu et devotione maneo,

Excellentiae Tuae

Humillima famula

Augustina Finni.

9 Decembris 1900.

Iudicium Archiepiscopale . . . . . .

Cum actrix declaret, se nolle novam subire inspectionem, petatque ut sententia ex congessis hucusque probationibus feratur, ulterius in causa procedi decernit.

. . . . . ., die 20 Decembris anno 1900.

Praeses, R. Annibali — Notarius Iudicii, P. Assenzi.

Num. 42.
Viri petitioni, ut a producendis testibus septimae manus dispensetur, annuitur.

Ioseph Finni petit, ut ab Rmo Iudicio dispensetur super producendis testibus septimae manus ex rationibus:

1. Quia, non obstantibus instantiis et invitationibus, invitati ad comparendum in qualitate testium septimae manus . . . . id facere renuunt.

2. Quod conventus, quantumvis semper decisionibus Iudicii obediens et nunc praeceptam productionem testium septimae manus adimplere cupiens, nihilominus id aliorum culpa praestare non valet.

3. Quod Rmum Iudicium Archiepiscopale in similibus casibns, alias inopiam testium respexit partemque in ius vocatam super obligatione producendi testes septimae manus dispensavit.

Die 17 Ianuarii anno 1901.

A. Millanti Adv. Iur. . . . . .

Huic petitioni assentior et peto praestitui terminum ad publicationum auctorum.

A. Annatini A. I.

Sessio Octava.

Num. 43. . . . . Curiae sententia.

Actum est in sessione Iudicii . . . . . , 11 Aprilis anno 1901.

Praeses. N. N. Archiepiscopus . . . . .

Praesentes: Casimirus N. N. Episcopus . . . . .

Rochus Annibali, Canonicus Eccl. Cathed. Iudex delegatus.

Alexander Malerba, Defensor indissolubilitatis Sacramenti Matrimonii.

Petrus Assenzi, Notarius Iudicii.

In causa de pronuntianda nullitate matrimonii coniugum Finni ex actione Augustinae Finni, natae Agostini, in civitate N. N. dioecesi N. N. domicilium habentis, personaliter atque per legitimum procuratorem Antonium Annatini, Advocatum Iudicii Archiepiscopalis . . . . comparentis et agentis adversus Iosephum Finni, possessorem bonorum, in agro . . . . . eiusdem Dioecesis, degentem, personaliter atque per legitimum procuratorem Antonium Millanti, Advocatum Iudicii Archiepiscopalis . . . . . , comparentem et agentem.

Ex titulo impotentiae coëundi.

Status causae.

Augustina Finni, nata Agostini, porrexit die 14 Martii anni 1899 huic Iudicio querelam de matrimonio suo cum Iosepho Finni die 15 Iulii anni 1894 inito, atque in ecclesia parochiali S. Ioannis N. N. benedicto, eousque, conatibus ex una libentique animo succumbemdi, ex altera parte nequicquam concurrentibus. non consummato, deprecans, ut institueretur processus canonicus, qui huiusce coniugii nullitatem pronuntiaret (ff. 1, 2). Quamquam actrix recursum suum ad Iudicium Archiepiscopale . . . . . ea re asserebat, quo nuptiae habitae essent . . . . . , quum tamen utraque pars, permanens domicilium in iurisdictione Iudicii Archiepiscopalis habens, ibidem ex titulo domicilii, qui est potissimus, necnon possessionis immobilium, pro-

cessum gerere deberet, hinc sola attenta ratione, quod cuncti ferme testes, in hac causa producendi, degerent . . . . . eorumque citatio . . . . . , propter quorundam provectiorem aetatem atque loci distantiam, multum habitura esset difficultatis, actrix impetravit a Reverendissimo Episcopo N. N. formalem delegationem, die 15 Aprilis anni 1899 N. 432 datam, ad gerendum processum in hoc Iudicio, id quod Iudicium, decisione 4 Maii eiusdem anni N. 337 lata, ratum habuit. Ex decisione Iudicii die 11 Maii eiusdem anni 1899 N. 355 lata, postquam reconciliatio coniugum, a Delegato ad hanc causam, Canonico Rocho Annibali die 6 Iunii, a. 1899 attentata, nullum sortita est effectum, successit eorum indagatio protocollaris. Coniuges, praestito ab utroque seorsim iuramento de veritate dicenda, confessi sunt unanimiter, ut sequitur (ff. 9-16):

a) causam querelae de annullando matrimonio, Iudicio Spirituali afferendae, fuisse, quod conatibus ex parte mariti et libenti animo copulae ex parte uxoris frustra adhibitis, matrimonium hoc numquam consummatum esset:

b) primo post nuptias mense, conatus coëundi ultra decies iteratos esse; quos, postquam irritos esse et fore intellexissent, ulterioribus attentationibus supersedisse, elapsisque octo mensibus cohabitationis, invicem discessisse:

c) utrumque coniugem ante et post nuptias fuisse omnino valentes, actricem dumtaxat, post frustratos conatus copulae, laborasse neurasthenia, non tamen adiisse medicos, sed ipsam adhibuisse quasdam herbas:

d) pariter non consuluisse medicos super impotentia consummandi ipsorum matrimonii; siquidem ambo se crederent legitime conformatos, id est, nullis obnoxios difformitatibus physicis genitalium, ideoque actricem causam conaminum irritorum afferre non posse, in ius vero vocatum admittere, causam non adimpleti matrimonii esse aut vitium quoddam organicum aut relativam erga ipsum non sufficientem conformationem genitalium in uxore: denique

e) actricem putare, se esse hucusque in statu integritatis, inspectionemque corporis sui a peritis peragendam subituram esse.

Facta confessione, coniuges praestiterunt iterum iuramentum et obstrixerunt sese ad servandum silentium, donec acta processus publicentur (f. 17). Demonstrata idoneitate testium septimae manus ab actrice productorum ex decisione Iudicii de die 8 Iunii anno 1899 N. 410, dicti testes sacerdos Aloisius Pazzini, Iosephus Abeti, Iose-

phus Armadilli et Agatha Pezzenti die 26 Iunii; Anna vero Amidei, Henricus Agostini et Alexander Avanzini die 27 Iunii eiusdem anni 1899 sub iuramento unanimiter deposuerunt:

Ex ipsorum persuasione religiosissimam actricem esse, piam, probam atque honestam nullaque in re mendacium et eo minus periurium commissuram. Anna Amidei insuper adiecit: « attentis moribus, « institutione et pietate actricis, verba sunt testis, ne admitto quidem, « ut confessione sua mihi perlecta, quam iuramento firmavit, Iudi- « cium Ecclesiasticum fallere voluerit » (f. 30 ad 5).

Ad instantiam actricis, ut ulterius procederetur, quum in ius vocatus per litteras ad procuratorem suum datas (ff. 35-37) declaravisset, se propter locorum distantiam testes septimae manus conquirere non posse et rogasset secum super hac re dispensari, Iudicium decisione die 23 Novembris anno 1899 N. 120 lata, inspectionem corporis actricis peragi decrevit, atque ad hunc finem Defensori Sacramenti Matrimonii opportunam instructionem conficere praecepit; proxima vero decisione de die 30 eiusdem mensis et anni, N. 133, praesentatam sibi instructionem confirmavit (ff. 39-41) et peritos ad peragendam inspectionem doctores Fabium Berti et Camillum Camilli, obstetrices vero Mariam Longhi, Caeciliam Severi et Iosepham Tessuti necnon matronam Iuliam Giulimondi designavit. — Revisio corporis actricis, stricte servata instructione hac in re a Iudicio confirmata, peracta est die 8 Ianuarii anno 1900. Singulae obstetrices, absoluto commisso sibi a Iudicio opere, consignarunt relationem in praesentia Notarii Iudicii, quam in eiusdem manus tradiderunt; deinde, praesentibus Delegato et Defensore, dictaverunt observata a se medicis peritis. Post obstetrices consignavit in praesentia Notarii Iudicii eique tradidit relationem suam matrona (ff. 47-55).

Postridie peractae inspectionis examinatae sunt sub iuramento obstetrices et matrona (ff. 56-65); die vero 8 Ianuarii a. 1900 medici periti praesentaverunt relationes cum opinione scientifica de repertis in revisione corporis actricis (ff. 67-79) eodemque die protulerunt iurato specificas et accuratiores super hac re explicationes (ff. 70-76). Revisio corporis actricis demonstravit:

a) stante modica et debili conformatione corporis, actricem nulli obnoxiam esse difformitati, vel vitio perinde in universo organismo atque in muliebribus, ideoque habilem esse ad consummandum matrimonium;

b) actricem nondum transegisse praegnantiam, vel puerperium,

id quod evincerent: parvae papillae cum circulis subroseis in mammis, venter laevis sine cicatricibus et infucatione lineae candidae, necnon integritas frenuli;

c) actricem non esse perfunctam copula carnali, eo quod hymen ultro cedens et tenuis adeoque facilis ad dirumpendum, esset integer et inviolatus cum ostiolo rotundo, marginibus laevibus et teneris, in quod vix extremitas digiti auricularis penetraret; labia autem pudenda maiora et minora, tenuia ac subtilia, essent colore roseo, simul maiora cohaererent et obstruerent minora.

Ad instantiam procuratoris partis in ius vocatae, ore prolatam, de dispensando ipsius cliente ab obligatione producendi testes septimae manus necnon ad oralem pariter instantiam procuratoris actricis de promovendo ulterius processu, Iudicium, decisione die 11 Octobris anni 1900 lata, praecepit Defensori Sacramenti Matrimonii consignare instructionem pro arte peritis ad peragendam inspectionem corporis in ius vocati; decisione vero de die 8 Novembris c. a. N. 91 praesentatam instructionem (f. 80) acceptavit, inspectionem corporis in ius vocati peragi mandavit atque ad opus hoc medicos: Fabium Berti, Vincentium Bellini et Camillum Camilli deputavit.

Inspectio corporis conventi Iosephi Finni peracta est die 10 Novembris anni 1900. Medici functi sunt opere suo singuli seorsim, singulique, ea absoluta, illico relationem cum opinione scientifica confecerunt eamque in manus Defensoris tradiderunt (ff. 81-87); deinde vero die 13 Novembris eiusdem anni protocollariter sub iuramento, pariter seorsim, quisque ad specifica interrogatoria peractum ab ipsis opus cernentia responsa dederunt (ff. 88-91).

Exploratio corporis Iosephi Finni exhibuit;

a) eum esse corporis structura bona, prospera et robusta conformationemque eius organismi, tam extrinsecam quam intrinsecam, nullas praeseferre difformitates, quae ex illegitima primitiva evolutione provenirent, nullaque vestigia qualiumcumque morborum; solus Dr. Berti observavit symptomata neuroseos, Camilli, vero chronicam epididymitem in dextro testiculo, id quod caeteroquin, ut ipse expertus ait (f. 87), minime impedit facultatem coëundi;

b) genitalia in ius vocati esse pariter proportionate ad totum organismum conformata, valida et legitima, dimensionibus mediis, ideoque ex hac parte nullam adesse rationem supponendi copulationem fieri posse illegitime; imo pro certo statui posse facultatem hanc esse omnino rectam;

c) quae cum ita essent, non adimpletum a partibus matrimonium doctorem Bellini tribuere rationibus psychicis; doctorem Berti neurosi in ius vocati; doctorem vero Camilli disproportionatae conformationi genitalium in ius vocati relate ad muliebria actricis.

Ad oralem instantiam procuratorum partium Iudicium acta processus clausit, terminumque publicationis, qua in termino assignato secuta, acta Defensori ad formandas coniecturas tradidit; denique, decisione die 17 Ianuarii a. c. lata, terminum ad proponendam causam in die 11 Aprilis a. c. praefixit.

Hodie igitur, exauditis suffragiis procuratorum utriusque partis, coniecturis Defensoris sacramenti matrimonii, necnon perpensis sedulo actis totius causae

Iudicium. . . . . .

. . . . . .

attento

quod ad validitatem matrimonii ex iure tam naturali, quam ecclesiastico, nominatim canone « *Quod sedem...* » Alexandri III, necnon canone « *Cum frequenter...* » Sixti V. exigitur capacitas physica utriusque coniugis ad fungendum debito coniugali;

attento

quod ambo coniuges unanimiter iurato confessi sunt, se matrimonium per totum tempus cohabitationis, quantumvis seriis adhibitis conatibus ex parte mariti et libenti accedente animo succumbendi ex parte uxoris, consummare non potuisse, nec consummasse, actrixque addidit, ex frustra attentata copulatione redundasse tam in ipsam, quam in maritum irritationem nervorum;

attento tamen

quod praecepta ad probandas hasce assertiones inspectio corporum utriusque coniugis evicit in utraque parte facultatem ad actum copulationis, nec solum in individuo consideratam nulli obnoxiam vitio organico, quod copulam impediret, verum etiam reciprocam; experti enim, praeter doctorem Camilli, minime notant disproportionem geni-

talium et quamvis loquantur de pusilla et tenera conformatione actricis, statim addunt, eam esse « temperamento miti, nullis laborantem vitiis conspicuis in universo organismo, atque adeo etiam in pelvi » (D.r Berti); cumque talis sit, « esse habilem ad consummandum matrimonium » (D.r Camilli), quod vero in ius vocatum attinet, revisio demonstravit omnino normalem mediam conformationis ipsius genitalium....

attento porro

quod eadem peritorum inspectio probavit inviolatam virginitatem actricis, et quamquam obstetrix Severi in relatione scriptitia non loquitur de praesentia hymenis aitque: « in medio ostio vaginae adesse « carunculam formam folii, tanquam marginem vaginae, praesefe- « rentem » (f. V. 51), in protocollo tamen ad opportunam interrogationem respondet directe, dilucide et non ambigue: « reperi hymenem « actricis formae diversae a solitis; visus mihi est adhaerere in duobus « punctis desuper et deorsum, inter puncta vero adhaesionis potui ope « unguis removere hanc membranam a compagine, perspectum mihi « est hunc fuisse hymenem, non vero aliud quidpiam » (f. 6, ad 6);

Litt. A. Iudex solemniter declarat, ex unanimi quinque peritorum iurato testimonio, omnia virginitatis signa in actrice reperta fuisse.

attento insuper

quod praeter existentiam hymenis, principale argumentum virginitatis, id quod significaverunt omnes obstetrices, aliae quoque notae, contra assertum Defensoris sacramenti matrimonii idem evincunt, utpote status ventris, qui licet planus, nullas prodit rugas, cicatrices vel infucationes lineae candidae, mammae, etsi aliquantulum pendulae, instructae tamen papillis parvis, rigidis et circulo pallido-roseo circumductis; labia pudenda, quamvis exilia et tenera, non tamen laxa, arcte cohaerentia, minora obducta maioribus, eorumque color subruber; quod igitur haec signa (planities ventris, pendulitas mammarum et teneritudo labiorum pudendorum) ex sententia obstetricis Longhi accipienda et agnoscenda sunt non pro argumento amissae virginitatis, sed pro consequentia exilis conformationis organismi actricis;

attento denique

quod stantibus, virginitate actricis, idoneitate utriusque coniugis ad exercendam copulam, defectu praepotentiae in ius vocati erga actricem.

siquidem experti in opinionibus suis variant in assignandis causis non consummati matrimonii; Bellini enim attribuit momentis psychicis (f. 83), Berti neurosi (f. v. 84), solus vero Camilli disproportionatae conformationi genitalium in ius vocati relate ad muliebria actricis (f. 87), Iudicio desunt rationes non modo physice certae, verum etiam ne probabiles quidem, quae sinat concipere persuasionem certam de impotentia coëundi;

attento tandem

quod coniuges a Delegato admoniti et cohortati ut convictum restituerent et vel more fratris cum sorore cohabitarent, definitive negarunt, se hac conditione ullatenus cohabitare velle aut posse; ex altera vero parte, habita ratione florentis aetatis coniugum (actrix est nunc annorum 30, in ius vocatus 45) eorumque prosperae valetudinis, iidem versantur in periculo incontinentiae, cui intra limites iuris ordinarii occurri nequeat et solus Summus Pontifex, Apostolica Sua Auctoritate, si adductas causas ratas habiturus sit, via dispensationis coniugum Finni matrimonium hucusque physice non consummatum dissolvere possit;

His igitur de causis et rationibus,

Iudicium . . . . . .

Causam Iosephi et Augustinae, natae Agostini, coniugum Finni, cum demonstratum sit, utramque partem pollere facultate ad actum coniugalem, maritum vero esse praepotentem non pateat, in viam obtinendae a Sancta Sede Apostolica dispensationis dirigi decernit.

† N. N. Episc. . . . . .

Notarius Iudicii, Petrus Assenzi.

Sententia haec promulgata est in praesentia procuratorum utriusque partis.

Notarius Iudicii, Petrus Assenzi.

Notarius Iudicii Archiepiscopalis . . . . .

Praesens transumptum nonaginta (90) foliis constans, in omnibus cum originali concordare testor.

. . . . . die 2 Ianuarii 1902.

(L. S.) — Petrus Assenzi.

Die 13 Aprilis 1902.

Num. 44. Decretum R. P. D. Secretarii.

Eidem Archiepiscopo, qui petitionem super dispensatione a matrimonio rato et non consummato a partibus, vel saltem ab alterutra earum subscriptam ad S. C. transmittat.

Beatissime Pater,

Num. 45. Supplex actricis libellus, quo a Summo Pontifice dispensationem efflagitat a matrimonio rato et non consummato.

Die 15 Iulii 1894 in Ecclesia S. Ioannis in civitate . . . . . cum Ioanne Finni contraxi matrimonium, quod tamen, etsi pluries adhibitis conatibus, nunquam consummari potuit. Ideoque die 14 Martii 1899 obtuli Iudicio Archiepiscopali eiusdem civitatis . . . . . supplicem libellum, quo matrimonium meum ex capite impotentiae nullum accusavi.

Iudicium Archiepiscop., formali processu instituto, et peracta inspectione corporis utriusque coniugis, ex qua patet me esse penitus virginem, statuit, sententia dici 11 Aprilis 1901, subiicere hanc causam supremae Clavium Potestati pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato et Archiepiscopus civitatis . . . . . acta huius processus una cum litteris diei 2 Ianuarii 1902 transmisit ad S. C. Concilii.

In hoc statu causae et miserrimis vitae meae conditionibus, accumbens pedibus tuis, Beatissime Pater, humillime exoro, ut me a matrimonio rato et non consummato dispensare digneris.

Sanctitatis Vestrae

. . . . . , 10 Maii 1902.

Humillima famula et obedm̃a filia

Augustina Finni, nata Agostini.

Beatissime Pater,

Num. 46. Archiepiscopus transmittit acta processus confecti pro matrimonii nullitate de-

Augustina Finni, nata Agostini, die 14 Martii 1899 Iudicio meo Archiepiscopali supplicem libellum obtulit, quo matrimonium suum cum Iosepho Finni die 15 Iulii 1894 contractum et in ecclesia parochiali S. Ioannis . . . . . benedictum nullitatis accusavit ex capite

cernenda ex capite impotentiae, ut eadem pro concedenda dispensatione a matrimonio rato et non consummato adhibeantur.

impotentiae. Iudicium meum in vim delegationis Rmi Episcopi . . . . . formali processu instructo, innixum motivis sequentibus:

1° quod ambo coniuges cum septima manu iureiurando confessi sunt, se adhibitis conatibus ex parte mariti et libenti animo copulae ex parte uxoris, matrimonium suum nunquam potuisse consummare;

2° quod instituta iudicialis inspectio corporum utriusque coniugis evicit in utraque parte facultatem ad actum copulationis;

3° quod eadem inspectio expertorum probavit statum inviolatae virginitatis muliebrium actricis;

4° quod stantibus idoneitate utriusque coniugis ad exercendam copulam, virginitate actricis et defectu praepotentiae mariti, medici experti variant in assignandis causis non consummationis matrimonii;

5° tandem, quod coniuges in Iudicio declararunt absolute, se nullatenus velle et posse mutuum convictum restituere tum ob nervosam irritationem ex attentata copula, quum ob incontinentiae periculum: ambo enim in florenti aetate constituti sunt; quum in his rerum adiunctis, coniugibus via ordinaria occurri nequeat, statuit causam hanc Supremae Clavium Potestati subiicere, quatenus, si ita videbitur, Tu Beatissime Pater, cum praedictis coniugibus in eorum matrimonio rato et non consummato benignissime dispensare digneris.

Copiam authenticam actorum et sententiae Iudicii mei heic adnectendo, Apostolicam Benedictionem exoro.

Sanctitatis Vestrae,

. . . die 2 Ianuarii a. 1902.

Humillimus famulus ac obedientissimus filius.

† N. N.

Archiepiscopus . . . . .

Haec causa agitata fuit in S. C. C. et SS. *dispensavit* super matrimonium ratum et non consummatum, post relationes Consultorum et defensionem advocati actricis.

Notanda. Ex relationibus obstetricum et medicorum, clara et certa est virginitas actricis; nam status mammarum, abdomen levigatus absque cicatricibus, integritas freni et praesertim status hymenis integri cum ore rotundo et marginibus laevibus testantur de non facta con-

summatione ac ideo de persistentia virginitatis. Causa vero, qua consummari hoc matrimonium non potuit, ex mea sententia, est impotentia psychica mariti, orta ex deficientia, ex parte mulieris, excitationis amoris sexualis erga virum, ob generalem suam organicam complexionem, quae puberis esse videbatur; absentia stimuli sexualis duxit inhibitionem, quae fuit causa impotentiae eius psychicae. (Cfr. II, 235 et ss.).

SPECIMEN III.

Argumentum. — Isidorus Piselli contraxit matrimonium cum Hedwige Favini. Per aliquod tempus cum conatus fuerit matrimonium consummare et numquam potuerit, discessit ab uxore, et supplicem libellum porrexit Tribunali ecclesiastico ad obtinendam declarationem nullitatis matrimonii ob impotentiam physicam relativam, cum eius tentamina indúxerint in eo nervositatem et persuasionem inhabilitatis ad consummandum. Incaepto iudiciali canonico processu et omnibus consideratis, quae referúntur ad eum et ad eius uxorem, ecclesiasticum Tribunal iudicavit non constare de nullitate matrimonii. Hinc causa delata fuit ad S. Congr. Concilii. Cum vero uxor esset omnino intacta et vir laboraret impotentia psychica saltem relativa, et uterque esset, ob aetatem, in periculo incontinentiae, S. Pontifex dispensare dignatus est super matrimonium tantum ratum.

Rmo Iudicio Episcopali civitatis . . . . . .

Num. 1.

Isidorus Piselli petit a Iudicio Ecclesiastico . . . . . , ut matrimonium ob suam impotentiam relativam, praevio canonico processu, nullum declaretur.

Isidorus Piselli, degens in . . . . . , ad plateam S. Ignatii N. 19, petit pronunciari nullitatem sui matrimonii cum uxore Hedwige Piselli, nata Favini, degente in civitate . . . . , ex titulo impotentiae physicae.

Nuptiae nostrae benedictae sunt die 20 Iunii 1898 in ecclesia Patrocinii S. Ioseph civitatis . . . Connubium tamen hoc physice consummatum non est, etsi serio id pluries attentaverim. Conatus hi perseverarunt aliquot menses mihique causa fuerunt vehementis irritationis nervorum ita, ut per tempus aliquod attentationem copulae intermiserimus; deinde tamen denuo per longius temporis spatium; nam fere unius anni coire studuimus, sed semper sine successu.

Quod ad me attinet, persuasum habeo, me non laborare impotentia absoluta. Medici, quos consului, pronuntiaverunt, me bene, immo specialiter in genitalibus, fortiter esse conformatum et evolutum. Neque credo uxorem meam obnoxiam esse alicui vitio organico. Opinor igitur, causam non consummati coniugii latere in utroque nostrum et imprimis in enormi conformatione partium mearum genitalium, quae evidenter disproportionatae sunt ad pudenda uxoris. Opus esse censeo addere me esse affectione nervosa, indeque propter flagrans temperamentum semen meum erupisse non raro antequam attentaverim concubitum. Penetratio intra vas muliebre uxoris perfecta nunquam locum habuit, nec fieri potuit ob causas, quarum naturam forsitan pe-

riti physiologi definient. De conatibus meis et non consummato legitimo matrimonio, suo tempore mentionem feci amico meo sacerdoti Meloni, Rectori Seminarii nostrae Civitatis.

Quibus omnibus expositis, honori mihi duco rogare Rm̃um Iudicium episcopale, ut preces meae ad deliberandum recipiantur, et peracta inquisitione matrimonium meum, utpote cum impedimento canonico contractum, dirimatur.

Profundissima cum reverentia

Isidorus Piselli.

. . . . . , die 17 Februarii 1900.

Sessio Prima.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 2. Iudex satagit coniuges ad concordiam revocare, at irrito conatu.

Anno Domini 1900, die 22 Maii, hora undecima, Dominus Lucius Zitelli Canon. Eccl. Cathed., accitis D.no Francisco Rapini iuris Canon. Doctore, ac me infrascripto Dominico Zucchini, notario ecclesiastico, exponit fuisse per Sacrae Congregationis Concilii litteras 22 Martii 1900 Illm̃o ac Rm̃o Episcopo N. N. facultatem tributam instruendi causam matrimonialem coniugum Piselli, se autem fuisse a praefato Episcopo per litteras 1 Maii specialiter in iudicem pro istius processus confectione delegatum. Quibus praemissis, narrat se die 14 Aprilis in Cancellaria Iudicii Episcopalis accessisse ad tentandam reconciliationem praenominatorum coniugum. *Sed ambo coniuges reconciliationi definitive et cathegorice sese opposuerunt et declaraverunt secum vivere nec velle nec posse.* Quapropter Iudex Delegatus ulteriores conatus reconciliandi coniuges intermisit, instantiam actoris ad inquisitionem iudicialem recepit et protocollum praesens ab utraque parte subscriptum clausit.

Isidorus Piselli.

Hedwiges Piselli, nata Favini.

In fidem. — L. Zitelli, iud. del. — Franciscus Rapini, Vinculi Defensor.

His protocollon clausum et subscriptum est.

Dominicus Zucchini.

Sessio Secunda

In Nomine Domini. Amen.

Num. 3. Matrimonialis vinculi Defensor spondet, se demandato munere religiose functurum.

Anno Domini 1900 die 22 Maii actum est . . . . , in Cancellaria Iudicii Episcopalis.

Praesentes:

Iudex Delegatus, Lucius Zitelli, Canonicus Eccles. Cathedr.

Defensor sacramenti matrimonii, Franciscus Rapini.

Iudicii Notarius, Dominicus Zucchini.

In causa de nullitate matrimonii Isidori et Hedwigis Favini, coniugum Piselli, quum conanima attentatae reconciliationis coniugum nil profecerint, Defensor vinculi matrimonialis praestitit iuramentum in manus Iudicis Delegati iuxta formam, quae sequitur etc.

Num. 4. Iuratum examen Isidori Piselli, actoris.

Emisso per Defensorem iuramento, adscitus per Iudicem Delegatum Isidorus Piselli comparuit personaliter et in primis monitus de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus, genuflexit et, manu dextra ad Evangelia applicata, praestitit iuramentum de veritate dicenda ut sequitur etc.

Hic, Vindex sacramenti matrimonii porrexit Iudici obsigillata interrogatoria, quibus, iussu iudicis, apertis, coepta est protocollaris indagatio ut sequitur:

Sum Isidorus Piselli, annorum 33, catholicus, coniugatus, carens liberis, possessor bonorum terrestrium, dego in civitate N. ad plateam S. Ignatii N. 19, obligationes religiosas adimpleo, causam criminalem non habui.

1. Indices diem, mensem, annum, quo contraxisti matrimonium cum Hedwige Favini uxore tua et coram quo parocho.

R. Matrimonium religiosum cum Hedwige Favini contraxi die 20 Iunii 1898. Benedictum fuit hoc connubium in ecclesia Patrocinii S. Ioseph in civitate N. a parocho Ioanne Tassi.

2. Dicas, an matrimonium tuum initum fuerit ex amore, an vero ob alium finem?

R. Tribus mensibus ante nuptias cognovi uxorem, quae proposi-

tum meum incundi coniugii acceptavit. Duxi uxorem ex amore paremque affectum deprehendi in sponsa.

3. Qua valetudine corporis eratis uterque antequam matrimonium celebratum fuisset, momento festi nuptialis et toto temporis spatio, quo cohabitastis?

R. Tam ante, quam inter et post nuptias plena usus sum valetudine, nec minus uxor visa est mihi valere.

4. An post contractum matrimonium statim quoad cohabitationem et lectum te univeris cum uxore tua; ubi domicilium stabilivistis, utrum cum uxore tua convixeris semper in bona harmonia et, casu negativo, dicas, quo tempore et qua ex causa concordia fuerit perturbata, an et ex quo tempore te separaveris ab uxore tua et quare?

R. Postridie nuptiarum profecti sumus cum uxore Mediolanum, transactaque nocte in Hôtel... properavimus ad mare, ubi in loco dicto... per unius mensis spatium demorati sumus.

Deinde profecti sumus in possessionem uxoris ac consedimus in oppido N. ibique per annum mansimus. Iam Mediolani conatus sum adimplere actum coniugalem; sed licet uxor succubuerit, *coire cum ea non potui;* nam in muliebribus uxoris offendi quemdam obicem, ita ut membrum meum intus penetrare non potuerit ac semen ad extra defluxerit. Postmodum aliquandiu continuavi conatus concumbenbi; *sed posteaquam matrimonium consummare haud valui* et uxor et ego enervatos nos sensimus, rarius ad uxorem accessi; *at numquam legitimam cum ea copulam habui.* Per octo fere mensium spatium concordes viximus; deinde ortae sunt leves dissensiones, praecipue propter non consummatum coniugium elapsoque anno cohabitationis ob eamdem causam, consentiente uxore, domum eius deserui.

5. Dicas, an coniacens, cum uxore tua exercueris actus coniugales directos ad procreationem liberorum per consummationem matrimonii? Utrum, quando te exponebas ad habendum coitum cum uxore, hasta tua virilis se erigeret; utrum post erectionem eamdem hastam adhuc erectam intromitteres in vas conceptionis uxoris tuae; utrum in hoc actu hasta tua perforaverit vas eius et sparserit semen et hoc semen fluxerit intra vas naturale uxoris, an vero foras?

R. Profitcor ex animi conscientia, quamvis multis adhibitis conatibus, matrimonium numquam legitime consummatum esse, ita ut toties membrum meum virile erigeretur, semen defluxerit antequam penetrare potuerim intra vas muliebre uxoris.

6. Dicas utrum saepe conatus consummandi matrimonii susce-

pistis et uxor sua ex parte nulla ponebat obstacula, quominus matrimonium consummaretur ; an e contra te adiuvabat ad facilitandam consummationem in quantum potuit ?

R. Initio fere quotidie contendi concumbere cum uxore, deinde rarius. Uxor per aliquot menses non repugnabat attentationibus, posterius demum nonnumquam copiam sui mihi denegabat idque tunc modo, quum se enervatam sentiebat.

7. An certus sis, quod numquam matrimonium consummaveris cum uxore tua, ita ut haec virgo intacta permanserit, an vero sis in dubio ea de re ? Quod si certus sis, quanam ex causa consummatum non fuerit matrimonium ?

R. Pro certo mihi constat, me matrimonium non consummasse et idcirco opinor uxorem meam esse virginem.

8. An uterque coniux consilium medicorum exquisierit ad hoc impedimentum tollendum et quorum medicorum consilium petieritis, quot vicibus, quae remedia praestita sint a medicis ; an remediis his usi sitis, per quod temporis spatium, quo cum fructu ?

R. Post aliquot menses exquisivi consilium medicorum Rosini et Spinelli civitatis.... circa impotentiam consummandi matrimonii. Nulla mihi remedia praescripserunt. Doctor vero Rosini impotentiam coëundi attribuit meae nervositati et enormi dimensioni hastae meae virilis, in quorum fidem produco eius testimonium in scripto. Uxor, quantum quidem novi, nullos adiit medicos.

9. Dicas, utrum unquam coram aliquo conquestus fueris de non consummato matrimonio et utrum mutuo vobis convicia feceritis hac de re ?

R. Per tempus nostrae cohabitationis coniugalis dictabam in confuso inter familiares, matrimonium meum non esse consummatum, etsi nunc non possim nominatim citare ad quosnam hoc dixerim. Anno post separationem ab uxore locutus sum de non consummato matrimonio cum sacerdote Scavizzi civitatis.... Aliquoties reprehendi uxorem, quod non potuerim cum ipsa concumbere, et ea respondebat : « noli tentare, quum non valeas ».

10. Utrum paratus sis te subdere oculari inspectioni peritorum medicorum a Iudicio designatorum, si hac re opus erit ?

R. Inspectionem physiologicam suo tempore paratus sum subire.

11. Dicas, utrum praestes Iudicio testes septimae manus, qui testimonio suo confirment veracitatem eorum, quae protulisti ?

R. Testes septimae manus producam.

12. Quid amplius dicendum hac in re ducis?

R. Nihil amplius habeo in hac causa ad dicendum.

Hanc depositionem, clara voce mihi recitatam, ratam habeo, subscribo, et iuro.

Isidorus Piselli.

In fidem. — L. Z. — F. R. — D. Zucchini.

Quibus habitis, ab actore iuramentum de veritate dicta et silentio servando praestitum est iuxta formam, quae sequitur etc.

Sic iuravi. — Isidorus Piselli.

In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 5. Iuratum examen uxoris. Hedwigis Piselli, natae Favini.

Deinde comparuit coniux et dictavit ut sequitur.

Sum Hedwigis Piselli, nata Favini, annorum 34, catholica, coniugata, carens liberis, proprietaria bonorum terrestrium, dego in...., officia religionis adimpleo.

Hic, vocata in ius, tactis evangeliis, emisit iuramentum de veritate dicenda etc.

In fidem. — L. Z. — F. R. — D. Zucchini.

1. Indices diem, mensem, annum quo contraxisti matrimonium cum Isidoro Piselli et coram parocho?

R. Matrimonium cum Isidoro Piselli inii in civitate... in ecclesia Patrocinii S. Ioseph, coram parocho praefatae Ecclesiae.

2. Dicas, an matrimonium tuum initum fuerit ex amore, an vero ob alium finem?

R. Ad nubendum Isidoro Piselli nemo me cogebat, nupsi ei ex animi sententia.

3. Qua valetudine corporis fuistis uterque coniux antequam matrimonium celebratum fuisset, momento festi nuptialis et toto temporis spatio, quo cohabitastis?

R. Ab infantia usque hodie bona semper fruor valetudine.

4. An post contractum matrimonium statim quoad cohabitationem et lectum te unieris cum marito tuo; ubi domicilium stabilivistis; utrum cum marito tuo convixeris semper in bona harmonia et casu negativo dicas, quo tempore et qua de causa concordia fuerit perturbata; an et quo tempore te separaveris a marito tuo et quare?

R. Postridie nuptiarum profecti sumus Mediolanum, ubi perno-

ctavimus dumtaxat et perreximus ad oram maritimam ac conduximus habitaculum in regione . . . . ; transacto ibi aliquo tempore consedimus in mea domo apud N. Tempus, quo maritus attentaverit consummationem matrimonii non possum assignare ; persuasum tamen habeo copulam inter nos perfectam non fuisse.

5. Dicas, an coniacens cum marito tuo exercueris cum eo actus coniugales directos ad procreationem liberorum per consummationem matrimonii. Utrum, quando maritus tuus se exponebat ad habendam tecum copulam, hasta eius virilis se erigeret ; utrum post erectionem eamdem hastam adhuc erectam intromitteret in vas tuum, et utrum hoc in actu vas tuum perforatum fuerit, et semen sparsum fuerit intra vas tuum naturale, non vero foras ?

R. Per annum circiter cohabitavi marito. Novi maritum attentasse hoc tempore copulam carnalem ; sed quoties id fecerit non memini. Non novi scientia apodictica, sed persuasum habeo, coniugium nostrum legitime consummatum non esse. Quantum recordor, marito debitum petenti libenter obsequebar.

6. Dicas utrum saepe conatus consummandi matrimonii suscepistis et tua ex parte nulla ponebas obstacula, quominus matrimonium consummaretur, an e contra adiuvares eum in facilitanda consummatione ?

R. Non possum dignoscere, quae fuerit causa non consummati matrimonii.

7. An certa es quod nunquam matrimonium consummastis cum marito tuo, ita ut virgo intacta permanseris, an vero sis in dubio ea de re ? Quod si certa es, quanam ex causa consummatum matrimonium non fuerit ?

R. Certissime affirmo, me manere virginem.

8. An uterque coniux consilium medicorum exquisierit ad hoc impedimentum tollendum et quorum medicorum consilium petivistis ; quot vicibus ; quae remedia praestita sunt a medicis ; an remediis his usi estis, per quot temporis spatium, cum quali fructu ?

R. Nunquam, dum in vita sum, quocumque titulo consilium medicorum exquisivi.

9. Dicas, utrum nunquam coram aliquo conquesta fueris de non consummato matrimonio et utrum mutuo vobis convicia feceritis hac de re ?

R. Nunquam cuiquam mentionem feci de non consummato inter nos coniugio.

10. Utrum parata sis te subiicere oculari obstetricum inspectioni, si hac re opus erit?

R. Parata sum me submittere suo tempore inspectioni oculari a Iudicio praescribendae.

11. Dicas utrum praestes Iudicio testes septimae manus?

R. Arbitror, me posse praesentare testes septimae manus.

12. Quid amplius dicendum hac in re habes?

R. Nihil amplius habeo ad dicendum in hac causa.

Hanc depositionem clara voce mihi recitatam ratam habeo, subscribo et iuro.

Hedwiges Piselli.

His habitis, tactis evangeliis, iuramentum de veritate dicta et silentio servando praestitit.

Hedwiges Piselli.

In fidem. — L. Z. — F. R. — D. Zucchini.

Hic notandum quod rea imprimis a iuramento se excusavit et post depositionem iuramenti in protocollon quoad circumstantias consummandi matrimonii elucidationem dare recusavit.

His protocollon clausum et subscriptum est.

L. Zitelli — F. Rapini — D. Zucchini.

Num. 6.

Viri Procurator Iudicem rogat, ut testes septimae manus propositos ad examen admittat, et requisita documenta idoneitatis exhibet.

Isidorus Piselli rogat Rm̃um Iudicium, ut praecipiatur examen testium septimae manus, quorum elenchum una cum testimoniis idoneitatis in adnexo producit.

Elenchus testium.

1. Anna comitissa Platani, nata Piselli, soror;
2. Iosephus Piselli advocatus, frater;
3. Iulius Barbati;
4. Apollonia Campanelli, nata Favini, amita;
5. Augustus Millefoglio, olim praetor, notus ab annis decem,
6. Theodorus Salvati, notus ab annis 16;
7. Amilcar Gerani, affinis, notus ab annis 18.

Antonius Barbetta, Advocatus Iudicii Episcopalis . . . Procurator Isidori Piselli.

Num. 7.
Iudex agnoscit testes fide dignos, utpote probitate et religione notos, eosque examinari decernit.

Iudicium Episcopale . . . . . , audita postulatione Procuratoris actoris exhibentis documenta idoneitatis pro

1. Theodoro Salvati;
2. Amilcare Gerani;
3. Ioseph Favini;
4. Anna comitissa Platani;
5. Augusto Millefoglio;
6. Iulio Barbati;

et 7. Apollonia Campanelli;

laturis testimonium in favorem Isidori Piselli actoris, ut testes hi ad deponendum admitterentur, quum Vindex sacramenti matrimonii eiusmodi petitioni nihil se opponere velle declaraverit, testes recensitos, *aliunde etiam ex probitate et religione notos Iudicio, fide dignos agnoscit*, eosque examinari decernit.

. . . . . die 2 Iunii 1900.

† N. N., Episcopus . . . . . .

Notarius Iudicii, Dominicus Zucchini.

Sessio Tertia.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 8.
Testes septimae manus iusiurandum praestant de veritate dicenda.

Anno Domini 1900 die 5 mensis Iulii, in Cancellaria Iudicii Episcopalis. . . . . .

Praesentes:

Iudex Delegatus, Lucius Zitelli, Canonicus Ecclesiae Cathedr.

Defensor sacramenti matrimonii, Franciscus Rapini.

Notarius Dominicus Zucchini.

In causa de nullitate matrimonii Isidori et Hedwigis, natae Favini, coniugum Piselli, hodie, in termino ad protocollarem indagationem testium septimae manus ex parte actoris assignato, citatis legitime partibus et praedictis testibus, Iudex Delegatus in primis monuit omnes de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus, quo facto, testes genuflexi et manu dextra tactis evangeliis, praestiterunt iuramentum de veritate dicenda, ut sequitur etc.

Praestito iuramento, omnes in conclave contiguum secesserunt, excepto teste examinando. Tum Vindex sacramenti matrimonii porrexit Delegato obsigillata interrogatoria, quibus, eius iussu, apertis, coepta est protocollaris indagatio ut sequitur.

Num. 9.

Comitissa Anna Platani, soror germana viri, eumdem ob suam probitatem ac religionem commendat, et fide dignissimum praedicat.

Sum Anna Platani, catholica, annorum 37, vidua, carens liberis, vivens ex patrimonio, dego.... ad plateam Latam N. 19, officia religionis adimpleo.

1. An, qua occasione et ex quo tempore nosti Isidorum Piselli et Hedwigem, natam Favini, coniuges Piselli?

R. Sum soror germana Isidori Piselli.

2. Esne certa de bonis utriusque moribus, probitate, religione et veracitate?

R. Plenam habeo persuasionem, fratrem meum Isidorum Piselli *esse hominem probum, religiosum, veracem, nec ulla in causa periurare posse.*

3. Cohabitatio coniugalis semper cum bona pace processit, an vero et quare perturbata fuerit concordia; an separaverint se coniuges quoad cohabitationem et ex utra parte causa posita sit; quale impedimentum canonicum coniuges tamquam causam divortii ponunt?

Hic, testi accusatio actoris Iudicio proposita praelegenda est.

R. De conversatione matrimoniali coniugum Piselli nihil novi; numquam enim apud eos domi fui. Nec quisquam mihi dixit, quae sit vera causa separationis coniugum Piselli. Unum tamen afferam. Quum defuncta Pelagia Amori, avia mea, obligasset me ante mortem, ut fratrem reconciliarem uxori, quumque a fratre impetrassem consensum, invitavi eius uxorem per telegraphum, ut ad sepulturam aviae veniret. Eo ipso ostensura erat animum ad concordiam cum marito. *Sed Piselli nihil respondit nec ipsa advenit.* Dña Momenti, amita eius, dixit deinde, *Hedwigem Piselli minime intendere se marito reconciliari.* Frater Carolus statim, postquam litem inchoavit, dixit mihi, se divortium cum uxore petere. Titulum canonicum hodie primum mihi specificavit, *quamquam multo ante a Dña Momenti comperi matrimonium coniugum Piselli consummatum non esse.*

Nota. Hic testis certior facta est de capite iuris, quo causa adstructa est.

4. Ad quid et undenam resciveris quidquam de expositis; casu

negativo, dicas relata utriusque coniugis sincera, proba veraque esse

R. *Ne admitto quidem, ut frater meus Isidorus in causa sua ad protocollon sub iuramento mendacium dictare audeat.*

5. Putasne ultra aliquid addendum?

R. Amplius in hac causa nihil habeo ad dicendum.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Anna, uxor Iosephi Platani.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando iuxta formam infra ad finem protocolli appositam.

Num. 10. Idem affirmat Iulius Barbati.

Sum Iulius Barbati, catholicus, annorum 45, coniugatus, pater liberorum, director officinae fundendis instrumentis metallicis....., dego ad plateam Collegii n. 5, officia religionis adimpleo.

Nota. *Rogandi formulae sunt eaedem ac illae adhibitae pro examine primi testis.*

1. R. Isidorus Piselli est meus amicus ab annis octo.

2. R. Positive persuasum habeo, Isidorum Piselli *esse hominem probum, honestum ac veriloquum.*

3. R. Nuptiis coniugum Piselli interfui; sed post nuptias nunquam in eorum domo fui nec quidquam de eorum cohabitatione scio. Aliquot circiter mensibus post nuptias Piselli, quum in..... esset, aiebat mihi aperte, *uxorem cum ipso vivere coniugali modo nolle haecque causa fuit eorum separationis. Ante biennium, Piselli confidenter mihi enarravit sibi in animo esse, divortium postulare, eo quod uxor cum ipso coniugaliter conversari nollet.*

Nota. Hic testis edoctus est, quonam titulo causa adstructa sit.

4. R. *Persuasum mihi est Isidorum Piselli in dictatis ad protocollon professum esse sinceram et integram veritatem.*

5. R. Amplius nihil habeo ad dicendum.

Hanc depositionem, clara voce mihi recitatam, ratam habeo, subscribo et iuro.

Iulius Barbati.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando iuxta formam ad fine protocolli appositam.

In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 11.
Idipsum asserit Iosephus Piselli, frater germanus viri.

Sum Iosephus Piselli. catholicus. annorum 39. coniugatus. pater liberorum, advocatus. dego in via Stricta N. 9. officia religionis adimpleo.

1. R. Sum frater germanus Isidori Piselli.

2. R. *Plena cum certitudine affirmo. fratrem meum Isidorum Piselli esse hominem honestum. religiosum. veracem nec posse admittere periurium.*

3. R. Nuptiis fratris mei Isidori non interfui. nec domum eius. quum cum uxore simul habitaret. adii. A matre recivi aliquot mensibus post nuptias Isidori. *uxorem nolle cum eo coniugaliter vivere. eamque fuisse principalem causam separationis. Frater Isidorus enarravit mihi deinde particularia cohabitationis et suasi. ut postularet divortium.*

Nota. Hic testis informatus est super ratione canonica. qua adstruitur causa.

4. R. *Pro certo persuasum habeo. fratrem in protocollo professum esse sinceram atque ingenuam veritatem.*

5. R. Nihil amplius habeo, quod dicam.

Hanc depositionem ratam habeo. subscribo et iuro.

Iosephus Piselli.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando iuxta formam ad finem protocolli appositam.

Num. 12.
Amilcar Gerani, affinis, idem deponit.

Sum Amilcar Gerani. catholicus. annorum 52. coniugatus. habens liberos. vivo ex patrimonio. dego ad plateam Iulii Caesaris N. 37. officia religionis adimpleo.

1. R. Isidorus Piselli notus mihi est ab annis circit. 18: sumus enim affines.

2. R. *Plene persuasum habeo. Isidorum Piselli esse hominem honestum. religiosum, veracem. et qui nulla in re mentiatur aut periuret.*

3. R. Numquam fui in domo coniugum Piselli. nec novi eorum conversationem. Ante annos aliquot narravit mihi Piselli. *uxorem suam esse violentam. inflexibilem nec secum coniugaliter vivere velle.* Ante aliquot menses ipse Piselli aiebat mihi. inchoatum esse processum divortialem, quin dixerit titulum canonicum.

Nota. Hic testis edoctus est. quanam ratione canonica processus adstruatur.

4. R. Persuasum habeo, Isidorum Piselli in dictatis ad protocollon *professum esse sinceram ac genuinam veritatem.*

5. R. Nihil amplius est quod dicere cupiam.

Hanc depositionem, clara voce mihi recitatam, ratam habeo, subscribo et iuramento firmo.

Amilcar Gerani.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando iuxta formam infra ad finem protocolli appositam.

In fidem. L. Zit. — F. R. — D. Zucch. His protocollum clausum et subscriptum est.

Die ut supra.

L. Zitelli. — F. Rapini. — D. Zucchini.

Num. 13.
Iudex annuit, ut uni ex testibus a viri Procuratore productis alius pariter idoneus sufficiatur, et testes septimae manus a mulieris Procuratore inductos ad deponendum admittit.

Iudicium Episcopale . . . . . ad preces Procuratoris actoris qui exhibuit documentum idoneitatis pro Maria Rosi, testimonium in favorem Isidori Piselli, loco Apolloniae Campanelli latura; item ad iteratas preces Procuratoris vocatae in ius, et testes

1. Ioseph Favini,
2. Aemidius
3. Alexander et } Plantati
4. Constantina
5. Camillus Sabbatoni,
6. Agatha Dominici,
7. Severa Stoicini

testimonium pro Hedwige Piselli, nata Favini, laturi, quorum documenta idoneitatis die 7 Iulii anni currentis in causarum audientia praesentavit, et petivit ut testes recensiti ad testificandum admitterentur; quum nec Vindex sacramenti matrimonii, nec Procurator actoris quidquam se opponere velle declarassent, testes vero supra recensiti, ut ex productis documentis apparet, dotibus ad testificandum requisitis sint praediti, in vim praeceptorum Iuris *De Testib. et Attestationib. C. Litterae Vestrae 7,* necnon Instructionis S. C. Concilii an. 1840, eosdem testes septimae manus ratos habet, ut fide dignos acceptat, ac diebus 15 et 19 Octobris a. c. protocollariter examinari statuit.

. . . . . , die 6 Octobris 1900.

† N. N. Episcopus . . . . .

Notarius Iudicii, F. Zucchini.

Sessio Quarta.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 14.
Reliqui tres testes septimae manus viri iureiurando spondent, se nonnisi vera fassuros fore.

Anno Domini 1900, die 15 Octobris actum est in Cancellaria Iudicii Episcopalis.

Praesentes:

Iudex Delegatus, Lucius Zitelli, Canonicus Eccl. Cathedralis.

Defensor sacramenti matrimonii, Franciscus Rapini.

Notarius Dominicus Zucchini.

In causa de nullitate matrimonii Isidori et Hedwigis, natae Favini, coniugum Piselli, hodie, in termino a Iudice Delegato assignato ad protocollarem indagationem reliquorum trium septimae manus ex parte actoris, comparuerunt personaliter testes praedicti, et in primis moniti de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus, genuflexi et manu dextera tactis Evangeliis praestiterunt iuramentum de veritate dicenda ut sequitur etc.

Praestito iuramento, omnes in conclave contiguum secesserunt, excepto teste examinando. Tum Vindex sacramenti matrimonii porrexit Iudici Delegato obsigillata interrogatoria, quibus, eius iussu, apertis, coepta est protocollaris indagatio.

Num. 15.
Maria Rosi soror germana viri, eumdem laudibus extollit ob suam probitatem ac religionem; ideoque fide dignissimum declarat.

Sum Maria Rosi, annorum 34, coniugata, habens prolem, dego cum marito, ad plateam S. Francisci N. 8, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. An, qua occasione et ex quo tempore noverit Isidorum et Hedwigem, natam Favini, coniuges Piselli?

R. Isidorus Piselli est meus frater germanus.

2. An sis certa de bonis utriusque moribus, probitate, religione et veracitate?

R. *Persuasum habeo, fratrem Isidorum esse hominem honestum, religiosum nullaque in re periurium admissurum.*

3. An cohabitatio coniugalis semper cum bona pace processerit, an vero et quare perturbata fuerit concordia; an separaverint se co-

niuges quoad cohabitationem et ex utra parte causa posita sit; quale impedimentum canonicum coniuges tamquam causam divortii ponunt.

Hic testi accusatio actoris, Iudicio proposita, praelegenda est.

R. In domo coniugum Piselli nunquam fui, nec scio qualis fuerit eorum conversatio. *Aliquot mensibus post nuptias, Piselli questus est apud me, quod uxor nollet sibi officia uxoris praestare;* sed, quare, non dixit. Illico, post recursum ad Iudicium, locutus est mihi de inchoato processu divortiali, quin tamen nominaverit causam canonicam, qua processus adstrueretur.

Nota. — Hic declarata est testi causa ab actore proposita ad obtinendum divortium.

4. An, quid et undenam resciveris quidquam de expositis; casu negativo, dicas relata utriusque coniugis sincera, proba veraque esse?

R. *Pro certo assero, fratrem meum Isidorum in confessione sua coram Iudicio aperuisse ipsissimam veritatem.*

5. Habesne ultra aliquid addendum?

R. Nihil amplius in hac causa habeo ad declarandum, depositionem vero superiorem ratam habeo, iuro et subscribo.

Maria Rosi.

Hic testis iuravit de veritate dicta et silentio servando iuxta formam infra ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 16.
Idem omnino deponit Theodorus Salvati, amicus patris actoris.

Sum Theodorus Salvati, annorum 73, coniugatus, habens liberos, catholicus, degens ad plateam Amaenam in aedibus propriis, N. 6, officia religionis adimpleo. — Iuramentum praestitit.

Nota. — *Rogandi formulae sunt eaedem ac illae adhibitae in praecedenti numero.*

1. R. Isidorus Piselli notus mihi est ab incunabulis, pridem enim familiariter egi cum eius patre.

2. R. *Perspecta mihi est Isidori Piselli probitas, pietas et religio; ideoque persuasum habeo, eum nulla in re admittere posse periurium.*

3. R. In habitaculo coniugum Piselli nunquam fui, nec eorum conversationem observare potui. Autumno eiusdem anni, quo Piselli duxerat uxorem, audivi ab eius propinquis, *eum matrimonium cum uxore consummare non posse propter quosdam defectus genitalium.* Aie-

bant quoque nonnulli, sed quinam, haud amplius memini. *Hedwigem Piselli denegasse marito obsequium coniugale.* Actorem recurrisse ad iudicium ad impetrandum divortium percepi a quibusdam notis, qui tamen non specificabant rationem canonicam. Tempus, quo id audiverim, exacte assignare non possum; opinor id fuisse anno proxime elapso.

Nota. — Hic testi declarata est causa, cur actor divortium petierat.

4. R. Est mihi persuasum, Isidorum Piselli protulisse in protocollo, coram Iudicio confecto, genuinam veritatem; ipse enim antea mihi obiter dixit, se matrimonium cum uxore non consummasse.

5. R. Nihil amplius habeo, quod in causa hac enucleare velim; depositionem vero hanc ratam habeo, subscribo et iuramento firmo.

Theodorus Salvati.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.
In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 17.
Idipsum asseverat Augustus Millefoglio, pater viri sororis actoris.

Sum Augustus Millefoglio, annorum 84, coniugatus, pater liberorum, catholicus, sustineo me meo aere, dego ad plateam Mirabilem N. 80, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Isidorus Piselli innotuit mihi ante annos hos octo, quum filius meus sororem eius duceret uxorem.

2. R. *Isidorum Piselli novi tamquam hominem honestum et religiosum persuasumque habeo, eum periurare non posse.*

3. R. Conversatio coniugum Piselli domestica non est mihi nota. Anno post nuptias rediit Piselli ad consanguineos *et aiebat mihi, se cum uxore vivere non posse;* sed causam non addidit. Deinde rescivi a propinquis Isidori Piselli, *eum cum uxore matrimonium consummare non posse propter causam externam.* Ante annum hunc circiter cognovi Isidorum Piselli petere dissolutionem coniugii, idque ab eius consanguineis; qui tamen non dixerunt, quonam titulo canonico causam suam adstruisset.

Nota. — Hic manifestata est causa ab actore Iudicio proposita ad nullitatem matrimonii obtinendam.

4. R. *Persuasum mihi est Isidorum Piselli hic coram Iudicio non esse mentitum; sed enarrasse et iuramento firmasse sinceram veritatem.*

5. R. Amplius in hac causa nihil habeo ad dicendum; depositionem vero superius descriptam ratam habeo, subscribo et iuro.

Augustus Millefoglio.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.
In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.
His protocollum clausum et subscriptum est.
Die ut supra.
L. Zitelli, Iudex Del. — F. Rapini, Def. Matr. — D, Zucchini, Not.

Sessio Quinta.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 18.
Testes septimae manus a muliere producti iuramentum praestant de veritate dicenda.

Anno Domini 1900, die 15 Octobris actum est in Cancellaria Iudicii Episcopalis . . . .

Praesentes:

Iudex Delegatus, Lucius Zitelli, Canonicus Eccles. Cathedr.

Defensor Sacramenti matrimonii, Franciscus Rapini.

Notarius Dominicus Zucchini.

In causa de nullitate matrimonii Isidori et Hedwigis, natae Favini, coniugum Piselli, hodie, in termino ad protocollarem indagationem testium septimae manus ex parte in ius vocatae assignato, citatis legitime partibus et praedictis testibus, Iudex Delegatus in primis monuit omnes de vi et gravitate iuramenti eiusque serio ponderandis effectibus; quo facto, testes genuflexi et manu dextra tactis evangeliis, praestiterunt iuramentum de veritate dicenda ut sequitur etc.

Praestito iuramento, omnes in conclave contiguum secesserunt, excepto teste examinando. Tum Vindex Sacramenti matrimonii porrexit Iudici Delegato obsigillata interrogatoria, quibus, eius iussu, apertis, coepta est protocollaris indagatio ut sequitur.

Num. 19.

Aemidius Plantati mulierem laudat ob suam spectatam probitatem et religionem, ac fide dignam fatetur.

Sum Aemidius Plantati, annorum 37, catholicus, coniugatus, degens . . . . . ad plateam S. Blasii N. 70, officia religionis adimpleo, causam criminalem non habui. — Testis iuramentum praestitit.

1. An, quâ occasione et ex quo tempore noverit in ius vocatam Hedwigem Piselli, natam Favini.

R. Hedwiges Piselli innotuit mihi ante annos hos septem apud propinquos uxoris meae, quae cum ipsa Piselli remotae cognationis vinculo iungitur.

2. An sis certus de bonis moribus, probitate, religione eiusdemque veracitate?

R. Hedwigem Piselli reputo *esse mulierem honestam, piam et religiosam persuasumque habeo, eam nulla in re periurare posse.*

3. An cohabitatio coniugalis semper cum bona pace processerit, an vero et quare perturbata fuerit concordia: separatio coniugum quoad habitationem qua causa evenerit: quale impedimentum canonicum coniuges tamquam causam divortii ponunt?

Hic testi praelegendum est protocollon Iudicii in ius vocatae.

R. Frequens fui in habitaculo Hedwigis Piselli ante nuptias; ex quo tamen simul cum marito habitare coepit, nihil de eorum conversatione scio. Audivi ex dño Amitelli, coniuges Piselli dissociatos inter se esse, sed cur, ignoro. Ante aliquot menses uxor dixit mihi, eos litem divortialem gerere, non addidit, qua de causa.

Nota. — Hic testi declarata est causa, cur actor divortium petiisset.

4. An, quid et undenam resciverit quidquam de expositis; si non, habetne saltem persuasionem relata Hedwigis Favini-Piselli sincera, proba veraque esse?

R. Quum perspecta mihi sit indoles ethica Hedwigis Piselli, *ne admitto quidem, eam in Iudicio mentitam esse vel periurasse.*

5. Potesne ultro in hac causa mentionem alicuius rei movere?

R. Amplius in hac causa nihil dicere possum; depositionem vero hanc ratam habeo, subscribo et iuro hoc addito: Hedwigem Piselli esse cognatam consanguinearum uxoris meae, de quibus ad 1.^{m} monui, ipsam tamen uxorem cognatione non attingere.

Aemidius Plantati.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.
In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Nota. — *Rogandi formulae in examine huius et aliorum testium septimae manus ex parte mulieris sunt eaedem ac illae adhibitae in praecedenti num.*

Num. 20. Constantina Plantati idipsum asserit.

Sum Constantina Plantati, annorum 34, catholica, coniugata, carens liberis, dego cum marito ad plateam S. Blasii N. 70, officia religionis adimpleo; iuramentum praestiti.

1. R. Hedwiges Piselli nota mihi est ab annis novem hac occasione, quod amitae meae Menini sunt eius propinquae.

2. R. *Nota est mihi in ius vocatae honestas, pietas et religiositas, intimeque persuasum habeo, eam nulla in re periurare posse.*

3. R. In domo coniugum Piselli non fui, nec eorum conversationem intimam videre potui. Ante annum hunc circiter audivi, non memini a quo, coniuges Piselli petere dissolutionem matrimonii. Nec magis scio, quo freti titulo iuridico processum inchoaverint.

Nota. — Hic declarata est testi causa ab actore proposita ad divortium obtinendum.

4. R. *Intime persuasum habeo, Hedwigem Piselli in confessione sua mentitam non esse; sed protulisse genuinam et sinceram veritatem.*

5. R. Amplius in hac causa nihil habeo ad dicendum: superiorem depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Constantina Plantati.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.
In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 21. Idem pariter deponit Alexander Plantati.

Sum Alexander Plantati, catholicus, annorum 33, coniugatus, habens liberos, officialis Societatis publicae ad pensanda damna ex incendio emergentia, dego ad plateam S. Blasii N. 70, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Hedwiges Piselli nota mihi est ab annis octo, adire enim consueverat domus fratris mei.

2. R. *Persuasum mihi est, Hedwigem Piselli esse piam, probam et religiosam nec posse admittere periurium.*

3. R. In habitaculo coniugum Piselli nunquam fui conversationemque eorum observare haud potui. Audivi, *ferebantur enim rumores, matrimonium coniugum Piselli non esse consummatum.* Ante annum hunc circiter rescivi, sed non memini a quo, Isidorum Piselli recur-

risse ad Iudicium cum petitione pronuntiandi divortii; sed, quonam titulo canonico causam adstruxisset, non cognovi.

Nota. — Hic declarata est causa, cur actor divortium petiisset.

4. R. *Moralem persuasionem habeo, Hedwigem Piselli in confessione sua hic coram Iudicio iuramento roborata mentitam non esse.*

5. R. Amplius in hac causa nihil habeo ad dicendum; depositionem hanc ratam habeo, subscribo et iuro.

Alexander Plantati.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 22. Camillus Sabbatoni, idem affirmat.

Sum Camillus Sabbatoni, annorum 64, catholicus, viduus, habens liberos, vivens ex patrimonio, praecepta religionis adimpleo, dego in pago . . . . . — Iuramentum praestitit.

1. R. Hedwiges Piselli est mea cognata notaque mihi ab annis ultra decem, quumque cum patre in civitate . . . . . degeret ante annos hos 14, adibam eorum domum.

2. *Persuasum mihi est, Hedwigem Piselli esse personam probam, piam et religiosam nec periurii capacem.*

3. R. In habitaculo coniugum Piselli nunquam fui eorumque conversatio est mihi plane ignota. De inchoato ab iis processu divortiali cognovi tum demum, qñum d.nus Amitelli per epistolam me rogaret, ut hic in Iudicio ad testificandum comparerem; id quod accidit mense Iunii anni currentis. Hucusque tamen nescio, quo titulo canonico coniuges Piselli causam suam adstruxerint.

Nota. — Hic manifestata est causa, ab actore Iudicio proposita, ad nullitatem matrimonii obtinendam.

4. R. *Persuasum habeo, Hedwigem Piselli in confessione sua hic coram Iudicio dictata, mihi nunc recitata, mentitam non esse.*

5. R. Amplius in hac causa nihil habeo ad dicendum; depositionem hanc clara voce mihi recitatam, ratam habeo, subscribo et iuro.

Camillus Sabbatoni.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 23. Severa Stoicini, mulieris consanguinea, idipsum testatur.

Sum Severa Stoicini, annorum 50, catholica, vidua, carens liberis. vivo ex patrimonio, dego in via Fontium N. 50, praecepta religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Hedwiges Piselli est mea consanguinea; avi enim nostri fuerunt fratres germani. Innotuit mihi tamen primum ante annos hos octo, atque ex hoc tempore arcta attinemur familiaritate.

2. R. *Persuasum habeo, Hedwigem Piselli esse mulierem honestam, piam et integram, nec ulla in re periurium admittere.*

3. R. Semel tantum per aliquot dies demorata sum in habitaculo coniugum Piselli; sed nihil peculiare in eorum conversatione deprehendi. De cetero dñus Amitelli dixit mihi quondam, *Hedwigi contigisse infaustum connubium*, innuens eius maritum Isidorum. De processu eorum divortiali comperi primum mense Iunii a. c., quantum quidem recordor a dño Amitelli, quum nempe ad testificandum in hac causa invitarer.

Nota. — Hic manifestata est causa ab actore Iudicio proposita ad nullitatem matrimonii obtinendam.

4. R. *Persuasum mihi est, Hedwigem Piselli esse mulierem veriloquam, ingenua indole, nec proinde in confessione, modo mihi recitata, mentitam esse.*

5. R. Amplius in hac causa nihil habeo ad dicendum; depositionem vero superius descriptam, clara voce mihi recitatam, ratam habeo, subscribo et iuro.

Severa Stoicini.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.
In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 24. Agatha Dominici patruelis matris mulieris, idem asseverat.

Sum Agatha Dominici, annorum 50, catholica. vidua, expers liberorum, sustineo me ex patrimonio, dego in Via Hortorum N. 44, praecepta religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Mater Hedwigis Piselli est mea patruelis, quanquam ob loci distantiam parum nobis fuit mutuae consuetudinis. Hedwiges Piselli innotuit mihi ante annos octo et occurrebam ei abhinc aliquoties per annum.

2. R. *Hedwiges Piselli est, ex mea sententia, mulier perfectissima, proba, honesta, iusti studiosa, nec capax mendacii nedum periurii.*

3. R. In domo coniugum Piselli numquam fui, nec novi particularia eorum conversationis. De processu eorum divortiali rescivi ab Amitelli, qui ad testificandum invitavit, quin tamen mentionem fecerit, quo ex titulo canonico Piselli causam hanc movisset.

Nota. — Hic manifestata est causa, ab actore Iudicio proposita, ad nullitatem matrimonii obtinendam.

4. R. *Persuasum mihi est, Hedwigem Piselli dictasse ad protocollon, cuius argumentum modo comperi, vera et authentica; attenta enim eius indole, pro certo habeo, eam non posse periurare.*

5. R. Nihil ultra in causa hac ad dicendum habeo. Depositionem hanc clara voce mihi recitatam, ratam habeo, subscribo et iuramento firmo.

Agatha Dominici.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.
In fidem. — L. Zit. — F. R. — D. Zucchini.

Num. 25. Hisce demum consonat Ioseph Favini, mulieris frater germanus.

Sum Iosephus Favini, annorum 46, catholicus, coniugatus, habens liberos, possessor agri, dego via Avium n. 51, praecepta religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Sum frater germanus Hedwigis Piselli.

2. R. *Persuasum habeo, sororem meam Hedwigem esse mulierem religiosam, nec posse admittere periurum.*

3. R. Aliquoties fui in domo coniugum Piselli; nihil tamen, quod offenderet, in eorum conversatione animadverti. Vere huius anni advocatus Paulini viva voce accersivit me, ut testis vicem in causa divortiali coniugum Piselli susciperem; non tamen nuntiavit titulum canonicum, quem hucusque ignoro.

Nota. — Hic manifestata est causa ab actore proposita ad nullitatem matrimonii obtinendam.

4. R. *Quum bene mihi perspecta sit indoles sororis Hedwigis Piselli, firmissime persuasum habeo, eam in confessione, hic coram Iudicio facta, quam modo cognovi, non admisisse mendacium, nedum periurum; quod si autem in dictatis non omnia plene et distincte enarravit, res haec repetenda est ex eius innata anxietate et sollicitudine circa res ipsius personam concernentes.*

5. R. Nihil est amplius, quod in causa hac proferre cupiam. De-

positionem hanc clara voce mihi recitatam, ratam habeo, subscribo et iuramento firmo.

Iosephus Favini.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.
In fidem. — L. Z. — F. R. — D. Zucchini.
His protocollon clausum et subscriptum est.
Die ut supra.
L. Zitelli, Iud. Del. — F. Rapini, Def. Matr. — D. Zucchini Not.

Num. 26.
Iudex designat medicos pro corporali inspectione viri peragenda, ac insuper medicos, obstetrices et matronam pro mulieris inspectione.

Iudicium Episcopale..., annuendo instantiae Procuratoris actoris, terminum ad inspiciendum corpus eiusdem Isidori Piselli, ad mentem Instructionis S. Congr. Concilii de die 22 Augusti 1840 peragendam, in diem 20 Februarii 1901 assignat; ad actionem vero hanc adimplendam in qualitatem expertorum deputat medicos doctores Eduardum Piccini, Augustinum Aviti et Aloisium Aloisi.

Ad inspiciendum vero corpus in ius vocatae Hedwigis Piselli, natae Favini, in qualitate expertorum deputat medicos doctores Eduardum Piccini et Augustinum Aviti, obstetrices Leonildem Argenti, Iosepham Bartolelli et Iucundam Milli, tum matronam Amaliam Amici; quos omnes una cum eadem in ius vocata et Defensore vinculi matrimonialis ad terminum supra specificatum citari mandat.

. . . die 15 Decembris 1900.

† N. Episcop . . . .

Notarius Iudicii, Dominicus Zucchini.

Num. 27.
Iudex approbat instructionem pro peritis corpus utriusque coniugis inspecturis.

Iudicium Episcopale..., Defensore vinculi matrimonialis utrumque exemplar Instructionis pro expertis corpus coniugum Piselli inspecturis acceptante, easdem ratificat et in omnibus servari mandat.

. . . die 16, Februarii 1901.

† N. Episcop...

Notarius Iudicii, Dominicus Zucchini.

Num. 28.

Medicus Augustinus Aviti, peracta accurata inspectione corporis viri, declarat illum impotentia relativa laborare.

Ego infrascriptus, praestito ex decisione Iudicii Episcopalis in praesentia Delegatorum iuramento adimpletaque die 20 Februarii 1901, hora 1.ma pom.a in aede, sita ad plateam Magnam n. 5, revisione corporis Isidori Piselli, honori mihi duco renuntiare Rmo Iudicio sequentia:

Isidorus Piselli est bona statura et iusta conformatione corporis; aetatis annorum ultra triginta. — Cutis est mediocri crassitudine. Compages coniunctiva intercus modica. Musculi bene evoluti. Sceletum nullas prodit deformitates. Pariter nihil cernitur vitiosi in systemate nervorum.

Organa respirationis legitima, nec ullis defectibus conspicuis obnoxia. Cor et vasa circulationis nihil exhibent vitiosi. Tractus intestinalis nulli subiacet affectioni. Organa secretionis urinae legitima.

Status genitalium est sequens: *a*) penis in statu demisso: — *b*) longitudo a basi ad verticem glandis 12 centim.; — *c*) perimetrum iuxta basim 8 centim.; — *d*) perimetrum in regione capitis pariter 8 centim.; in accurato examine penis nullae repertae sunt cicatrices, indurationes, deformitates etc.; — *e*) prostata et funiculus spermaticus nullas exhibent alterationes conspicuas; — *f*) epididymus non induratus nec adauctus; — *g*) testiculi mediocres, solita forma et consistentia, nihil prae se ferunt vitiosi.

Nusquam in organismo cernuntur vestigia gravium morborum. Nullae adsunt notae habiti unquam morbi venerei. Ex parte nervorum notandi sunt dumtaxat proniores iusto reflexus patellares et levis tremor manuum. Praeterea Piselli ipse contendit, se esse admodum nervosum parentesque suos eamdem prae se tulisse nervositatem. Obiectiva observatio eiusmodi phaenomeni dicta subiecti refellere nequit.

Piselli, ut ipse refert, duxit uxorem non quod eam amaret, sed deliberationi et consilio obtemperans fovensque persuasionem fore, ut paullatim in se affectum eliceret. Manifestam aversionem erga coniugem nunquam habuit. Post nuptias accessit ad consummandum matrimonium, uxore minime reluctante. Conatus tamen copulae fuit ineffícax: penis se erexit; sed penetrare intra muliebria uxoris non potuit et semen praemature defluxit. Quae fuerit causa irritae eiusmodi contentionis, Piselli nescit; sed ait, se non sensisse ardentius desiderium erga uxorem, verum, contra, quandam veluti repulsionem. Subsequentes conatus copulae duraverunt per aliquot menses; sed pariter, utque prima vice, fuerunt semper irriti. Semper debita erectio, semper inane studium penetrandi, semperque praepropera eiectio seminis, ante sci-

licet introductionem penis in corpus uxoris secutam. Deinde sequitur mutua exacerbatio; et conatus per aliquot menses interrumpuntur. Quarto mense connubii repetitur attentatio coitus; durat per bimestre perindeque ac prius nullo coronatur effectu. Tum coniuges pergunt simul cohabitare; sed non accedunt ad alterutrum. Quod si inspectio corporis dñae Piselli evictura sit *eius integritatem virginalem*, narrata Isidori Piselli habebunt speciem veritatis.

Eiusmodi status viri, ut supra est descriptus, nempe, *a*) ubi is est sanus et validus; *b*) ubi ex parte mulieris nulla extant obstacula ad concumbendum ac saltem ignota sunt nec a quoquam citantur; et *c*) ubi nihilominus copula nunquam perfecta est, quum erectio penis, elapso semine, toties quoties cessaret; *status inquam, eiusmodi alio accenseri nequit nisi ad speciem impotentiae. Quae impotentiam exsurgere potest ex affectione nervorum.* In casu dñus Piselli est ipse nervosus, uxorem quoad aetatem aliquot annis se maiorem nunquam redamavit, nec vere in eam ferebatur affectu. Id per accidens potuit causare non consummationem matrimonii prima vice attentatam, inde provenit inefficacia alterius experimenti, tum a fortiori deinceps subsequentium. *Universa series inanium conatuum provocavit in dño Piselli diffidentiam sui et completam frigiditatem sexualem erga uxorem. Est haec igitur impotentia relativa unice ex nervorum affectione orta. Impotentia eiusmodi difficillime tollitur; quamquam Piselli cum aliis mulieribus praeter omne dubium carnaliter conversari potest.*

Ut haec confirmentur, necessaria est definitiva revisio dñae Piselli.

Doctor medicus Augustinus Aviti.

Id fidem. — L. Zitelli. —. F. Rapini.

Num. 29.
Doctor Eduardus Piccini detegit in viro indubia signa relativae impotentiae.

Ego infrascriptus, praestito ex decisiane Iudicii Episcopalis in praesentia Delegatorum iuramento adimpletaque die 20 Februarii 1901, hora 1.ma pom.a in aede sita ad plateam Magnam n. 5 revisione corporis Isidori Piselli, honori mihi duco renuntiare Rmo Iudicio sequentia:

Isidosus Piselli videtur mihi esse annorum triginta, subfusculus, musculis bene evolutis; sed praesefert nervositatem, id quod confirmatur sensibilitate cutis, adaucto reflexu patellari et aliquo tremore manuum, ubi protenduntur, necnon professione ipsiusmet subiecti, quod sit filius parentum nervosorum. In organis interioribus nullas detexi alterationes. In examinandis genitalibus reperi penem bona con-

sistentia pollentem, longum 12 centimetra, crassum in collo 8 1|2 cent. Scrotum nihil prae se fert abnorme. Testiculi media dimensione satis elastici. In universum genitalia nulla deprehendere sinunt vestigia morborum, suntque prorsus legitima ac bene conformata. Piselli ante annos hos aliquot duxit uxorem, mulierem, quam nunquam amabat, nunquam cupidine sexuali prosequebatur. Vinculum hoc sibi iniecit victus persuasionibus matris. Uxor aliquot annis maior natu esse fertur. Post nuptias intra aliquot mensium spatium conatus est saepissime consumare matrimonium; *sed quotiescumque ad actum accessit rem perficere legitime haud valuit; erectio enim hastae cessabat, antequam muliebria uxoris attingeret, eiecto plerumque spermate, vel etiam sine ulla effusione.* Uxor nunquam se opposuit, quominus concubitus perficeretur. Deinde interposita quadam mora iterum voluit consummare coniugium; sed ad finem usque cohabitationis nunquam legitime concubuit. Ait Piselli se non sensisse quidem definitivum fastidium erga uxorem; tam parum tamen habuisse veri affectus maritalis, ut semper in antecessum conscius esset fore, *ut copulam coniugalem non perficeret.* Addit idem, se cum aliis mulieribus semper legitime copulam carnalem exercuisse.

Opinio. — Subiectum examinatum est bene conformatum cum praevalente sensibilitate nervosa, congenita. Ratione habita genitalium, quae sunt recte conformata et ad exercendum officium virile idonea, nullus plane locus est statuendae impotentiae absolutae. Quod si revisio corporis dñae Piselli demonstret eiusdesm virginitatem, opinor, *Isidorum Piselli obnoxium esse impotentiae relativae psychicae, nec cum hac muliere matrimonium unquam consummare posse. Susceptae iteratis vicibus attentationes habendae copulae sine debito successu provocant diffidentiam virium et ipsum coniugium reddunt aliquatenus odiosum. Scientia et praxis norunt permulta eiusmodi phaenomena. Impotentia psychica extimatur incurabilis, quatenus refertur ad certam personam. In casu impotentia haec statuenda est antecessisse matrimonium, quandoquidem Piselli pridem enervatus esse deprehenditur.* Paucis, si dña Piselli in inspectione demonstratura sit *intactam virginitatem, maritum eius statuo impotentem in specie psychica, et quidem relative erga uxorem, etiam antequam contraxerit matrimonium, nec qui unquam curari possit.*

Die 20 Februarii 1901.

Doctor Eduardus Piccini.

In fidem. — L. Zitelli. — F. Rapini.

Num. 30. Demum etiam medicus Aloisius Aloisi virum impotentem putat.

Ego infrascriptus, praestito ex decisione Iudicii Episcopalis in praesentia Delegatorum iuramento adimpletaque die 20 Februarii 1901 hora 1.ª pom.ª in aede ad plateam Magnam N. 5 revisione corporis Isidori Piselli, honori mihi duco renuntiare Rmo Iudicio sequentia:

Conformatio universi organismi legitima est: in sceleto nullae adsunt deformitates; evolutio musculorum propemodum athletica; compages intercus in quantitate modica; cavum thoracis iustum; in pulmonibus nullae adsunt obtusiones, respiratio normalis, vesicularis. Dimensio cordis iusta; toni puri, pulsus validi aequabiles. In ventre nullae palpando detegi possunt alterationes.

Ex parte systematis nervorum haec sunt notanda; *a*) spasmus nictitans oculorum, ubi sunt clausi; *b*) diu manens vestigium rubrum lineae ductae in superficie epidermis; *c*) adauctio reflexus neurospasmici in extremitatibus anterioribus; *d*) adauctio et inaequabilitas reflexuum neurospasmicorum extremitatum posteriorum (hebetior reflexus a parte sinistra); *e*) levis mutatio digitorum, ubi manus sunt protensae; *f*) absentia reflexus in musculis sustinentibus testiculos. Papillae reagunt legitime.

In genitalibus reperi pubem consitam densis pilis in forma tetragoni, angulo recto conversi ad umbilicum (legitimam), penem mollem, pendulum, 10 1|2 centimentra longum (computando a coagmentatione ad verticem glandis a parte superiore; longitudo a parte inferiore est 7 cent.). Perimetrum penis in basi est 8 1|2, in glande iuxta sulcum praeputialem 9 cent. Scrutum corrugatum, spissum. Consistentia testiculorum mediocris. In testiculis, epididymo et lymphadenibus inguinalibus anormales indurationes non reperiuntur.

Ex relatione Isidori Piselli immissio penis intra muliebria uxoris nunquam locum habuit; nam quoties id perficere studuit, praecessit eiaculatio seminis; erectio penis supervenit saepe ac copula carnalis cum aliis mulieribus perfici potuit legitime. Uxorem Piselli non prosequitur fastidio; sed neque ullum affectum venereum erga eam experitur, ita ut ope imaginationis duntaxat conatus sit se ad commercium carnale cum uxore rite exercendum cogere. Uxor non repugnabat, sed succumbebat passive.

Morbum syphiliticum Piselli non habuit; mansturbationi operam non dedit; ante nuptias frequenter (non nunquam duodecies per diem) exercuit venerem cum mulieribus. Pertinet ad familiam nervosam ac seipsum existimat admodum nervosum.

Ex his omnibus opinor:

1. Conformatio et dimensiones genitalium Isidori Piselli nec non status valetudinis in universum non excludunt potentiam exercendi debitum coniugale.

2. Causa non consummati matrimoni latere potest unice *in enormi nervositate subiecti et hinc proveniente praematura eiaculatione seminis.*

3. Defectum hunc Piselli acquirere potuit etiam ante matrimonium ex enormi abusu veneris (12 coitus in die), quem ipse fatetur.

4. Attenta inaequalitate reflexuum patellarium et absentia reflexus in musculis sustinentibus testiculos, status hic pathologicus potest augeri; haec enim pronuntiare solent myctitin.

5. *Curatio potest irrita esse.*

Doctor Aloisius Aloisi.

In fidem. — L. Zitelli. — F. Rapini.

Num. 31.

In corporali inspectioni viri accurate fuit executioni mandata Instructio a Iudice confirmata.

Actum est . . . . in aede ad plateam Magnam N. 5. die 20 Februarii 1901, hora 1.ª pom.ª

In causa de nullitate matrimonii Isidori et Hedwigis Favini coniugum Piselli, hodie, adimpletis praeliminaribus in cancellaria Iudicii Episcopalis, convenerunt in supradicta Aede A. R. P. Delegatus cum Defensore sacramenti matrimonii et notario Iudicii necnon experti a Iudicio deputati.

Inspectio peracta est in stricta applicatione Instructionis a iudicio confirmatae, in conclavi seiuncto, sito e regione alterius, in quo aderant Membra Iudicii. Primus medicorum peregit inspectionem Dr. Augustinus Aviti, secundus Dr. Eduardus Piccini, tertius Dr. Aloisius Aloisi. *Singuli seorsim, et omnes pariter seorsim, absoluto negotio, nullius exquisita sententia, consignarunt illico in scriptis relationes cum opinionibus scientificis easque in manus Notarii tradiderunt.*

Quibus protocollum hoc clausum et subscriptum est.

Die ut supra.

L. Zitelli, Iud. Deleg. — F. Rapini, Matr. Def. — D. Zucchini, Not. Iud.

Num. 32.
Obstetrix Leonildes Argenti, relationem exarans de peracta corporali mulieris inspectione, omnia virginitatis signa in eadem reperta recenset.

In causa matrimoniali divortiali Isidori et Hedwigis natae Favini, coniugum Piselli, ex titulo impotentiae coëundi, ego infrascripta, decisione Iudicii de die 15 Decembris 1900 ad instituendam de visu et tactu revisionem corporis Hedwigis Piselli deputata, *praestito die 21 Februarii 1901, 12.ª hora meridiana in Cancellaria Iudicii Episcopalis iuramento,* contuli me in habitaculum ad plateam S. Cunecundae in domum N. 40, quo pariter convenerunt praeter Membra Iudicii medici doctores: Eduardus Piccini et Augustinus Aviti, necnon obstetrices Iosepha Bartolelli et Iucunda Milli atque matrona Amalia Amici.

Inhaerendo traditis mihi a dictis medicis indiciis, commissum mihi opus inspectionis peregi, peractique per praesentes honori mihi duco reddere rationem.

Reperi in Hedwige Piselli, nata Favini, conformationem universi organismi optimam, refectionem sufficientem, mammas iustas bona consistentia, modice demissas, areolas intensive roseas, papillas rigidas roseas. Venter est plenus, pinguis ABSQUE CICATRICIBUS. LINEA ALBA TOTALITER SINCERA. Pubes prominens, consita mediocriter pilis. *Nymphae exteriores media dimensione, arcte cohaerentes, colore subpallido.* Nymphae interiores tenerae non prominent ex maioribus. Clitoris parva.

Hymen pallidus, crassiculus, parum immunis, cum ostiolo rotundo in ipso centro, oris levibus. In ostiolum introduxi extremitatem parvi digiti. *Frenulum integrum; perineum satis altum.*

Leonildes Argenti.

In fidem. — L. Zitelli — F. Rapini.

Num. 33.
Obstetrix Iosepha Bartolelli idem praestat.

In causa matrimoniali divortiali etc.. ego infrascripta, decisione Iudicii de die 15 Decembris 1900 ad instituendam de visu et tactu revisionem corporis Hedwigis Piselli deputata, praestito die 21 Februarii 1901 12.ª hora meridiana in Cancellaria Iudicii Episcopalis iuramento, contuli me in habitaculum ad plateam S. Cunecundae in domum N. 40, quo pariter convenerunt, praeter Membra Iudicii, medici, doctores Eduardus Piccini et Augustinus Aviti necnon obstetrices Leonildes Argenti et Iucunda Milli atque matrona Amalia Amici. Inhaerendo traditis mihi a dictis medicis indiciis, commissum mihi opus inspectionis peregi, peractique per praesentes honori mihi duco reddere rationem.

Domina Hedwiges Piselli, nata Favini, conformata est legitime ac iuste, evoluta mediocriter, statura est sufficienti, aetate ultra 30 annorum. Mammas habet consistentes, aliquantulum demissas, papillas eminentes media dimensione, roseas, cum areola eiusdem coloris. Venter est rotundus, paululum laxus (ob modicam pinguedinem), NULLASQUE CICATRICES, RUGAS VEL MACULAS LINEAE ALBAE EXHIBET. Monticulus Veneris satis prominens, consitus pilis fuscis non admodum vegetis. *Nymphae maiores arctissime cohaerent et sunt colore roseo. Minores roseae, mediocri dimensione absconditae in maioribus. Clitoris mediocris, non excedit granum tritici magnitudine.* Diductis nymphis minoribus, *pertingo* AD HYMENEM, INTEGRUM, *teretem, cum ostiolo rotundo in ipso centro conspicuo,* oris teneris, laevibus; intromitti potuit primus articulus digiti auricularis.

FRENULUM EST INTEGRUM. Perineum elasticum, solita longitudine.

Iosepha Bartolelli.

In fidem. — L. Zitelli. — F. Rapini.

Num. 34.
Obstetrix Iucunda Milli idem peragit.

In causa matrimoniali etc. ego infrascripta, decisione Iudicii de die 15 Decembris 1900 ad instituendam de visu et tactu revisionem corporis Hedwigis Piselli deputata, praestito die 21 Februarii 1901, 12ª hora meridiana, in Cancellaria Iudicii Episcopalis iuramento, contuli me in habitaculum ad plateam S. Cunecundae in domum N. 40, quo pariter convenerunt, praeter Membra Iudicii, medici doctores Eduardus Piccini et Augustinus Aviti, necnon obstetrices Leonildes Argenti et Iosepha Bartolelli, atque matrona Amalia Amici.

Inhaerendo traditis mihi a dictis medicis indiciis, commissum mihi opus inspectionis peregi peractique per praesentes honori mihi duco reddere rationem.

In conformatione corporis dñae Piselli reperi ut sequitur. Statura media, evolutio membrorum bona. Mammae paululum demissae, *areola rosea, papilla exigua magis rosea.* Venter pinguis, aliquantulum laxus; *superficies ventris nullas exhibet cicatrices; linea ventris non adest.* Pubes prominens, consita pilis fuscis. PERINEUM INTEGRUM, *elasticum, sesquipollicem altum,* FRENULUM INTACTUM. *Nymphae maiores secum cohaerent,* minores, colore roseo-pallido, non prominent ad extra. Clitoris

parva. Hymen immunis, colore pallido roseo, cum ostiolo rotundo, quo immisi digitum auricularem ad primum articulum.

Die 21 Februarii 1901.

Iucunda Milli.

In fidem. — L. Zitelli — F. Rapini.

Num. 35.

Matrona Amalia Amici in exarata relatione testatur, instructionem a Iudice adprobatam pro explenda corporali mulieris inspectione fuisse adamussim executioni demandatam.

In causa matrimoniali divortiali etc. ego infrascripta, decisione Iudicii de die 15 Decembris 1900 deputata matrona ad invigilandum revisioni corporis dominae Hedwigis Piselli per obstetrices rite obeundae praestito die 9 Februarii 1901, 12ª hora meridiana in Cancellaria Iudicii Episcopalis iuramento, contuli me in habitaculum ad plateam S. Cunecundae in domum N. 40, quo pariter convenerunt, praeter Membra Iudicii, medici doctores Eduardus Piccini et Augustinus Aviti, necnon obstetrices Leonildes Argenti, Iosepha Bartolelli et Iucunda Milli.

Inhaerendo Instructioni ab Rmo Iudicio confirmatae mihique communicatae, praesens aderam infusioni aquae in alveum, invitavi medicos ad verificandam eamdem aquam; tandem occlusis ianuis adiuvabam dñam Hedwigem Piselli ingressam balneum aquae ad 38 gradus calefactae, in quo mansit 45 minuta, sine linteaminibus vel quibusvis velamentis.

Lotione finita, abstersoque corpore, Hedwiges Piselli recubuit in lecto parato pedibus fenestram versus. Tunc ad inspectionem primam accersivi Leonildem Argenti, deinde Iosepham Bartolelli, tertiam denique Iucundam Milli.

Quum una obstetricum fungeretur munere, reliquae stabant aliquantum remotae. Quum prima recessisset in conclave adiacens ad consignandam relationem, eodem modo peregit opus secunda, atque tertia. Ego toto hoc tempore stabam ad lectum iuxta genua Hedwigis Piselli, diligenterque observabam obstetrices, *quae officium suum executae sunt secundum Instructionem a Iudicio praescriptam.*

Adnoto denique, toto tempore lotionis atque deinde inspectionis corporis, omnes obstetrices *servarunt absolutum silentium, neque secum, neque cum dña Hedwige Piselli quidquam loquentes;* atque praeter me

et supranominatas obstetrices, neminem amplius in hoc cubiculo adfuisse.

. . . . . , die 21 Februarii 1901.

Amalia Amici.

In fidem. — L. Zitelli — F. Rapini.

Sessio Sexta.

In Nomine Domini. Amen.

Num. 36.

Verbalis processus corporalis inspectionis mulieris rite peractae

Anno Domini 1901, die 21 Februarii actum est . . . . . in domo n. 40 ad plateam S. Cunecundae.

Praesentes:

Iudex Delegatus, Lucius Zitelli, Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Defensor sacramenti matrimonii, Franciscus Rapini.

Notarius Iudicii, Dominicus Zucchini.

In causa nullitatis matrimonii Isidori et Hedwigis natae Favini, coniugum Piselli, de nullitate eorum matrimonii ex titulo impotentiae physicae coëundi ad instantiam mariti agitata, hodie, in termino ad peragendam de visu et tactu inspectionem corporis Hedwigis Piselli assignato, adimpletis praeliminaribus in Cancellaria Iudicii Episcopalis in praesentia Iudicis Delegati, matrimoniorum Defensoris et Notarii Iudicii, convenerunt in aedibus, ut supra, A. R. D. Delegatus una cum Defensore sacramenti matrimonii et Notario Iudicii, necnon medici experti, obstetrices et matrona a Iudicio deputati; posteriores ad peragendam inspectionem, illi vero ad invigilandum, ut actio, de qua, conficeretur accuratissime secundum instructionem hac in re a Iudicio approbatam.

Medici accersiti a matrona, omnium primum verificaverunt qualitatem aquae balneo preparatae, deinde ianua conclavis cum alveo occlusa est, matronaque et obstetrices ibidem morantes demandatum sibi negotium revisionis in persona Hedwigis Piselli absolverunt.

Minutis 55 post obserationem ianuae comparuit in conclavi contiguo obstetrix Leonildes Argenti praesenteque Notario Iudicii consignavit relationem, eamque dicto Notario in manus tradidit; deinde

discessit in aliud cubiculum, ut ibi praesentibus Iudice Delegato, matrimonii Defensore et medicis expertis D.re Eduardo Piccini et Augustino Aviti, praedictaret iisdem medicis reperta in inspectione. Eodem ordine adimplevit actionem suam obstetrix Iosepha Bartolelli et Iucunda Milli. Post obstetrices deposuit pariter matrona relationem suam in manus Notarii Iudicii.

His protocollum absolutum et subscriptum est.

Die ut supra.

L. Zitelli, Iud. Deleg. — F. Rapini, Matr. Def. — D. Zucchini, Not. Iud.

Num. 37. Medicus Eduardus Piccini, perpensis obstetricum relationibus votum de intemerata mulieris integritate in scriptis edit.

In causa matrimoniali divortiali Isidori et Hedwigis Favini, coniugum Piselli, ego infrascriptus, decisione Iudicii de die 15 Decembris 1900 ad instituendam de visu et tactu revisionem corporis Hedwigis Piselli, nata Favini, per obstetrices peragendam assignatus, praestito die hodierna 12.ª hora meridiana in Cancellaria Iudicii Episcopalis iuramento, contuli me in habitaculum ad plateam S. Cunecundae in domum N. 40, quo pariter convenerunt, praeter membra Iudicii, medicus doctor Augustinus Aviti necnon obstetrices Leonildes Argenti, Iosepha Bartolelli et Iucunda Milli, atque matrona, Amalia Amici.

Peracta rite per supranominatas obstetrices ad normam Instructionis revisione muliebrium Hedwigis Piselli, facta nobis relatione orali per easdem obstetrices in praesentia Rmi Iudicis Delegati et Defensoris sacramenti matrimonii, honori mihi duco praesentare Rmo Iudicio sequentem relationem et opinionem medicam.

Relatio obstetricum supranominatarum sonat ut sequitur: dña Piselli bonam praesefert alimentationem, est statura media, capillis fuscis, annorum, ut videtur, ultra 30, notabili stratu adiposo praedita, bene evolutis musculis, temperamento leni ac magis phlegmatico, prodit personam bona fruentem valetudine, sine ullis conspicuis deformitatibus, estque ad primum obtutum satis suavis. Mammas habet satis amplas, aliquantulum demissas, *areolas rubras, papillas exiguas, duriusculas;* ventrem prominentem, pinguem, elasticum, *expertem cicatricum vel offuscationum lineae albae.* Pubes est elata, tecta capillis fuscis. Nymphae maiores media dimensione, elasticae, arcte cohaerentes; minores mediocriter conformatae, pallido-roseae, ex ma-

ioribus non extantes. *Frenulum integrum,* perineum durum, clitoris parva. *Introitus vaginae angustus, hymen integer,* crassiculus, *satis immunis*, pallidus cum ostiolo rotundo in centro collocato, quo introduci potest digitus auricularis ad medium primi articuli; ora ostii hymenalis exacte laevis sine ullis convulsuris: interiora vaginae cohaerent. Pelvis est legitime conformata. *Quibus omnibus attentis obstetrices contendunt, actricem esse virginem nec matrimonium consummasse.*

Opinio. Relationes obstetricum in rei essentia non discordant. In universo organismo dñae Piselli nullos deprehenderunt defectus, ita ut videretur valetudine prospera. Mammae elatae cum areolis pallido-roseis et exiguis duris papillis evincunt, dñam Piselli nutricis phasim nunquam transiisse. Venter elasticus, *carens cicatricibus et offuscationibus lineae albae arguit mulierem, quae nunquam puerpera fuerit; idem probat integritas frenuli. Elasticitas nympharum maiorum arcte cohaerentium, mediocris evolutio minorum ac potissimum conservatus ex integro hymen, cum angusto ostiolo, expers caruncularum et convulsionum in hora hostii* PRAEBENT MIHI CERTITUDINEM CIRCA VIRGINALEM STATUM DÑAE PISELLI ET DEMONSTRANT MATRIMONIUM AB EA CONSUMMATUM NON ESSE. Nullae deformitates in universo organismo ac potissimum in muliebribus deducunt ad persuasionem, eam esse idoneam ad copulam carnalem exercendam.

. . . . . , die 22 Februarii 1901.

Doctor Eduardus Piccini.

Num. 38. Medicus Augustinus Aviti suam pariter sententiam pro indubia virginitate mulieris exarat.

In causa matrimoniali divortiali etc. ego infrascriptus, decisione Iudicii de die 15 Decembris 1900 ad instituendam de visu et tactu revisionem corporis Hedwigis Piselli, nata Favini, per obstetrices peragendam assignatus, praestito die hodierna, 12ª hora meridiana, in Cancellaria Iudicii Episcopalis iuramento, contuli me in habitaculum ad plateam S. Cunecundae in domum N. 40, quo pariter convenerunt praeter membra Iudicii, medicus doctor Eduardus Piccini, nec non obstetrices, Leonildes Argenti, Iosepha Bartolelli et Iucunda Milli atque matrona, Amalia Amici.

Peracta rite per supranominatas obstetrices ad normam Instructionis revisione muliebrium Hedwigis Piselli, facta nobis relatione orali per easdem obstetrices in praesentia Rmi Iudicis Delegati et de-

fensoris sacramenti matrimonii, honori mihi duco praesentare Rmo Iudicio sequentem relationem et opinionem medicam.

Relationes omnium obstetricum fuerunt uniformes, eorumque summa est sequens. D.na Hedwiges Piselli, nata Favini, est mulier media statura, bene conformata, fuscis capillis, aetate annorum circiter 35. Aspectus est personae bene valentis. In conformatione organismi nulla praesefert vitia, defectus, deformitates, quae fastidium creare possint. Stratus adiposi intercutis in d.na Piselli quantitas est notabilis; musculi bene evoluti.

Mammae feminae media dimensione paulum laxae. *Papilla est parva, dura.* Areola mediocri dimensione, rosea. Venter elatus, ab imo aliquantulum demissus. *In linea per centrum ducta nullae cernuntur infucationes. Nullae quoque in cuticula ventris deprehenduntur cicatrices.* Pubes est eminens et tegitur raris pilis fuscis. *Nymphae maiores media dimensione arcte cohaerent.* Minores mediocri magnitudine totaliter absconduntur in maioribus. *Clitoris parva, frenulum intactum, introitus vaginae angustus.*

Hymen praeter omne dubium adest, et habet ostium in centro collocatum, quo immitti potest summitas parvi digiti. *Ora ostii in hymene perfecte laevis est sine ullis rugis, convulsuris vel cicatricibus,* quae distincte percipi possint. E vagina nihil profluit, sive potius modica quantitas humoris pellucidi vitrosi. Interiora vaginae, quantum ope digiti explorare licet, elastica et arcte cohaerentia.

Quae obstetricum relationes cum sint concordes, immo etiam consonae, uni tantum conclusioni locus est, nempe d.nam Piselli *actum coniugalem nondum perfecte complevisse, sive aliis verbis* PHYSICE ESSE VIRGINEM.

Doctor Augustinus Aviti.

Num. 39.

Doctor Augustinus Aviti, instituta comparatione indolis ac conformationis utriusque coniugis, relativam viri impotentiam iureiurando admittit.

Sum Augustinus Aviti, doctor medicinae, annorum 40, catholicus, coniugatus, habens liberos, Professor Regiae Universitatis . . . . . , dego ad plateam « Serpenti », religionis officia adimpleo, iuramentum praestiti.

1. Ubi et quando nosti Isidorum Piselli?

R. Coniuges Piselli innotuerunt mihi primum in hoc Iudicio.

2. Qui periculum inspectionis a te factae subierat, fuitne idem ipse atque is, qui in aula Iudicii inspiciendus est tibi traditus?

R. Praesentatus mihi in Iudicio d.nus Piselli fuit idem. quem deinceps physice exploravi.

3. An in peragenda inspectione operam tuam iuxta ea collocasti, quae ab Instructione erant servanda praecepta?

R. Inspectionem corporis d.ni Piselli executus sum secundum tenorem Instructionis a Iudicio traditae atque omnia principia scientiae physiologicae.

4. Quid impotentiae reperisti. Utrum signa impotentiae evidenter concludentia observasti, an vero praesumptive, verosimiliter vel dubio probantia?

R. Evidentia signa impotentiae in d.no Piselli non reperi. *Deprehendi tantummodo ea quae impotentiam eiusmodi reddunt admodum probabilem,* nempe: *a*) enormem irritabilitatem nervorum; *b*) modicam, immo potius nullam, reactionem cremasterum; *c*) narrationem ipsius d.ni Piselli profitentis, se matrimonium consummare non potuisse, eo quod semen praemature erumperet penisque collaberetur, *id quod fiet verisimile, si d.na Piselli reperta fuerit virgo.*

5. Quam impotentiam a te deprehensam, unde ortam censes? Tua opinione quamdiu durat?

R. *Causam impotentiae d.ni Piselli repono in ipsius affectione psychica.* Narrat actor, se nunquam amasse uxorem nec sensisse erga eam desiderium venereum. Quae quamquam ita fuerunt, coniuges post contractum matrimonium lubenti animo accesserunt ad implendam copulam carnalem, quam tamen Piselli perficere non potuit. Eiusmodi frustratio, semel, bis ac eo magis pluries repetita, paullatim instillavit actori persuasionem, ipsum cum uxore sua plane concumbere non posse.

6. Nonne morbida affectio Isidori Piselli medicae artis ope haud difficulter et prospere tolli queat?

R. *Difficile est statuere, num posset haec impotentia dñi Piselli ope artis medicae amoveri.* Cura medica ad hunc finem adhibita forsan attulerit exoptatum eventum; utcumque tamen est, res exigit longam moram et est ardua.

7. Quid tenes: an praecesserit impotentia haec nuptias, an vere sit subsecuta?

R. Impotentia dñi Piselli supervenit post contractum matrimonium et orta est ex persuasione, quam paullatim concepit, se cum uxore coire non posse.

8. An putas fieri posse, ut actor, valetudine recuperata et animo

forte mutato, cum non sit coniugi suae plane aversus, vitam contubernalem cum ea ducturus sit?

R. Quod si ars medica posset in animo Isidori Piselli extinguere persuasionem, ipsum non posse cum uxore concumbere, nullum amplius adesset obstaculum. *Curatio tamen, prout supra iam dixi, etsi non omnino desperanda, est tamen difficilis.*

9. Impotentia, quam hic asseris, estne temporalis an perpetua?

R. Impotentia dñi Piselli est mere relativa et probabiliter potest esse tantummodo temporalis.

10. In prolatione tuae scientificae opinionis habesne moralem certitudinem, an potius coniectura es fultus?

R. Opinio mea scientifico-medicalis est definitive certa; adstruitur autem rationali deductioni ex repertis in revisione corporis Isidori Piselli et deinde uxoris eius.

11. Quid habes, quod addere velis?

R. Nihil amplius habeo in hac causa ad dicendum, hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Doctor medicus Augustinus Aviti.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zitelli, Iud. Deleg. — F. Rapini, Def. Matr. — D. Zucchini, Notar.

Num. 40. Doctor Eduardus Piccini iuratis depositionibus testatur relativam impotentiam Isidori esse prorsus incurabilem.

Sum Eduardus Piccini, doctor medicinae, annorum 60, coniugatus, habens liberos, catholicus, medicus privatus, dego in Via Aurea, N. 40, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Isidorus Piselli innotuit mihi primum hic in iudicio ante inspectionem.

2. R. Certus sum omnino, inspectionem die 20 Februarii anni curr. adimpletam a me esse in persona eiusdem Isidori Piselli.

3. R. Inspectionem peregi rigorose secundum instructionem praescriptam a Iudicio.

4. R. *In Isidoro Piselli reperi notas impotentiae probabilis ac verisimilis*, eaeque proveniunt ex enervatione organismi, quam opinor esse haereditariam. Porro consociatio huius coniugii sine maritali affectu, disproportionata aetas ac defectus instinctus sexualis erga uxorem *procrearunt impotentiam relativam in specie psychica.*

5. R. Causam impotentiae assigno supra nominatam neurosim ac defectum stimuli venerei.

6. R. *Pathologicum hunc statum dñi Piselli quum matrimonium, etsi saepenumero attentatum, consummatum non sit, reputo ex theoria et praxi medica respectu uxoris incurabilem.*

7. R. Opinor impotentiam physicam ante nuptias non extitisse ac supervenisse demum post contractum matrimonium in irritis conatibus concumbendi.

8. R. Declaravi supra, Isidorum Piselli obnoxium esse neurosi, nec certo statui posse neurosim hanc tolli penitus valere; hinc sequitur, diffidentiam sui in actore erga uxorem esse tantam, ut, *mea quidem opinione, vim sexualem sufficientem ad consummandum matrimonium recuperare nequeat.*

9. R. *Impotentia Isidori Piselli erga uxorem est, mea opinione,* INCURABILIS.

10. R. In ferenda opinione de impotentia Isidori Piselli adminicula mihi fuerunt rationes scientificae et diuturna experientia medicalis.

11. R. Nihil amplius habeo in causa hac ad dicendum et depositionem hanc ratam habeo, subscribo et iuro.

Doctor Eduardus Piccini.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zitelli, Iud. Deleg. — F. Rapini, Def. Matr. — D. Zucchini Notar.

Num. 41. Doctor Aloisius Aloisi absque ulla ambiguitate iuratus deponit, Isidorum impotentia relativa et perpetua detineri.

Sum Aloisius Aloisi, primarius nosocomii S. Spiritus, catholicus, annorum 40, dego ad plateam Herbarum N. 29, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Dñum Piselli vidi prima vice in aedibus Iudicii.

2. R. Eundem fuisse a me inspectum assero et confirmo.

3. R. Inspectionem peregi secundum instructionem a Iudicio praescriptam et principia artis medicae.

4. R. In examinando Piselli deprehendi probabilia tantum signa impotentiae: defectum reactionis ex parte musculorum cremasterum, notabilem neurosim atque inaequabilem reflexum patellarem in genibus.

5. R. Probabiliter ex excessibus venereis, quos narrabat ipse Piselli, et frigiditate erga uxorem. Tempus, quo impotentia orta sit, accuratius determinare non possum. Cum exacta scientifica certitudine pronuntiare, sitne Piselli idoneus ad coitum cum uxore, an cum aliis mulieribus, non possum.

6. R. Forsitan fieri potest, ut status pathologicus Isidori Piselli ope artis medicae ad tempus tollatur.

7. R. *Impotentia dñi Piselli, quantum reor, praecessit connubium.*

8. R. Opinor, actorem, etiamsi sanetur, ob irritos superiores conatus copulae cum uxore, prae metu, ne quid simile ei accidat, *fieri definitive impotentem facultativum erga uxorem.*

9. R. Impotentia Isidori Piselli absolute considerata est temporalis, *respectu tamen uxoris Piselli* EST IMPOTENS PERPETUUS.

10. R. Opinionem meam scientifico-medicam adstruo factis analogicis modo ex mei ipsius praxi, modo ex operibus medicinae iudicialis desumptis. *Mihi opinio haec est omnino certa.*

11. R. In causa hac id quoque addere volo, me animadvertisse notabilem hebetudinem mentis dñi Piselli.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Aloisius Aloisi.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.

His protocollon clausum et subscriptum est.

In fidem. — L. Zitelli, Iud. Deleg. — F. Rapini, Def. Matr. — D. Zucchini, Notar.

Num. 42.
Medicus Augustinus Aviti iuratis depositionibus editam sententiam super integritate virginali mulieris confirmat.

Sum Augustinus Aviti, doctor medicinae, Professor Regiae Universitatis . . . . . , annorum 40. catholicus, coniugatus, habens liberos, dego ad plateam Serpenti N. 32, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. Ubi et quando nosti Hedwigem Favini, uxorem Isidori Piselli?

R, Interfui commissioni ad inspiciendum per iuratas obstetrices corpus dñae Piselli die 21 Februarii anni curr.

2. Quae erat aqua ad balneum parandum adhibita?

3. Auditis iis, quae obstetrices de peracto experimento de visu et tactu in corpore praefatae mulieris retulerunt, quid tenes esse; quam de statu virginali inspectrices sequantur opinionem?

R. Ad 2 et 3. *Ex consonis relationibus obstetricum sequitur, dñam Piselli* ESSE VIRGINEM NEC ULLUM HAC IN RE HABEO DUBIUM.

5. Quid ultra dicere cupis?

R. Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Doctor medicinae Augustinus Aviti.

Hic iuravit iuxta formam ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zitelli, Iud. Deleg. — F. Rapini, Def. Matr. — D. Zucchini, Notar.

Num. 43.

Doctor Eduardus Piccini ex indubiis signis in muliere repertis certam sententiam de perfecta eiusdem virginitate iureiurando iterum exponit.

Sum Eduardus Piccini, doctor medicinae, annorum 60, coniugatus, habens liberos, catholicus, medicus privatus, dego in Via Aurea, N. 40, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Dña Piselli innotuit mihi primum in aula Iudicii die peragendae inspectionis.

2. R. Aquam verificavi ac reperi puram, naturalem, ac sinceram, calefactamque ad 28 gradus.

3. R. *Sententiae obstetricum in relationibus mihi communicatae evincebant* COMPLETAM INTEGRITATEM DOMINAE PISELLI ATQUE EO IPSO MATRIMONIUM AB EA CONSUMMATUM NON ESSE.

4. R. *Ex relatis ab obstetricibus concepi persuasionem, dñam Piselli esse virginem matrimoniumque eius consummatum non esse, id quod in opinione mea in scriptis Iudicio tradita singulatim enucleavi.*

5. R. Nihil amplius habeo in causa hac ad dicendum.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Doctor Eduardus Piccini.

In fidem. — L. Zitelli, Iud. Deleg. — F. Rapini, Def. Matrim. — D. Zucchini, Notar.

His protocollon clausum et subscriptum est.

Die ut supra.

L. Zitelli, Iudex Deleg. — F. Rapini, Def. Sacram. Matrim. — D. Zucchini, Notar.

Num. 44.
Obstetrix Leonildes Argenti, sub iurisiurandi fide profitetur, Hedwigem notis omnibus virginitatis pollere.

Praestito iuramento, remansit obstetrix Leonildes Argenti, aliae vero in conclave contiguum successerunt. Tum Vindex sacramenti matrimonii porrexit Iudici Delegato obsigillata interrogatoria, quibus, eius iussu, apertis, coepta est protocollaris indagatio ut sequitur:

Sum Leonildes Argenti, annorum 44, vidua, carens liberis, obstetrix, dego ad plateam Amplam N. 60, catholica, officia religionis adimpleo, causam criminalem non habui, iuramentum praestiti.

1. Inde a quo tempore nosti Hedwigem Favini, uxorem Isidori Piselli?

R. Dñam Piselli vidi prima vice in aedibus Iudicii.

2. An persona, cuius corpus considerabas per visum et tactum, erat eadem ipsa, quam inspiciendam Iudicium Episcopale tibi commisit?

R. Persona, cuius corpus inspexi, fuit eadem, quam in Iudicio Spirituali rescivi esse dñam Piselli.

3. Aqua in balneo parato eratne pura et cuius caloris?

R. Aqua ad balneum adhibita fuit sincera, nullo alieno liquore admixta, ad 28 gradus calefacta, id quod verificavit D.r Piccini.

4. Quomodo inspectionem absolvisti?

R. Inspectionem peregi sequenti modo. Dña Piselli recubuit in lecto e regione fenestrae. Ego accessi et examinavi primum universum corpus, deinde ad normam Instructionis a medicis mihi in Iudicio traditae exploravi accurate muliebria dñae Piselli.

5. Quae sunt virginitatis signa in genere? Quae omnia an in corpore praefatae Hedwiges Favini reperisti?

R. Notae virginitatis sunt: mammae solidae, papillae extantes, areolae mammarum pallido-roseae, venter laevis, expers cicatricum et linea alba non fucata; in muliebribus: nymphae maiores cohaerentes, minores absconditae in maioribus, *hymen integer et inviolatus, frenulum intactum*. Quas omnes notas virginitatis in domina Piselli reperi.

6. Quid est discriminis inter foeminam a viro intactam atque eam, quae virginitate iam careat? An recte istud discrimen in corpore tractatae a te mulieris observasti?

R. Signa defforationis sunt mammae molles, papillae minus durae, areolae coloratae; in pudendis nymphae maiores minus arcte occlusae, colore obfuscato, hymen sublatus aut convulsus. Accidit, licet raro, ut etiam post copulationem hymen servetur. *In revidendo corpore dñae Piselli diligenti studio attendebam ad discrimen servatae et amissae vir-*

ginitatis omnique certitudinis pignore profiteor, EAM POLLERE OMNIBUS NOTIS VIRGINITATIS.

7. An pudenda prodant consummatum matrimonium vel attentatam ad hunc finem copulam?

R. Ars obstetricia non permittit dignoscere completam, vel non completam copulationem, si adsunt signa virginitatis; ideoque non possum decernere, utrum d.na Piselli consummaverit matrimonium necne.

8. An omnia ad Instructionis a Iudicio datae normam peregisti?

R. In ispectione corporis d.nae Piselli observabam exacte Instructionem Iudicii.

9. Quid hac in re ultra es prolatura?

R. Nihil amplius in causa hac habeo ad dicendum.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Leonildes Argenti.

Hic praestitit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — L. Zitelli, Iudex Deleg. — F. Rapini, Def. Matrim. — D. Zucchini, Notar.

Num. 45. Idem erumpit ex iurata depositione alterius obstetricis, Iosephae Bartolelli.

Sum Iosepha Bartolelli, catholica, annorum 40, coniugata, carens liberis, obstetrix, dego in via Amaena N. 41, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Hedwigem Piselli cognovi primum hic in Iudicio ecclesiastico ante inspectionem.

2. R. Certo mihi constat, hanc, non aliam personam, a me revisam esse.

3. R. Aqua ad balneum d.nae Piselli fuit sincera, nullo additamento permixta ac calefacta ad 28 gradus.

4. R. Postquam Piselli egressa est e balneo, omnes simul consideravimus eius aspectum et conformationem corporis exteriorem; deinde eamdem iacentem in lecto exploravi, singillatim inspectis potissimum organis genitalibus.

5. R. Signa virginitatis sunt: mammae solidae, papillae extantes, areolae roseae, linea ventris pura; in genitalibus vero: nymphae maiores cohaerentes adeo ut occultent minores, sintque roseae; introitus

vaginae arctus, *hymen intactus, nec ullatenus violatus.* Omnia haec signa virginitatis reperiuntur definitive in Hedwige Piselli.

6. R. Signa intactae virginitatis percensui in puncto superiore; mulieri autem corruptae mammae sunt molles, aliquantum demissae, areolae obfuscatae, nymphae maiores dimissae nec valent contegere minores, hymen sublatus ac saltem convulsus, introitus vaginae laxior. *Quam differentiam conservatae et amissae virginitatis in supra memorata revisione diligenter prae oculis habui.*

7. R. Attentaveritne d.na Piselli consummationem matrimonii cum marito et quinam fuerint eiusmodi conatus, decernere non possum.

8. R. In revidendo corpore Hedwigis Piselli secuta sum rigorose tenorem instructionis a Iudicio praescriptae.

9. R. Amplius nihil labeo in causa hac ad dicendum.

Hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Iosepha Bartolelli.

Hic iuravit de veritate dicta et silentio servanda iuxta formam ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zitelli. Iudex Deleg. — F. Rapini, Def. Matrim. — D. Zucchini, Notar.

Num. 46.
Idipsum omnino exhibet iurata depositio obstetricis Iucundae Milli.

Sum Iucunda Milli, annorum 38, catholica, innupta, obstetrix, dego ad plateam S. Petri N. 29, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. R. Hedwigem Piselli prima vice vidi quum mihi hic in Iudicio praesentaretur.

2. R. Omnino certa sum me inspectionem ocularem in persona Hedwigis Piselli adimplevisse.

3. R. Aqua ad lotionem Hedwigis Piselli fuit sincera, nulla re aliena permixta, ad 28 gradus R. calefacta.

4. R. Postquam Piselli egressa est ex alveo, perlustravi universum eius organismum, deinde vero, ubi recubuit super lectum, revidi corpus eius per partes, attentis praecipue organis pudendis.

5. R. Signa virginitatis sunt: mammae solidae fortiter affixae thoraci, areolae et papillae roseae, linea ventris pura non fucata, nymphae maiores cohaerentes, ita ut tegant minores, introitus vaginae angustus, hymen integer nec uspiam violatus, perineum et frenulum

intacta. Omnia haec signa reperi sine ulla ambiguitate in Hedwige Piselli.

6. R. Notae defiorationis sunt: mammae molliores, areolae fuscae, linea ventris apud mulierem, quae partum edidit, conspicua, defectus frenuli, perineum nonnunquam lacerum, nymphae maiores laxius cohaerentes, minores interdum prominent ex maioribus et sunt colore lividiore, vagina laxior et emittit fluorem, hymen est conscissus et soli restant flosculi. Quum inspicerem corpus d.nae Piselli, diligenter requirebam haec signa, *sed nullum reperi.*

7. R. Non possum pronuntiare, habueritne Piselli qualecunque commercium carnale cum marito.

8. R. In revisione secuta sum accuratissime instructionem Iudicii.

9. R. Nihil amplius in hac causa dicere possum, depositionem hanc ratam habeo, subscribo et iuro.

Iucunda Milli.

Hic iuravit de veritate dicta et silentio servando iuxta formam ad finem protocolli appositam.

In fidem. — L. Zitelli, Iudex Deleg. — F. Rapini, Def. Matrim. — D. Zucchini, Notar.

Num. 47. Iurata depositio Amaliae Amici super officio matronae fideliter expleto.

Sum Amalia Amici, annorum 65, catholica, vidua, carens liberis, praeceptrix, dego via Hortorum N. 40, officia religionis adimpleo, iuramentum praestiti.

1. Inde a quo tempore nosti Hedwigem Favini, uxorem Isidori Piselli?

R. Hedwigem Piselli vidi primum hic in Iudicio, quum mihi praesentaretur.

2. Faterisne eamdem personam fuisse, cuius inspectioni corporis interfuisti, et quam in aula Iudicii tibi exhibuerunt?

R. Certissime scio, eam et non aliam personam, ab obstetricibus inspectam et revisam esse.

3. Quae et cuius temperaturae erat aqua ad balneum parandum assumpta? Quale erat conclave inspectionis, an lucidum?

R. Conclave, in quo Piselli balneum adhibuit et inspecta est, fuit duplex: in priore paratus alveus, in altero constitutus erat lectus,

utrumque fuit bene collustratum. *Aqua fuit calefacta ad gradum per instructionem praescriptum.*

4. Quamdiu balneo Hedwiges Piselli est usa?

R. Piselli, nudata omnibus vestibus, *mansit in alveo 45 minuta fuitque toto tempore balnei tranquilla.*

5. Quae erat agendi ratio obstetricum?

R. *Obstetrices gesserunt sese stricte secundum praecepta instructionis, nec quidquam de re, quam exequebantur, locutae sunt.*

6. Ubi constitisti, dum obstetrices inspiciebant?

R. Stabam iuxta genua d.nae Piselli, eamque sustinebam, quum ab Ostetricibus inspiceretur.

7. An putas Obstetrices legitime officio suo functas fuisse?

R. *Obstetrices adimpleverunt inspectionem accurate et religiose, servatis praeceptis instructionis.*

8. Quid amplius hac in re dicendum habes?

R. Nihil amplius est, quod in causa hac dicere velim; hanc depositionem ratam habeo, subscribo et iuro.

Amalia Amici.

Hic deposuit iuramentum de veritate dicta et silentio servando.

In fidem. — L. Zitelli, Iudex Deleg. — F. Rapini, Def. Matrim. — D. Zucchini, Notar.

His protocollon clausum et subscriptum est.

Die ut supra.

L. Zitelli, Iudex Deleg. — F. Rapini, Def. Matr. — D. Zucchini, Notar.

Num. 48. Expleta processus instructione, Iudex designat diem, qua sententiam editurus erit.

Iudicium Episcopale . . . . . , absoluta totali instructione causae actisque hac in re confectis hodie publicatis, quum procurator actoris declaraverit; « nulla amplius superesse probationum momenta, quae « in medium proferre cupiat, supplicationemque de conclusione in « causa hac decernenda iteraverit »; postquam nec procurator conventae, nec defensor indissolubilitatis vinculi matrimonialis postulatis eiusmodi quidquam opposuerunt, ad mentem *Can. Quoniam. 11, tit. 19, l. 2. Decretal.*, necnon Instruct. S. Congr. Conc. de die 22 Augusti 1840, conclusionem in causa nullitatis matrimonii coniugum Piselli decernit, acta Vindici Sacramenti matrimonii ad formandas

coniecturas communicari statuit, terminumque sententiae definitivae ferendae in diem 25 Maii anni currentis assignat. vigore praesentis decisionis.

. . . . . , die 1 Aprilis 1901.

† N. Episcopus . . . . .

Notarius Iudicii, D. Zucchini.

Num. 49.

Iudicium Episcopale . . . licet de matrimonii nullitate haud satis constare putaverit, solemniter tamen declarat, MULIEREM ESSE VIRGINEM, NEC MATRIMONIUM CONSUMMASSE.

Anno Domini 1901, die 25 Maii actum est in sessione Iudicii Episcopalis . . . . .

N. N. Episcopus . . . . . Praeses.

Praesentes:

Lucius Zitelli, Canonicus Eccl. Cathed. Iudex delegatus.

Franciscus Rapini, Defensor indissolubilitatis sacramenti matrimonii.

Dominicus Zucchini, Notarius Iudicii.

In causa nullitatis matrimonii coniugum Piselli . . . . . degentis in civitate N. ad plateam S. Ignatii, N. 19, per Antonium Barbetta, Advocatum Iudicii Episcopalis . . . . . comparentis et agentis adversus uxorem Hedwigem Piselli natam Favini in civit. . . . . , dioecesis . . . . . degentem, procuratorem Casimirum Tulipani, Advocatum Iudicii illius dioecesis, a Rmo loci Ordinario specialiter admissum et ratihabitum, comparentem, et agentem ex titulo impotentiae physicae relativae.

Status causae.

Isidorus Piselli die 17 Februarii 1900 porrexit huic Iudicio libellum supplicem, quo exposuit, matrimonium cum Hedwige Favini, die 20 Iunii 1898 a se contractum et in Ecclesia Patrocinii S. Ioseph benedictum, non obstantibus conatibus per aliquot menses reiteratis, consummatum non esse, seque inde in statum irritationis nervorum prolapsum esse atque ulteriores conatus neglexisse, et dein repetivisse tentamina; sed quamvis per anni spatium duraverint, nihil profecisse, concepta persuasione, matrimonium suum consummari non posse ob causas a solis forsan medicis explicandas, quum se et uxorem legitime conformatos esse perspectum haberet; ideoque supplicavit, ut matrimonii sui nullitas decerneretur.

Decisione die 14 Aprilis 1900 lata, Iudicium petitioni annuit, causam ad instructionem recepit, reconciliationem coniugum die 22 Maii eiusdem anni in Cancellaria Iudicii attentari, si non procedat, eosdem coniuges, *exhibitis ab iis testimoniis peractae confessionis sacramentalis,* protocollariter indagari atque Defensori iuramentum deferri praecepit. Postquam reconciliatio non successit, ambo coniuges statim eodem die 22 Maii 1900 protocollariter sub iuramento examinati sunt. Acceptato elenchо testium septimae manus ex parte actoris productorum, examinati sunt die 5 Iulii 1900 sub iuramento: Anna comitissa Platani, Iulius Barbati, Iosephus Favini et Amilcar Gerani; die vero 15 Octobris 1900 examinati sunt pariter sub iuramento reliqui tres testes septimae manus nempe Maria Rosi, Theodorus Salvati et Augustus Millefogli. Eadem die 15 Octobris eiusdem anni indagati sunt sub iuramento testes septimae manus ab in ius vocata producti et a Iudicio acceptati: Aemidius Plantati, Constantinus Plantati et Alexander Plantati. Die denique 19 Octobris eiusdem anni deposuerunt sub iuramento Camillus Sabbatoni, Severa Stoicini, Agatha Dominici et Ioseph Favini.

Ad mentem decisionis Iudicii de die 24 Novembris 1900 praecipientis inspectionem corporum coniugum Piselli, haec peracta est die 20 Februarii 1901 secundum Instructionem ad hoc preparatam a iuratis medicis expertis: Augustino Aviti, Eduardo Piccini et Aloisio Aloisi. Inspectio corporis Isidori Piselli, relationesque super eiusmodi inspectione litteris consignatae traditae sunt in manus Notarii Iudicii. Postero die 21 Februarii revisum est corpus in ius vocatae, Hedwigis Piselli, per obstetrices expertas: Leonildem Argenti, Iosepham Bartolelli et Iucundam Milli in praesentia matronae Amaliae Amici, confestimque eaedem expertae una cum matrona deposuerunt Notario Iudicii relationes scriptitias. Die autem 23 Februarii 1901 deposuerunt in scriptis opiniones suas ex relatis obstetricum conceptas et formatas, medici Eduardus Piccini et Augustinus Aviti.

In ulteriore instructione causae die 28 Februarii anni currentis protulerunt protocollariter sub iuramento opiniones suas medici Augustinus Aviti, Eduardus Piccini et Aloisius Aloisi super repertis in revisione corporis Isidori Piselli eademque die primi duo medici protocollariter indagati sunt circa revisionem muliebrium in ius vacatae, Hedwigis Piselli, ex tenore relatorum ab obstetricibus depromptorum. Denique die 1 Martii 1901 dictarunt ad protocollon iudiciale sub iuramenti fide opiniones suas super repertis in inspectione corporis Hed-

wigis Piselli obstetrices Leonildes Argenti, Iucunda Milli et Iosepha Bartolelli, necnon pariter sub iuramento matrona Amalia Amici.

Postquam his absolutis, tam Procuratores utriusque partis, quam Defensor indissolubilitatis sacramenti matrimonii, causam sufficienter instructam esse censuerunt, Iudicium, decisione die 16 Martii anni currentis lata, terminum publicandis actis processus in diem 6 Aprilis eiusdem anni assignavit. Pubblicatis vero in hoc termino actis, Iudicium postulationi Procuratorum utriusque partis annuendo, conclusionem in causa decrevit terminumque ad ferendam in causa sententiam in diem 25 Maii 1901 assignavit.

Hodie igitur, advocata causa, exauditis perorationibus Procuratorum utriusque partis, perceptis coniecturis Defensoris indissolubilitatis sacramenti matrimonii et discussis sedulo actis processus:

Iudicium Episcopale . . . . . attento quod, quamquam ex adimpleta ab obstetricibus expertis inspectione corporis in ius vocatae necnon ex opinionibus medicorum certum sit, EANDEM IN IUS VOCATAM ESSE VIRGINEM NEC MATRIMONIUM CONSUMMASSE, nihilominus tamen in revisione corporis actoris medici non deprehenderunt notas sufficientes, quae permitterent statuere definitive, eum laborare impotentia physica et factum non consummati imputant neurastheniae atque conceptae, post irritos conatus, persuasioni de impotentia concubendi cum in ius vocata; attento quod quamquam medici experti, Augustinus Aviti et Aloisius Aloisi *impotentiam actoris erga in ius vocatam statuunt relativam ac ferme incurabilem,* opinio haec tamen non excludit absolute spem sanationis; attento quod assignandis qualitatibus praefatae impotentiae coëundi medici adeo variant, ut ipsius impotentiae factum sit ambiguum atque incertum; his igitur attentis et consideratis, Iudicium Episcopale . . . . . ad propositum dubium, an constet de nullitate matrimonii in casu, decrevit respondendum *negative.*

† N. Episcopus . . . . . Praeses.

Notarius Iudicii, Dominicus Zucchini.

Promulgatum die ut supra Procuratoribus partium.

Notarius Iudicii, Dominicus Zucchini.

Illmo ac Rmo Domino Episcopo . . . . .

Num. 50.
Vir dispensationem a matrimonio rato et non consummato postulat.

Quum Rmum Iudicium Episcopale, discussa causa a me mota de pronuntianda nullitate coniugii mei cum Hedwige Piselli nata Favini, per sententiam in I. Instantia die 25 Maii 1901, latam, nullitatem matrimonii non declaraverit, honori mihi est, supplicare Excellentiam Vestram ut tabulae processus expediantur Romam ad Sanctam Sedem pro impetranda dispensatione super matrimonio rato, sed non consummato.

Isidorus Piselli.

Illmo ac Rmo Domino Episcopo . . . . .

Num. 51.
Mulier eamdem gratiam efflagitat.

Quum in causa nullitatis matrimonii mei, ad istantiam mariti Isidori Piselli mota, per sententiam in prima instantia latam die 25 Maii 1901, Rmum Iudicium Episcopale non declaraverit nullitatem matrimonii et cum in conscientia et iuxta relata inspectionis mei corporis, sim omnino intacta ob inconsummatum matrimonium, supplico Excellentiam Vestram, ut integer processus mittatur Romam ad obtinendam a SS.mo dispensationem super matrimonio rato tantum.

Hedwiges Piselli, nata Favini.

Beatissime Pater,

Num. 52.
Episcopus . . . transmittens acta processus confecti pro decernenda nullitate matrimonii coniugum Piselli ex impotentia viri (quam nullitatem haud constare dicit), petit, ut eadem acta pro concedenda dispensatione a matrimonio rato

Dioecesanus meus Isidorus Piselli porrexerat mihi libellum supplicem, quo matrimonium cum Hedwige Favini, a se initum, ex titulo canonico impotentiae physicae relativae nullitatis accusaverat, processumque ad pronuntiandam legitime eiusdem matrimonii nullitatem institui rogaverat.

Peracta instructione causae, *quamquam inspectio corporis in ius vocatae probavit eius* ILLIBATAM HUCUSQUE VIRGINITATEM, attento tamen, quod revisio corporum utriusque coniugis nullas in conformatione genitalium detexisset deformitates, quae eos ineptos redderent ad copulam carnalem exercendam; quod medici experti in assignandis substan-

et non consummato adhibeantur, ac ipsemet memoratae gratiae concessionem enixe commendat.

tialibus causis non consummati matrimonii adeo inter se variassent, ut praetensa impotentia valde suspecta et ambigua videretur; quod cum haec ita essent, NON CONSUMMATIO MATRIMONII non impotentiae physicae, sed potius aliae causae tribuenda videretur ac probabiliter facto, a quinque testibus septimae manus actoris relato, in ius vocatam prorsus denegasse marito debitum coniugale; Iudicium meum per sententiam die 23 Maii anni elapsi latam pronuntiavit: non constare de nullitate matrimonii in casu.

Hac lata decisione, partes, considerantes consueto processus ordine causam ex voto resolvi non posse, postularunt a me, ut acta ad Sanctam Sedem trasmitterentur ad effectum impetrandi a Sanctitate Vestra dissolutionem connubii, PHYSICE NON CONSUMMATI, per beneficium dispensationis.

Quibus precibus annuendo, authenticam copiam actorum et sententiae ad Sanctitatem Vestram in adnexo praesentium perfero cum humillima instantia pro actore, QUI, ATTENTA AETATE, IN SUMMO INCONTINENTIAE PERICULO REPERITUR.

Inter oscula pedum Sanctitatis Vestrae maneo.

. . . die 6 Martii 1902.

Umus servus et obedmus filius,

† N. N. Episcopus . . .

In hac causa, prout constat ex summa relationum obstetricum et peritorum medicorum, mulier prae se ferebat omnia signa certa virginitatis, quae bene exponunt et cognoscunt praefatae obstetrices, cum notant discrimina inter mulierem virginem et defloratam. Maritus vero laborabat anaphrodisia seu impotentia psychica (II, 235 et ss.) fere certo perpetua relate ad talem uxorem, orta praesertim ex eius statu nervoso et anxia spiritus ob timorem non posse copulam perficere. Quam ob causam matrimonium numquam potuit consummari. Ob eorum aetatem vero et praesertim ob periculum incontinentiae, Summus Pontifex *dispensare* dignatus est in hoc matrimonio tantum rato.

Notanda. — Ex his causis, quas attulimus, liquet oportere ut processus matrimoniales rite conficiantur in Curiis ecclesiasticis, in quibus membra delegata ad illos iure canonico et rebus physiologicis recte pollere necesse est, ne vitio aliqua nullitatis processus inficiantur et ut relata obstetricum et medicorum intelligere et ad ea principia iuris applicare valeant. Praeterea notetur, quod si hi processus malè confecti sint aliqua ratione, et praesertim si nulli evadant, diuturnum tempus consumitur ad eos iterum conficiendos cum non parvo damno oratorum, qui saepe plurima peccata perpetrant ob separationem factam, et cum non parvis expensis. In omnibus his processibus, si impotentia sit certa, antecedens, perpetua ac irremediabilis, illico declaratur nullitas matrimonii; cum vero omnes quaestiones de impotentia valde difficiles sint in praxi, sive quia difficiles saepius in se sunt, sive quia raro possunt determinari conditiones requisitae pro nullitate, sive quia demum medici ipsi periti, ad inspicienda corpora vocati, in diversas sententias circa naturam impotentiae abeunt, ita, praetergressis omnino his arduis quaestionibus, directe et tutius procedìtur ad statuendam inconsummationem pro obtinenda dispensatione a SSmo; quae inconsummatio potest pendere ab impotentia vel a multis aliis causis, quarum plurimas supra (II, c. V-VI, et I, c. XX) retulimus. Tamen notetur sedulo, Episcopos posse ex se conficere processus de impotentia et proprio iure declarare nullitatem matrimonii; requiritur vero semper altera sententia conformis alterius tribunalis ecclesiastici; cum vero agitur de causis ob inconsummationem, Episcopi debent petere facultatem instruendi processum a S. C. C., quae solet etiam speciales normas sequendas praescribere, ac dein confectos processus remittere ad eamdem S. C. C., cum in his causis nullam habeant potestatem. (Cfr. in *Varsavien.* mens. Iunii 1894).

INDEX HUIUS VOLUMINIS

DE SACRAMENTIS

DE BAPTISMO.

PAG.

1. Baptismus necessarius ad salutem. — 2. De eius materia *remota* valida. — 3. De materia *dubia*. — 4. De materia *invalida*. — 5. De materia licita *extra necessitatem* et 6. *in casu necessitatis*. — 7. De materia *proxima*. — 8. De forma. — 9. De ministro Baptismi in casu necessitatis. — 10. De triplici quaestione in ordine ad baptismum. — 11. De baptismo infantium *in utero matris*. — 12. An huiusmodi baptismus validus sit. — 13. Rit. Rom. non obstat baptismo uterino. — 14. Aqua debet pertingere corpus infantis. — 15. Confertur per vaginam a medico vel obstetrice. — 16. Quid de baptismo in casu abortus vel partus praematuri *ante* quintum mensem. — 17. Quid de baptismo *ante* quintum mensem, si fetus vivit *et* eius vita minuitur. — 18. Baptismus in funiculo umbilicari est invalidus. — 19. Quando conferri debet baptismus uterinus. — 20. *De ovis abortivis*. — 21. De notis ovi in singulis mensibus praegnationis. — 22. De abortu primis tribus vel quatuor mensibus et reliquo tempore praegnationis. — 23. De ovulo, quum abortus sequitur causam abortus ipsius. — 24. Haemorrhagia est signum abortus primis quatuor mensibus. — 25. De abortu primis hebdomadis. — 26. De abortu *post* quartum mensem. — 27. De statu ovi hoc tempore. — 28. De indiciis vitae in abortu et 29. de baptismo conferendo. — 30. De baptismo *monstrorum* iuxta Rit. Rom. — 31. De monstris prae se ferentibus aspectum animalium. — 32. De bapt. monstrorum simplicium et acardiaci. — 33. De bapt. monstrorum *duplicium aequalium*. — 34. De *thoracopagis* et *diprosopis*. — 35. De *ischiopagis, craniopagis* et *pygopagis*. — 36. De monstris *parasitariis*. — 37. De fetibus *papyraceis*. — 38. De monstris *epignatis*. — 39. Quid in casibus dubiis. — 40. In quibusnam necessitatibus infantes baptizari possint domi. — 41. Quomodo Sacerdos gerere se debet in casu praegnantis graviter aegrotae in periculo mortis. causa baptizandi fetum 1-14

DE MATRIMONIO

DE NATURA ET VI IMPOTENTIAE ET STERILITATIS

CAPUT I.

QUID SIT « FIERI UNAM CARNEM » SEU « CONSUMMARE MATRIMONIUM »

PAG.

42. De difficultate huius impedimenti et de ratione sese gerendi nonnullorum actualium Aa. — 43. De necessitate bene noscendi hoc impedimentum. — 44. De ordine huius tractationis. — 45-47. Quid sit *fieri unam carnem* ex S. Scriptura. — 48. Quid physiologice. — 49. De fine secundario matrim. post peccatum. — 50. De consequentia huius finis. — 51-55. Quid sit *fieri unam carnem* ex iure canon. — 56. Quid ex sensu DD. — 57-60. Quid penes antiquos de necessariis ad humanam generationem. — 61. Consectaria veterum opinionum. — 62. Quomodo examinandi sunt veteres Aa. in hisce physiologicis quaestionibus. — 63. Omnes Aa. requirunt capacitatem generandi pro valore matrim. — 64. Recensentur: S. Antoninus. — 65. S. Bonaventura. — 66. S. Thomas. — 67. Sanchez. — 68. Perez. — 69. Castrus Palaus. — 70. Pichler. — 71. Tancredi. — 72. Illsung. — 73. Sylvius. — 74. Escobar. — 75. Salmanticenses. — 76. Billuart. — 77. P. Zacchia. — 78. Gonzalez Tellez. — 79. Ballerini-Palmieri. — 80. Scavini. — 81. Haine. — 82. Bucceroni. — 83. De Luca. — 84. Card. Caietanus. — 85. Conclusio. — 86. Veteres Aa. errant cum tenent aristotelicam sententiam quoad humanam generat. et huic applicant principia certa iuris. — 87. Ad id recensentur: Sanchez. — 88. Consequentia ex Sanchez. — 89. Bonacina. — 90. Leander. — 91. Pihring. — 92. Tamburini. — 93. Reiffenstuel. — 94. Schmalzgrüber. — 95. Sporer. — 96. Escobar. — 97. Pichler. — 98. S. Alfonsus. — 99. Refutatur obiectio de seminatione feminae. — 100. Quid sit copula *per se* etc. apta ad generandum, iuxta Aa. — 101. Quid copula per se vel per accidens infecunda. — 102-104. Respondetur Gasparri quoad vim illius « per se ». 105. — Quid sit *fieri unam carnem* ex mente S. C. C. — 106. Conclusio 15-52

CAPUT II.

DE NATURA COPULAE PRO VALORE MATRIMONII

107. *Actus* copulae non pertinet ad essentiam matrimonii. — 108. Potentia seu capacitas ad hunc actum est de essentia matrim. — 109. Probatur: I. ex natura matrim. — 110. Ex Conc. Florent. — 111. Ex S. Thoma. — 112. Ex Sanchez. — 113. Ex Mastrio De Meldula. — 114. Ex Ioanne

PAG.

de Friburgo. — 115. Ex S. Bonaventura. — 116. Ex Estio. — 117. Ex Filliuccio. — 118. Ex Rosset. — 119. Ex Ballerini-Palmieri. — 120. Ex Bucceroni. — 121. Ex De Luca. — 122. Ex Wernz. — 123. Ex doctr. Eccl. *de condit. appos.* — 124. Ex Const. Sixti V. — 125. Analysis huius Const. — 126-127. Consectaria huius Const. — 128. II. Probatur ex Aa. ecclesiasticis. — 129. Recensentur: S. Thomas. — 130. Sylvius. — 131. Sanchez. — 132. P. Zacchia. — 133. Salmanticenses. — 134. Conninck. — 135. Billuart. — 136. Gonz. Tellez. — 137. S. Alfonsus. — 138. Lehmkuhl. — 139. Bucceroni. — 140. Conclusio. — 141. Quid *impotentia* et quid *sterilitas*. — 142. Quid *impotentia coëundi* et *impot. generandi* Aa. — 143. Omnes Aa. perfecte distinguunt impotentiam et sterilitatem. — 144-145. Recensentur ad id: Laymann. — 146. Salmanticenses. — 147. Amort. — 148. Catalanus. — 149. Pontius. — 150. C. Palaus. — 151. Pichler. — 152. G. Tellez. — 153. Sporer. — 154. M. de Meldula. — 155. Billuart. — 156. Böchn. — 157. Zacchia. — 158. Sanchez. — 159. Henrincz. — 160. S. Alfonsus. — 161. Bartolini. — 162. Vecchiotti. — 163. Lehmkuhl. — 164. Alberti. — 165. Synopsis doctrinae praecedentium Aa. — 166. Consectarium. — 167. Definitur sterilitas. — 168. et impotentia. — 169. Definitio praefata est omnino generalis — 170. Quid in variis casibus impotentiae pro praxi . . . 53-80

CAPUT III.

DE ARGUMENTIS CONTRARIAE RECENTIS SENTENTIAE

171. Quibus argum. contrariam sententiam nonnulli Aa. adstruant. — 172. Resp.: in quibus veteres Aa. erraverunt. — 173. Quid de responsis S. O. — 174. De magna confusione circa impotentiam et sterilitatem contrarie nobis sentientium. — 175. Exponitur argum. Gasparri. — 176-180. Respondetur. — 181-185. Referuntur argum. alia Gasparri. — 186. Respondetur: quid natura matrimonii postulat. — 187. Quid ex doctrina S. Thomae et aliorum Aa. — 188. Qui finis seminis viri. — 189. Quando copula per se est apta ad generationem ex S. Thoma. — 190. Copula non apta ad generandum non gignit affinitatem etc. — 191. Quid copula apta ad generandum ex doctrina Ecclesiae. — 192. Quid sentiendum de veteribus Aa. de copula apta ad generandum; Ferraris contrarium Gasparri tradit. — 193. Idem alii ab eo cit. Aa. — 194. Mulier non retinens semen est sterilis tantum. — 195. Idem docet Pihring. — 196. Idem S. Alfonsus. — 197. Idem Giribaldi. — 198. Idem Van de Burgt. — 199. Idem De Angelis. — 200. Locus Sanchezii ab adversariis cit. non est ad rem, immo contra eos. — 201. Idem docet Pichler. — 202. Aequiparatio inter mulierem sterilem et castratam, relate ad valorem matrim., non tenet. — 203. Quomodo copula cum praegnante sit per se apta ad

PAG.

generandum. — 204. Discrimen inter copulam *per se* et *per accidens* infecunda fundatur natura rerum. — 205. Confutatur P. Ojetti. — 206. Quid circa τοῦ *fieri unam carnem* ex Gen. XIX, 5 et Iud. XXI, 11. — 207. De loco Apost. ad Corinth. — 208. De can. Benedicti PP. apocrypho. — 209. Quae copula maritalis Aa. iuxta P. Ojetti. — 210. Respondetur. — 211. Quid de Const. Sixti V contra eunuchos, iuxta P. Ojetti. — 212. Plura respondentur. — 213. Quid de quatuor causis recentibus apud S. C. C. iuxta P. Ojetti. — 214. Respondetur. — 215. De quodam loco S. Bonaventurae et S. Thomae, iuxta P. Ojetti. — 216. Respondetur. — 217. Quid de liceitate cuiuslibet copulae in sententia validitatis matrim. mulieri castratae, iuxta P. Ojetti. — 218. Respondetur. — 219. Cum antiquae classicae definitiones de matrim. nullam innuant capacitatem generandi, ergo haec capacitas non est necessaria in matrim. contrahendo iuxta P. Ojetti. — 220. Respondetur 81-131

CAPUT IV.

DE VARIIS FORMIS IMPOTENTIAE

221. Quomodo dividi potest impotentia. — 222. Quomodo ratione originis. — 223. Ratione temporis. — 224. Ratione Matrimonii. — 225. Ratione modi existentiae. — 226-229. Principia de impot.: de impot. perpet. et anteced. — 230. De impotentia consequente matrim. — 231. In dubio de impot. anteced. — 232. In dubio de impot. conseq. — 233. Quid in dubio rationali de impot. perpetua ante matrimonium. 132-135

CAPUT V.

DE NONNULLIS CASIBUS IMPOTENTIAE ET STERILITATIS VIRI ET MULIERIS

De impotentia viri

234. Conditiones exponuntur ne viro sit impotentia. — 235. De impotentia psychica seu *anaphrodisia*. — 236. De characteribus huius impotentiae. — 237. Quando contingit. — 238. Divisio huius impotentiae. — 239. De anaphrodisia *naturali* et de *maleficio*. — 240. De consequentia huius formae. — 241. De anaphrodisia *acquisita* et de eius causis. — 242-243. De impotentia ex anomaliis *membri*. — 244. De anomaliis membri quoad *scrotum*. — 245-247. De impot. ob *proportiones* mutatas membri. — 248. De impot. ob *anomalias testium*: de eorum *atrophia, anorchidia*. — 249. De impot. ob *nevrastheniam genitalem*. — 250. Ob nimiam caliditatem. — 251. Quid si semen introducatur absque copula? — 252-254. Consummat matrimonium. — 255. Si sequitur praegnatio. — 256. Ducit affinitatem. —

PAG.

257. Contradicitur sibi Sanchez in hac quaestione. — 258. Hi casus possunt fieri in praxi. 136-147

De impotentia mulieris

259. Quando adest impotentia in muliere. — 260. In *absentia vulvae*. — 261. In *hypertrophia labiorum*. — 262. In anomaliis *hymenis*. — 263. In absentia *vaginae*. — 264. In anomaliis orium naturalium. — 265. In anomalia gravi uretrae, vaginae et recti intestini. — 266. In arctitudine. — 267. An mulier arcta teneatur incisionem pati ut reddatur apta? — 268. In anomaliis *uteri*. — 269. In absentia uteri. — 270. Quae sunt anomaliae evolutionis uteri. — 271. In utero deficiente. — 272. In utero fetali. — 273. In utero infantili. — 274. In utero pubescente. — 275. De consequentiis in hisce anomaliis. — 276. In anomaliis colli uteri. — 277. In anomaliis oviductuum. — 278. In anomaliis ovariorum: in absentia ovariorum. — 279 In atrophia ovariorum. — 280. In vaginismo 148-155

De sterilitate viri

281. Causae sterilitatis in viro. — 282. De *Azoospermatismo:* in blenorrhagia. — 283. In syphilide. — 284. In orchite et epidydimite chronica. — 285. In nonnullis tumoribus testium et in eorum tuberculosi. — 286. De *azoospermatismo* in anomaliis seminis. — 287. In coitu nimis frequente. — 288. In immutatione liquidi prostatae et aliorum canalium seminis. — 289. In semine aquoso et colloide. — 290. De *aspermatismo;* de eius causis. — 291. De aspermatismo psychico et nerveo 155-159

De sterilitate mulieris

292. Quae mulier sterilis: sterilitas frequens in femina. — 293. Provenit: ex oophorite. — 294. Ex inflammationibus chronicis organorum internor. — 295. Ex parte fimbriata tubae. — 296. Ex cystibus ovariorum. — 297. Ex salpingite. — 298. Ex nonnullis statibus uteri. — 299. Ex nonnullis positionibus uteri. — 300. Ex fibromatibus uteri. — 301. Ex nonnullis lacerationibus. — 302. Ex anomaliis pluribus vaginae. — 303. Ex vaginite purulenta. — 304. Ex diabete. — 305. Ex phthisi pulmonari. — 306. Ex tuberculosi genitalium. — 307. Ex polysarcia. — 308. Ex aliis causis. — 309. Conclusio 159-163

CAPUT VI.

DE CONIUGIO HERMAPHRODITARUM

310. De necessitate huius studii. — 311. Hermaphroditae perfecti in specie humana non adsunt. — 312. Notiones scientificae certae de hermaphroditismo sunt nostrae aetatis. — 313. De ratione scientifica

PAG.

hermaphroditismi. — 314. De origine embryologica internor. organor. sexualium in utroque sexu. — 315. De anomaliis, quae gignunt varias formas hermaphroditismi. — 316-317. De anomaliis in evolutione organor. externor. sexualium in utroque sexu. — 318-319. De consequentiis hermaphroditismi externi. — 320. Quamdiu perdurat dubium de vero sexu; huius consequentiae. — 321-322. Quid de hermaphroditar. matrimonio. — 323. De infecunditate hermaphroditarum. — 324. Utrum hermaphroditismus sit hereditarius? — 325. Hermaphroditae sat frequentes sunt. — 326. Et valde libidinosi 164-169

CAPUT VII.

DE UTILITER SCIENDIS IN MATRIMONIO CONTRAHENDO

327. De necessitate haec sciendi pro Confessario. — 328. De *hereditate* per generationem. — 329. De variis formis hereditatis. — 330. De divisione hereditatis. — 331. De causis hereditatis. — 332. Hereditas afficit characteres accidentales. — 333. Ad quae organa referatur hereditas. — 334. Ad structuram. — 335. Ad pinguedinem. — 336. Ad plures anomalias corporis. — 337. Ad mutilationes. — 338. Utrum sanati his mutilationibus, has transmittant filiis. — 339. De hereditate *physiologica*. — 340. De constitutionibus physicis. — 341. De temperamentis. — 342. De longaevitate. — 343. De fecunditate. — 344. De auditu et visu. — 345. De *hereditate morborum*. — 346-347. De syphilide. — 348. De scrophula. — 349-352. De phthisi. — 353. De cancro. — 354. De morbis nervosis. — 355. De intelligentia et qualitatibus bonis moralibus. — 356. De conatibus ad crimina. — 357. De necessitate haec sciendi in nupturientibus. — 358. De *aetate contrahentium*. — 359. De aetate a *iure*. — 360. De corpore bene evoluto. — 361. De aetate in viro ad coniugium. — 362. De cura adolescentium tempore pubertatis. — 363. De consilio dando, quando aetas valde differens sit in nupturientibus. — 364. De *consanguineitate:* eius damna. — 365. De horum causis. — 366. De impedimento consanguineitatis. — 367. De *diversitate conditionis*. — 368. De matrimoniis *ex convenientia* 170-183

CAPUT VIII.

DE USU MATRIMONII

369. Quid notandum ut effectus copulae sint in omnibus boni. — 370. Vir curet ut mulier nunquam amittat sensum pudoris. — 371. Copula debet habere causam aliquam rationabilem. — 372. Itinera occasione matrimonior. non sunt probanda. — 373. De statibus animi in copula. — 374. Horae meliores ad copulam. — 375. Quid prae oculis haberi

PAG.

debet tempore copulae. — 376. De nonnullis observandis in copula apud divites. — 377. Apud pauperes. — 378. Quando fieri possunt lotiones vaginales post copulam 184-187

CAPUT IX.

DE CIRCUMSTANTIIS COPULAE

A. — De situ coniugum

379. Qui situs naturalis et innaturalis. — 380. Situs innaturales non impediunt generationem. — 381. De ratione physiologica huius rei. — 382. Quaevis causa rationabilis tollit veniale. — 383. Mutatio situs potest aliquando esse necessaria. — 384. Consequentia mutationis situs quoad valetudinem 188-190

B. — De tempore menstrui

385. Duplex fluxus sanguinis in muliere. — 386. Doctrina theologorum de copula hoc tempore. — 387. De notandis de hac doctrina rei. — 388. De hac copula physiologice inspecta. — 389. Aliquando huiusmodi copula hortanda est. — 390. In casibus fluxus extraordinarii medicus est consulendus 190-192

C. — De tempore praegnationis

391. Doctrina S. Alfonsi de copula hoc tempore. — 392. Quando adest periculum abortus? — 393. In aliquibus mulieribus abortus facilior est quam in ceteris. — 394. Quando adest praedispositio ad abortum? — 395. Quoad mulierem sanam relate ad abortum. — 396. Abortus potest sequi etiam ex causis externis 192-193

D. — De tempore puerperii

397. Quid de copula hoc tempore, iuxta theologos. — 398. Quaestio haec est praecipue physiologica. — 399-400. De consequentiis partus. — 401. Quid concludendum de copula hoc tempore pro viro. — 402 et pro muliere 193-196

E. — De tempore lactationis

403. Copula licet hoc tempore. — 404. Quid, si hoc tempore, contingit praegnatio? 196

F. — De tempore morbi

405. Doctrina S. Alphonsi de hoc. — 406. Usus matrim. pendet a natura morbi. — 407. De morbis contagiosis et non contagiosis. — 408. De *syphilide*. — 409. Haec est transmissibilis. — 410. Afficit in

PAG.

primis organa sexualia. — 411. De syphilide *primaria*. — 412-413. De syphilide *secundaria*. — 414-419. De syphilide *tertiaria*. — 420. De syphilide *maligna*. — 421. De hereditate syphilidis. — 422. De relationibus syphiliticis inter parentes et fetum, iuxta Schröder. — 423. Hoc periculum gravissimum est. — 424. De syphilide relate ad matrimonium ineundum et prolem. — 425. Conditiones requisitae ut quis, syphilidem passus, possit contrahere, ex Vigouroux et Fournier. — 426. De *phthisi*. — 427. De praecipuo charactere phthisis. — 428. De affectionibus phthisicorum. — 429. Phthisici sunt saepe vexati magna concupiscentia. — 430. Mulieres phthisicae saepe moriuntur tempore puerperii. — 431. Quid de copula in casu syphilidis. — 432. Sententia Capellmann. — 433. Quid de copula in casu phthisis. — 434. Quid de copula in morbis *non* contagiosis. — 435. Quid si ex copula timeatur abortus. — 436. Quid de copula in morbis cum febre 196-205

G. — De tempore ebrietatis et post prandium

437. Doctrina S. Alfonsi. — 438. Accedunt aliae rationes. — 439. De copula post prandium 205

H. — De usu

in certa anomalia vulvae et in impotentia consequente

440. Quid de copula in parte praepostera, si vagina communicat cum recto intestino — 441. De copula in casu impotentiae consequentis; praemissa generalia de copula fecunda. — 442. Quaestio de copula cum viro vel muliere castratis est maximi momenti. — 443-444. Pro solutione, inspiciendus est finis naturalis copulae, ex S. Thoma. — 445. Ex Reiffenstuel. — 446. Ex Amort. — 447. Ex Illsung. — 448. Ex M. de Meldula. — 449. Ex Salmanticensibus. — 450. Ex Laymann. — 451. Ex Giribaldi. — 452. Ex Perez. — 453. Ex S. Alfonso. — 454. Ex Ballerini-Palmieri. — 455. Ex aliis DD. — 456. De consectariis huius doctrinae. — 457-459. De horum analysi. — 460. Exponuntur nonnullae obiectiones Aa. — 461-465. Respondetur eisdem. — 466-468. Conclusio. — 469. Quid de copula mulieris castratae, si vir vult omni modo copulam exercere et de praxi tenenda Confessarii hoc casu 206-215

CAPUT X.

DE ABRUPTIONE COPULAE

470. Hae quaestiones frequentes sunt in praxi. — 471. An mulier possit se tactibus ad seminationem excitare, si vir, peracta iaculatione, se retrahat, ante mulieris seminationem? — 472. Refutatur Debreyne in

PAG.

hac quaestione. — 473. An vir possit se excitare ad seminandum, si mulier iam seminaverit et se retraxerit, non expectans viri seminationem? — 474. An vir possit se retrahere a seminatione, si uxor iam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi? — 475-476. Distinguendus, in hoc, duplex casus et uterque resolvitur. — 477. An femina graviter peccet se retrahendo, cum vir iam seminaverit? — 478. An vir peccet graviter se retrahendo, post seminationem, non expectando mulieris seminationem? — 479. An femina graviter peccet, si, post copulam, nonnulla facit ad eiiciendum semen? — 480-486. An coniuges graviter peccent, si, incepta copula, impediant seminationem? 216-223

CAPUT XI.

DE FECUNDATIONE MULIERIS ARTIFICIALI

487-488. Historia fecundationis artificialis. — 489. Quomodo fit in praxi. — 490. Quibus rationibus in praxim reducitur aliquando fecundatio artificialis. — 491-492. De illicitate fecundationis artificialis ex S. O. — 493. Quaenam fecundatio artificialis prohibeatur a S. O. . 224-226

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO ECCLESIASTICO

(ACCEDUNT NONNULLA DE HYGIENE TEMPLORUM)

494. Quid *abstinentia* (extra ieiunium). — 495. Quibus diebus viget abstinentia. — 496. Quaenam animalia permittantur et quaenam prohibeantur in abstinentia ex S. Thoma. — 497. Quid in dubio an aliquod animale sit prohibitum. — 498. Ad solvendam quaestionem inspiciendus est et sensus fidelium et iudicium naturalistarum. — 499. Quid de usu *peptonum* in diebus abstinentiae. — 500. De modo obtinendi in praxi peptones. — 501. De natura peptonum. — 502. Usus peptonum est vetitus diebus abstinentiae. — 503. Quale tempus complectitur *ieiunium ecclesiasticum*. — 504. De partibus ieiunii ecclesiastici. — 505. In quo consistit substantialiter. — 506. De quantitate in coenula. — 507. Traditur 1ª regula. — 508-509. Quid si octo unciae ex pane, oleo et sale ebulliantur cum aqua? — 510. Traditur 2ª regula. — 511. Traditur 3ª regula. — 512. Hae regulae non sunt taxativae, sed directivae iuxta varias

PAG.

circumstantias. — 513. Regulae sequendae in dubio de exemptione a ieiunio. — 514. De causis physiologicis excusantibus a ieiunio. — 515. Regula generalis physiologica. — 516. Casus recensentur, quae praecipiunt usum lacticiniorum (non exclusa carne, absque ieiunio). — 517. Casus recensentur, qui praecipiunt usum carnis absque ieiunio. — 518. In nonnullis casibus, in quibus potest observari ieiunium, medicus consulendus. — 519. De hygiene templorum. — 520-527. De aëre templorum. — 528. De aqua benedicta pilarum. — 529. De gratibus confessionalium 227-239

PARS III.

DE IIS, QUAE REFERUNTUR AD GRAVITER AEGROTANTES MORIBUNDOS ET MORTUOS

530. Praenotanda de necessitate Sacerdotis noscendi gravitatem morborum 241-242

CAPUT I.

DE SIGNIS GRAVIBUS VEL SATIS PERICULOSIS, QUAE FREQUENTER OCCURRUNT

531. Gradus febris prae oculis haberi in primis debet. — 532. Qui sint morbi *chronici* et qui *acuti*. — 533. De nonnullis signis febris. — 534. De vi febris relate ad temperaturam. — 535. Quando febris est mortalis. — 536. De periculo vitae ob febrim vehementissimam. — 537. Inspiciendum est tempus, quo perdurat febris. — 538. De diminutionibus febris. — 539. De rapida diminutione febris. — 540. De febri in morbis diuturnis consumptionis. — 541. De relatione pulsationum arteriae radialis cum febri. — 542. De causis, quae immutant eorum numerum. — 543. Quando pulsationes sunt infausti ominis. — 544-545. De pulsationibus parvis in febri et in moribundis. — 546. De pulsationibus intermittentibus et dicroticis. — 547. De signis ex irritatione et depressione nervea. — 548. De symptomatibus ex irritatione. — 549. De symptomatibus ex debilitatione. — 550. De gravibus signis nonnullorum morborum. — 551. De valore horum signorum. — 552. De periculo in gravibus operationibus chirurgicis 243-252

CAPUT II.

DE MORTE

PAG.

553. Quid mors et quando accidit. — 554-555. Conditiones mortis valde variant. — 556. De causis huius variationis. — 557. Quid vita physiologice? — 558. De morte naturali et accidentali. — 559. De ordine, quo moriuntur corporis organa. — 560. De morte reali et apparente. — 561. Est apparens in asphyxia. — 562. In syncope. — 563-567. In catalepsi et letargia. — 568. In comate epileptico. — 569. In cholera. — 570. In fulguratione. — 571. In veneficiis per narcoticas substantias. — 572. Effectus in veneficiis per opiacea. — 573. Ex cannaba indica. — 574-575. De aliis veneficiis. — 576-577. Quae signa vitae in morte apparente. — 578. De signis patefacientibus mortem *apparentem*. — 579. Haec signa separatim sumpta nil valent. — 580. De aliis mediis pro statuenda morte apparente. — 581. De signis mortis *realis*. — 582. De signis *incertis*. — 583. De signis *certis*. — 584. De causis agentibus in putrefactionem. — 585. Praeter putredinem et aliquando rigorem cadavericum nullum est signum certum mortis realis. — 586-599. Vita potest perdurare, quin percipiantur motus cordis; recensentur plura facta, ex DD. medicis. — 600. Quomodo potest persistere vita absque cordis motibus et respiratione? — 601-602. Sententia de hac re doctorum D'Halluin et Blanc. — 603-604. De obiectionibus nonnullorum DD. et Doctoris Icard. — 605. De valore diminutionis temperaturae. — 606. De amissione contractilitatis. — 607. De rigore cadaverico. — 608. De processu pungendi cor. — 609. Signum certum est tantum putrefactio: de causis quae mutant eius adventum 253-274

CAPUT III.

DE MORTE APPARENTE

610. Divisio huius thematis 275

A. — De infantibus vix natis vel nondum natis

611. Casus mortis apparentis infantium frequentissimi sunt. — 612. Formae mortis apparentium, iuxta doctorem Icard. — 613. De forma anemica. — 614. De forma asphyctica seu apoplectica. — 615. De causis formae anemicae. — 616-620. Recensentur nonnulla facta de morte apparente infantium ex DD. medicis. — 621. Processus *tractionis linguae* doctoris Laborde optimus est ad revocandam eorum vitam. — 622. Recensetur factum doctoris Rigáudeaux. — 623. De consequentiis pro baptismo conferendo ex praemissis. — 624. Exponitur processus *tractionis linguae*. 275-280

B. — De adultorum morte apparente

PAG.

625. Vita potest perdurare usque ad putrefactionem. — 626. Probatur *a*) per rationes *metaphysicas*. — 627. *b*) per rationes *physiologicas*. — 628. D.r Blanc distinguit tres casus mortis apparentis. — 629. Mors realis advenit post tempus, quo vulgo putatur aliquis mortuus ex DD. Laborde et Coutenot. — 630. Ad rem sunt conclusiones nonnullae coetus medico-pharmaceutici barcinonensis. — 631-635. Probatur *c*) per facta authentica. — 636. Conclusio. — 637-638. De tempore, quo perdurat vita latens; distinguuntur casus mortis repentinae et mortis per morbos lenti progressus; recensentur facta ex Zacchia et Vesalio. — 639-641. Facta nonnulla traduntur: in *hysteria*. — 642. In *eclampsia*. — 643. In casibus *inhibitionis*. — 644. In *asphyxia*. — 645. In *fulgure*. — 646. In *frigore*. — 647. In *narcotismo* et *ebrietate*, in *concussione cerebrali, congestione* et *haemorrhagia cerebrali*. — 648. In *cholera*. — 649. In *inanitione;* in casibus mortis ordinariae vita citius disparet. — 650-651. Recensentur facta ex DD. Cirera, Coutenot et Ethier. — 652. Conclusio. — 653-656. De morbis repentinis, qui addi possunt morbis lenti progressus. — 657. Conclusio quoad Sacramenta administranda. — 658. In his casibus absolutio danda est conditionate et modo speciali dari debet Extrema Unctio. — 659. De modo administrandi Extremam Unctionem in his casibus. — 660. De tollendo scandalo possibili apud fideles. — 661. De cura mortuorum. — 662. De *conscientia* moribundorum. — 663. Conscientia etiam multos post annos amentiae in periculo mortis ordinarie redit. — 664-667. Recensentur nonnulli casus de persistentia conscientiae etiam cum aegroti apparent fere mortui. — 668. De causis restitutionis conscientiae in fine vitae. — 669. De modo se gerendi Sacerdotis apud moribundum 280-303

APPENDIX

DE RATIONE CONFICIENDI PROCESSUS IN CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII VEL DIREMPTIONIS MATRIMONII RATI ET NON CONSUMMATI

Constitutio Benedicti XIV, qua praescribitur *forma et ordo* in iudiciis causarum matrimonialium servandus 307-314

Instructio S. Congregationis Concilii die 22 Augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus 314-319

PAG.

Instructio Congregationis S. O. in conficiendo processu super viri impotentia et non secuta matrimonii consummatione, accedente Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum Bullae Benedicti XIV « Dei miseratione » 319-321

Instructio S. O. ad Patriarcas, Archiepiscopos, Episcopos Rituum orientalium in causis matrimonialibus adhibenda, probata in Congr. Generali EE. et RR. PP. in rebus fidei inquisitorum generalium feria IV, die 20 Iunii 1883 321-331

Exponuntur nonnullae aliae regulae iuris pro his processibus et traduntur, velut *specimina,* in his conficientibus, tres causae 331-332

Specimen primum 334-391

» alterum 393-448

» tertium 449-498

Notanda de causis in genere in praefata materia 499

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN UTROQUE VOLUMINE CONTINENTUR

(Numerus *romanus* indicat volumen, *arabicus* paragraphum)

Abdomen quid, I, 19.

Abortus quid sit, I, 416; - de abortu obstetrico, I, 417; - in quo consistit abortus et de causis abortus, I, 419, II, 20; - de abortu fetu vivente, I, 449; - principia generalia de abortu, I, 450; - quid de abortu ob reponendum uterum gravidum, I, 452; - de ovis abortivis, II, 20; - de magnitudine ovorum abortivorum in singulis mensibus, II, 21; - de abortu primis tribus vel quatuor mensibus et reliquo tempore, II, 22, 23, 24; - de abortu in primis hebdomadis, II, 25; - de abortu post quartum mensem, II, 26, 27; - omnes fetus abortivi sunt baptizandi, dummodo non prae se ferant *progressam* putrefactionem, II, 28, 611; - quomodo baptizandus fetus, si in abortu eiicitur membranis involutus, II, 29; abortus ob syphilidem parentum, II, 422; - praedispositio ad abort. II, 394; - abortus facilis in aliquibus mulier., II, 393; - abortus ob causas externas, II, 396.

Abruptio copulae (varii casus) II, 470-486.

Absentia penis, I, 284 et II, 243; - testium, I, 287 et II, 248; - testium in scroto, I, 288; - vaginae, I, 296; - uteri, I, 300; - uteri et vaginae, ib., 302; - ovariorum, I, 306; - desiderii sexualis, II, 234-242; - erectionis et introductionis in vaginam, II, 234; - iaculationis, ib.; (vide *impotentia*); - curae genitalis, I, 534.

Absolutio in casu praegnantis ex crimine, nemine sciente, ad peragendam operationem pro fetu baptizando, II, 41; - in morte apparente danda est conditionate, donec certa non sit mors realis, II, 657; - in his casibus praecipue danda extrema Unctio, II, 658; - quomodo danda absolutio in extremis, II, 669.

Absorptio, quid, I, 42; - quomodo fit, eius organa, ciborum, ib.

Abstinentia extra ieiunium, quid, II, 494; - quibus diebus viget, II, 495; - quae animalia permittuntur in abstinentia, II, 495; - quid in dubio de natura animalis, ib., 497; - de regula noscendi animalia permissa et prohibita, ib., 498; - peptones non licent diebus abstinentiae, II, 499-502.

Acardiacum monstrum quid, I, 314; - utrum et quando baptizandum, II, 32.

Acida adipata, quid, I, 43; - vaginae occidunt nemaspermata, I, 215; II, 303 et nota.
Acidum carbonicum in sanguine, I, 52; - in respiratione, ib., 81.
Adipes quid, I, 24; - immutantur per succum pancreaticum, ib., 41; - quomodo absorbeantur, ib., 42 d.; - ubi servantur, ib., 110.
Aegrotorum cura parocho summopere curae esse debet, II, 330; - qui excusentur a ieiunio, II, 515-518.
Aequatio organica, quid, I, 113.
Aequivalentes epileptici, I, 351.
Aetas physiologica requisita pro contrahendo matrimonio, pro viro, II, 361; - pro femina, ib., 358-360.
Aër templorum renovandus, II, 520-527.
Albuminoida corpora, quid, I, 24; - quomodo absorbeantur, ib., 42; - quomodo serventur in organismo, ib., 110.
Alcoolismus, quid, I, 455-457; - causae, ib., 458; - damna quoad salutem, ib., 459-465; - alcoolismus acutus et chronicus, ib., 467-468; - remedia, ib., 469-470; - nocet filiis, II, 466.
Alopecia syphilitica, II, 412.
Amnios (membrana) et liquidum amnioticum, quid, I, 238.
Amylum quid, I, 24; immutatur per salivam, ib., 38; - per succum entericum et pancreas, ib., 41; - immutatum quomodo absorbeatur, ib. 42, b.
Anaphrodisia (= impotentia psychica, = absentia desiderii sexualis) II, 235; - eius constantes characteres absunt, ib., 336; - in quibus notatur, ib., 237; - naturalis, ib., 239-240; - acquisita, eiusque causae, ib., 241.
Anatomia quid, I, 15.
Androgynia (hermaphrodita), I, 267-268.
Animalia quae censenda licita, quae illicita diebus abstinentiae et ieiunii II, 495; - regulae ad haec discernenda, ibid., 488; - quid in dubio, II, 497.
Animatio fetus iuxta veteres philosophos, I, 253; - fit in primo instanti conceptionis, ib., 254-257; - assentitur embryologia, ib., 258; - obiectiones contrariae refelluntur, acceptae ex embryologia et hystologia, ib., 259-262; - de sententia d. Thomae, ex Zacchia, ib., 255 (nota).
Anomaliae in organis generationis in *viro:* absentia penis, I, 284; - epispadia, ib., 285; - hypospadia, ib., 286; - anorchidia, ib., 287; - cryptorchidia, ib., 288; - atrophia testiculorum, ib., 289; - penis duplex, seu bifurcatus ib., 290; - excessivus circuitus penis, ib., 291; - phimosis et paraphimosis, ib., 292; - nimia exiguitas penis, ib., 293; - nimia longitudo penis, ib., 294; - in *muliere:* absentia vaginae, ib., 296; - communicationes anormales vaginae, ib., 297 et 304; - imperforatio hymenis, ib., 298; - absentia uteri, ib., 300; - prolapsus uteri, ib., 301; - absentia congenita uteri et vaginae, ib., 302; - imperforatio uteri, ib., 303; - duplex vagina et duplex uterus, ib., 305; - absentia utriusque ovarii, ib., 306.
Anorchidia inducit impotentiam, II, 248; - quid, I, 287.
Antiflexio uteri, causa sterilitatis II, 299.
Antiversio uteri, causa sterilitatis, II, 299.
Aorta (arteria) quid, et eiusdem potiores rami I, 55.
Aponeuroses quid, I, 124, et 8.
Apparatus quid, I, 16.
Aqua (in baptismo): materia remota, II, 2; - dubia, ib., 3; - invalida, ib., 4; - licita extra necessitatem, ib., 5; - in necessitate, ib., 6; - aqua benedicta pilarum quomodo custodienda, II, 528.
Arbor vitae, quid, I, 156.
Arctitudo mulieris, II, 266-267.
Arcus reflexus, quid, I, 166; - aorticus, ib., 55; - organi corti, ib., 134, c.
Arteriae: aorta, carotidae, iliacae, pulmonares, etc., I, 55; - umbilicares, I, 238.

Articulationes, quid, I, 123.
Artus, quid, I, 17 et 20.
Aspermatismus causa sterilitatis, II, 281-290; - psychicus, et debilitationis nerveae, ib., 291.
Asphyxia infantium vix natorum, II, 612-616; - removeri potest per tractionem linguae doctoris Laborde, II, 621; - asphyxia quid, II, 561.
Assimilatio quid, I, 111.
Atrophia testiculorum, I, 289; - adducit impotentiam, II, 248; - ob syphilidem, II, 419.
Auditivus seu acusticus nervus, I, 135 et 161, (8).
Auditus organa, I, 131-135; - eius physiologia, ib., 136; - diu persistit in moribundis, II, 559, 666-667; - oportet ea persistentia uti in momento mortis, II, 669.
Auris externa, media, interna, I, 132-134.
Azoospermatismus, quid, II, 281; - eius causae, ib., 282; - causa sterilitatis, ib., 286.
Azotus in respiratione, I, 81; - in cibis, ib., 24; - in sanguine, ib., 52.
Bacteria phthysis, II, 426.
Baptismus necessarius ad salutem, II, 1; materia valida, dubia, invalida, ib., 2-4; licita in necessitate et extra necessitatem, proxima, forma etc., ib., 5-9; uterinus dubius, quomodo conferatur etc. ib., 11-19; - abortivorum, ib., 20-29; - monstrorum ib., 30-39; - privatus, ib., 40; - quid de fetu concepto ex crimine noto tantum in confessione matris moribundae, ib., 41, (Cfr. *abortus, absolutio*); - in funiculo umbilicari illicitus et invalidus ib., 18.
Bestialitas quid, I, 645; - activa, passiva, ib.; - quid in confessione, 647; - in foro poenali, ib., 648.
Bifurcatio penis, I, 290.
Biles quid, I, 32 et 34; - eius officium, ib., 41.
Biologia quid, eius divisiones, I, 15.
Blenorrhagia, causa sterilitatis, II, 82.
Bronchia quid, I, 78-79.
Bulbus rachidicus, quid, I, 154; - eius officia, ib., 176.
Caduca serotina, vera, I, 238.
Caliditas nimia quoad impotentiam, II, 250.
Calor animalis, quid, I, 85-86; - eius genesis et moderatores, ib., 87-88; quibus nervis subiacet, ib., 89; eius quantitas, ib., 86.
Canalis spinalis, quid, I, 19; - canalis thoracicus, I, 70 et 45; - canales deferentes, quid, I, 189; can. iaculatorii, quid, I, 191; - can. uretrae, ib.
Cantus, quid, I, 146.
Capsulae suprarenales, I, 107.
Capsula Glisson, I, 33.
Caput (ossa) I, 119; - quae organa comprehendit, ib., 18.
Cardias quid, I, 27.
Cartilagineum textum, I, 9 (e).
Cartilagines laryngis, I, 76.
Carunculae myrtiformes, quid, eorum origo, I, 199.
Castigatio corporis, I, 492-501.
Castrati qui dicuntur, I, 287; - eorum characteres, ib.
Cellulae quid, I, 2; - partes cellularum, ibid.; 3-5; - earum functiones, ib., 6.
Centra nervea, quid, I, 172; - c. n. medullae spinalis, ib., 173; - c. n. bulbi rachidici, ibid., 176; - centra psychomotoria et psycho-sensitiva, ib., 181; - sexualia, I, 173 et 510; - centrum motus loquelae, ib., 181; - centrum respirationis, ib., 83; - cordis ib., 63.
Cephalotripsia, **cephalotomia** quid, I, 422.
Cerebellum, eius structura, I, 156; - eius physiologia, ib., 180.
Cerebrum quid, eius structura, I, 157; - eius physiologia, ib., 181; - eius cortex, pars alba, ib., 157.
Cibi qui, I, 24; - quoad originem, con-

sistentiam, vim nutriendi, ib.; - cibi azotati, ib.

Chylificatio, chylus, I, 41; - vasa chylifera, I, 70.

Chymificatio, quid, I, 40; - **clymus,** ib.

Circuitus excessivus penis, I, 291.

Circulatio (sanguinis) quid, I, 48; - quomodo fit, ib., 18; - in corde, ib., 64; - in arteriis, ib., 65; - in capillaribus, ib., 66; - in venis, ib., 67; - pulmonaris, ib., 68; eius historia, ib., 72; - magna circulatio, ib., 48; - parva circulatio, ib., 69; - circulatio lymphae, ib. 69 et 71.

Cystifellea quid, I, 33.

Chorea quid, quoad vitia sexualia I, 566.

Clitoris quid, I, 200; eius anomaliae quoad vitia sexualia, ib., 536.

Coelibatus ecclesiasticus differt toto coelo a coelibatu mundi, I, 686-688; - hystoria in Ecclesia latina, ib., 689; - in Ecclesia orientali, ib., 691; - ordo sacer *suadetur* ex S. Scriptura fuisse impedim. prohibens matrimonium, ib., 692-693; - apud latinos semper observatus fuit, ib., 694; - quoad subdiaconos non semper fuit ita apud occidentales, ib., 695; - lex coelibatus facta fuit impedim. dirimens, ib., 696; - quid de hoc apud orientales, ib., 697-698; - continentia necessaria est statui ecclesiastico, ib., 699; - obiectiones variae, ib., 700-711.

Colletto (dentium), I, 37.

Colostrum quid, I, 241.

Columna vertebralis ad truncum spectat, I, 120 et 19.

Coma epilepticus, quid et mors apparens, II, 568.

Combustio chemica quid, I, 82.

Commanducatus quid, I, 37.

Consanguineitas, effectus in matrimonio, II, 364; - causae horum effectuum, ib., 365; - dirimit matrim. indefinite in linea recta et usque ad quartum gradum inclusive in linea obliqua, ib., 366.

Conscientia moribundi diu persistit, etsi omnibus externis manifestationibus destituti, II, 662-668; - quomodo absolvendi in hoc statu, ib., 669.

Consonantes sunt elementa loquelae, quomodo distinguuntur, I, 146.

Constitutio Benedicti XIV in causis matrimonialibus, II, pag. 307-314.

Consummare matrim. est exercere copulam aptam ad generandum ex iure naturae, II, 45-50; - ex iure canonico, ib., 51-55; - ex doctrina Aa. ecclesiasticorum, ib., 56-106.

Conditio diversa in nupturientibus, II, 367.

Copula quid, I, 211; - eius physiologia, ibi, 212; - cum mortua, ib., 649; - cum statuis, ib., 650; - cum bestiis, ib., 645-648; - pro valore matrimonii debet esse apta ad generandum ex iure naturae, II, 109; - ex doctrina Ecclesiae, ib., 110; - cui consonant omnes Aa. ecclesiastici, ib., 111-122; - ex Const. Sixti V contra eunuchos, ib., 123-127; - ex doctrina certa Aa., ib., 128-166; - quae per se apta ad generandum, II, 100-104; - ne sit impotentia, scil quae physiologica, pro viro, II, 234; - pro femina, ib., 259; - V. *Usus matrimonii.*

Cor quid, structura etc., I, 53; - de circulatione in eo, ib., 64; de eius nervis, ib., 63.

Cornea (oculi), I, 138; - macula nigra, II, 582.

Corpora cavernosa (membri), I, 192.

Corpus Hygmori, quid, I, 186.

Corti (organum auris internae) I, 134.

Craniotomia quid, I, 422.

Cryptorchidia I, 288.

Dartos (scroti), I, 186.

Decalogi (de sexto praecept.) notiones generales, I, 502-517; - causae externae (mala exempla, otium, solitudo,

natura ciborum, anni tempora, confessar. praxis, etc.), I, 518-531; - causae internae, ibid., 532; - causae locales, ib., 533-540.
Defoecatio, quid, I, 44.
Deglutitio, quid, I, 39.
Desassimilatio, quid et quomodo fit, I, 112 et ss.
Diaphragma, quid, I, 19.
Diastoles (cordis), I, 64.
Digestio stomachalis, I; 40; intestinalis, ib., 41; - eius historia, ib., 45 (nota).
Distillatio (in *viro*) quid, I, 667; - de re eius morali, ib., 668-670; I, in *femina*; quid, eius genesis, I, 671-673; - diurna, quid, ib., 674; - de eius re morali, ib., 675; - nocturna, ib., 676; - non confundenda cum leuchorrhea et blenorrhagia; horum malor characteres, ib., 677-678; - ob pruritum sedandum, ib., 679; - quomodo dignoscitur huius causa libidinosa, ib., 680.
Ebrietas ducit mortem apparent. I, 647.
Eclampsia puerperali (in) mors apparens, I, 642; - et abortus ib., 451, 4°.
Elephantiasis magnor. labior. causa impotent. II, 261; - penis, ib. 291.
Embryologia prima evolutio ovuli fecundati, I, 225-226.
Embryotomia, quid, I, 420, 422; - illicita, ib., 439-440; - quoad praxim, ib., 443.
Embryulcia, quid, I, 422.
Encephalum, quid, I, 153-158.
Endocardion quid, I, 53.
Epidydimus, quid, I, 186.
Epidydimites cronica, causa sterilitatis, II, 284.
Epilepsia, I, 550-551.
Epispadia, quid, I, 285.
Epithelium eiusque varietates. I, 8.
Esophagus, quid, eius structura, I, 19 et 26.
Etiologia, quid, I, 15.
Evisceratio, quid, I, 422.
Evolutio organorum generationis in utroque sexu, II, 312-318.
Eunuchi, qui, I, 287; - contrahunt invalide, II, 124-126; quando possunt coire, I, 287.
Excretiones, quid, I, 91-100.
Expiratio, quid, I, 80.
Extremitates superiores et inferiores, I, 17, 20; earum ossa, ib., 121.
Febris a lacte, quid, I, 241; quid febris, II, 533; - ex thermometro medico mensuranda, ib., 534; - de relatione febris cum morbis, ib., 535-540; - et pulsu, ib., 541-542; - et periculo mortis, ib., 543-545.
Fecundatio in quo consistit, I, 225 et ss; - non requiritur ad eam erectio genitalium, nec penetratio penis, nec iaculatio in vaginam, I, 213; - ubi fit, ib., 216 et ss.; - de tempore meliore ad fecundationem, ib., 219 et ss.; - fecundatio artificialis, quid, ib., 228 et II, 487-490; - fecundatio multipla, I, 229; - quid de liceitate fecundationis artificialis mulieris, II, 491-493.
Fetus uterini, extrauterini seu ectopici, qui, I, 237; - quando viabilis, ib., 417; - membranae, ib., 238-239.
Fibrae sensitivae, I, 171; - f. motrices, ib.; nerveae, ib., 13; - musculares, striatae, laeves, ib., 10; - systematis « simpatico » ib., 182.
Flagellatio corporis, quid et quomodo facienda, I, 497-499.
Fluores albi, quid, I, 202.
Functiones hominis quae, I, 21.
Funis umbilicaris, quid, I, 238; - v. *Baptismus*.
Ganglia lymphatica, quae, I, 69.
Gasparri, refutatur eius doctrina de impotentia et sterilitate, II, 175-204; 102-104 et 109, nota.
Gastrotomia (in partu), I, 435; - pro fetibus ectopicis, ib., 447.
Glandulae, quid, I, 8 et 19, (nota); - pepsicae et mucosae stomachi, ib., 27; - Lieberkühn et Brunner, ib., 29-30; - salivares, I, 38; - sudoripa-

rae, ib., 98; - sebatae, I, 98; - Cooper, I, 194; - prostatae, ib., 193; - Bartolinii, ib., 220; - hepatis, ib., 33; - pancreas, ib., 35; - cum secretione interna, ib., 102-108; - recrementitiae, excrementitiae, ib., 90.

Glans (membri), quid, I, 192; - eius officium, ib., 212.

Globuli rubri (haematiae), I, 49; - albi. (leucociti), ib., 50; - horum numerus relate ad rubros, ib., 49.

Glotta, quid, I, 144; est organum vocis, ib., 145.

Grates confessionalium quomodo servandae, II, 529.

Gustus (organ., physiolog.), I, 128.

Gynandria (hermaphrodita), I, 267 et 269.

Helix (auris internae) I, 134.

Hemisphaeria cerebralia, I, 157; - cerebellaria, ib., 156; eorum officia, ib., 180-181.

Haemorrhagia (periculum), II, 550; - et mors apparens, ib., 647; - in abortu, ib., 24.

Hepar, quid, ubi iacet, I, 19; - eius structura, ib., 33; - producit bilem, ib., 34 et 41; de ceteris eius officiis, ib., 103.

Haereditas in matrim., II, 328; - directa, indirecta, retroactiva, ex influentia, ib., 329; - physiologica, morbida, ib., 330; - causae, ib., 331; - structurae, ib., 334; - polysarciae, ib., 335; - anomaliarum corporis, ib., 336; - mutilationis accident., ib., 337; - temperamentorum, ib., 341; - roboris, ib., 340; - longaevitatis, ib., 342; - visionis et auditus, ib., 344; - morborum, ib., 345; - syphilidis, ib., 346-347; - scrophulae. ib., 348; - phthisis seu tuberculosis, ib., 349-352; - cancri, ib., 353; - morborum nervosorum, ib., 354; - intelligentiae et bonar. qualitatum, ib., 355; - conatuum ad crimina, ib., 356; - maximi momenti est pro matrim. contrahendo, ib., 357.

Hermaphrodita, qui, I, 266; - hermaphroditae saepe valde libidinosi, I, 282 et II, 326; - eorum matrimonia, II, 321-323 et 325.

Hermaphroditismus, et hermaphrodita, quid, I, 266; - neuter, ib., 270; - bilateralis, alternantis, unilateralis, ib. - complicationes, ib., 270; - signa ad illum noscendum, ib., 273, 279-281; - hermaphroditis, internus, ib., 275; - externus, ib., 276; - masculinus, ib., 277; - femineus, ib., 278; - status psychicus, ib., 282; - de ratione embryologica hermaphroditismi, II, 312-318; - implicatior evadit ob hypospadiam, II, 320; - haereditas hermaphr. non satis constat, II, 324.

Hydropisia (eius gravitas), II, 549-550.;

Hygienes, quid, I, 15.

Hygmori corpus, quid, I, 186.

Hymen, quid, I, 199; - eius laceratio non semper indicat virginitatis amissionem, ibid.; imperforatus, ib., 298; dentatus vel fimbriatus, ib., 199; - eius integritas aliquando est adhuc in partu, ib., et nota; quoad impotentiam, II, 262.

Hypocondria, quid, et relate ad vitia sexualia I, 567.

Hypnotismus clinicus, quid, I, 360-361; - eius genesis, ib., 362; - eius phases (letargia, catalepsis, somnambulismus) ib., 364; - eius phaenomena, ib., 365-372; - eius damna, ib., 374; - eius bona, ib., 375; - eius natura, 376-413; - aliquando est licitus, ib., 414; - conditiones ad hoc requisitae, ib., 415.

Hypospadia, quid, I, 286.

Hysteria quid, causae, I, 552; - diagnosis, ib., 553; - symptomata, ib., 554; characteres morales, ib., 555 et 558-560; - eius paralyses, ib. 556; - eius accessus magni, ib., 561-562; - vita sexualis in hysteria, ib., 563; - quomodo tractandi in Confessione hysterici, ib., 565; - mors apparens in

hysteria, II. 639; saepe non curatur per matrimonium, I, 558, not. 1.

Ictus cordis, quid, I, 68.

Imperforatio, hymenis, I, 298.

Impotentia, quid, II, 168; - distinguitur a sterilitate, ib., 167, 169-170 - v. *Gasparri* et *Oietti;* - quomodo dividitur ratione, originis, II, 222; - ratione temporis, ib., 223; - ratione matrim. ib. 224; - ratione modi existentiae, ib., 225; - principia, ib., 226-233; - ne sit in *viro* quid requiritur, ib., 234; - psychica, ib., 235-241; - ex anomaliis membri, ib., 242-247; - ex anomaliis testium, ib., 248; - ex nevrasthenia genitali, ib., 249; - ex nimia caliditate, ib., 250; - quid si semen emissum in vulva, permeat uterum et inducat fecundationem, ib., 251-258; - quando habetur in *muliere*, ib., 259; in absentia vulvae, ib., 260; - in hypertrophia labiorum, ib., 261; - in anomaliis hymenis, ib. 262; - in absentia vaginae, ib., 263; - in anomaliis ostii vaginalis, ib., 264-265; - in arctitudine, ib., 266; - in anomaliis uteri, ib., 268-275; - in anomaliis oviductuum, ib., 277; - in absentia ovariorum, ib., 278; - in atrophia ovariorum, ib., 279; - in vaginismo, ib., 280 et I, 299.

Inspiratio, quid, I, 80.

Intestina, ubi iacent, I, 19; - eorum divisiones, ib., 28.

Instructio S. C. C. pro conficiendis processibus in causis matrimon., II, pag. 314-319; - Congr. S. O. ad eumdem finem, ib., pag. 319-321; - alia pro Ecclesiis Orientalibus, ib., pag. 322-331.

Irrumatio, quale peccatum, I, 629; - eius horror, ib., - valde frequens, ib., 630; - causae, ib., 631; - effectus pessimi in utroque sexu, ib., 632-633; distinguitur a sodomia, ib., 634.

Ieiunium ecclesiastic. quae tempora comprehendit, II, 503; - quae partes, ib., 504; - eius substantia, ib., 505; - regulae pro coenula, ib., 507-511; - hae regulae sunt tantum normae, ib., 512; - regulae in dubio de exemptione, ib., 513; - causae excusantes, ib., 514; - regula physiologica prae oculis habenda ad excusandum, ib., 515; - casus practici, qui excusantur, ib., 516-518.

Labia magna, parva, I, 200; hypertrophia labiorum causa impotentiae, II, 261.

Lac, quid, quomodo conficitur, I, 479-482.

Lactatio infantium debet esse materna, I, 483-485; - causae prohibentes, ib., 486; - artificialis, ib., 499; - venalis nutricum, ib., 489; - causae excusantes, ib., 491.

Laparatomia (in partu), I, 435. (vid. *Gastrotomia).*

Larynx, quid, I, 144; - eius musculi, ib., eius cartilagines, ib., 76 (v. *vox, vocales).*

Lithopedion, quid, I, 247.

Lympha, quid, I, 69; - eius elementa, ib.; motus et officium, ib., 71.

Lymphaticum, temperamentum, v. *temperamenta.*

Locomotio, quid, I, 155; - eius organa, ib., 116-125.

Mansturbatio, eius malitia, I, 588-590; quomodo fit, ib., 591; - est peccatum grave, ib., 592; - eius signa, ib., 593; - in *viro* 594-596; - damna in infantia, ib., 597; - in adolescentia, ib., 598-605; - in virilitate, ib., 606; - in senectute, ib., 607; - in *femina*, ib., 608; - signa, ib., 609-610; damna, ib., 611-612; - cura, ib., 613-620; - mansturbatio per obiecta; quid, ib., 621-622; - effectus pessimi in *viro,* ib., 623-625; - in *femina,* ib., 626-628; - affert anaphrodisiam II, 241. nota.

Matrimonium hermaphroditarum, II, 321-325; - quando contrahi potest post syphilidem, ib., 424-425. (v. *Copula, Impotentia, usus matrim. etc.*).

Matrix, v. *uterus.*
Meatus urinarius (in femina), I, 200.
Mechanisma inhibentia, I, 167.
Medulla spinalis, I, 150; - eius meninges, ib., 151; - centra, ib., 173; - officium, ib., 174-175; - ossium, ib., 9.
Membranae fetus, I, 238-239.
Membrum virile, I, 192. (v. *absentia, anomaliae, impotentia).*
Meninges, spinales, I, 151; - encephalicae, ib., 158.
Menopausa quid, I, 206; - eius tempus medium, ib.
Menses (muliebres), v. *menstrua.*
Menstrua (menses, molimina menstrualia etc.), I, 202-203; - quoad salutem, ib., 207; - quantitas, ib., 204; - prima menstrua, ib., 205; - extraordinaria, ib., 209; - absentia menstrui potest esse cum capacitate fecundationis, ib., 210; - characteres morales tempore menstrui et menopausae, ib., 208.
Molae carneae, sanguineae, II, 22.
Morbi, qui acuti et qui chronici, II, 531-532; - signa gravia ex irritatione nervorum, ib., 548; - ex debilitatione, ib., 549; - signa gravia vel gravissima in periculo mortis, ib., 550-551; - qui secumferunt mortem apparentem, ib., 560-576.
Monstra, quid, I, 307; - acrania, ib., 308; - cyclopia, ib., 309; - *polydactilia*, ib., 310; - améla, ib., 311; - phocoméla, ib., 312; - sympodia, ib., 313; - acardiaca, ib., 314; - hydrocephalia, ib., 315; - *duplicia*, ib., 316-317; - duplic. aequalia (syncephalia), ib., 318; - thoracopaga, ib., 319; - (diprosopha, ischiopaga), ib., 320; - id (craniopaga, pygopaga), ib., 321; - duplic. inaequalia seu parasitaria (epigastria, engastria, papiracea, epipygia, epignatia, tricephalia, triplicia), ib., 322; - in tricephalia, ib., 323, (v. *Baptismus*).
Morphina, *morphinomania* quid, I, 471-473; - causae, ib., 474-475; - damna, ib., 476; - cura, 477-478.
Mors, quid, II, 553: - eius modi seu circumstantiae, ib., 554; et ss.; - naturalis, accidentalis, ib., 558; - in morte organa gradatim moriuntur, ib., 559; - realis, apparens, ib., 560; - est apparens in morbis repentinis, ib., 565-636; - in infantibus, ib., 611-624; - alii casus mortis apparentis, ib. 627-649.
Motus organa, I, 116-125; - motus reflexi seu involuntarii, ib , 166.
Mucosa reflexa, I, 238; - mucosa, quid, ib., 8.
Musculi, eorumque officium I, 124-125,
Nares, I, 129.
Necrophilia, quid, eius horror etc. I, 649.
Nemaspermata, quid, eorum genesis, I, 186; - officium, ib, 225-227; - velocitas motus, ib., 217-218. (v. *Aspermatismus, Azoospermatismus*).
Nervenm, textum, I, 11.
Nervi encephalici seu calvae, I, 161; n. spinales ib., 162; nervi quid, ib., 159; - n. motores et sensitivi, ib., 165 et 171; intercentrales, ib., 166; eorum proprietates ib., 168-170.
Nervorum systema, quid, I, 148; - physiologia, ib., 164-182.
Nymphomania, quid, causa vitiorum de sexto, I, 547.
Oculi globi, eorum partes essentiales I, 138; partes accessoriae, ib., 139; - physiologia, ib., 140.
Odor sexualis, quid, I, 139 (nota).
Odoratus, v. *olfactus.*
Ojettí P., refutatur eius doctrina de impotentia II, 205-220.
Organa lymphoida, quid, I, 72.
Ossa, v. *sceletus*; - auris mediae I, 133.
Olfactus (organa, physiologia), I, 129.
Onanismus coniugalis, quid, I, 573; - modi, ib., 574; - eius causae, ib., 575; - effectus metho'or., ib., 576-577; - effectus quoad valetudinem,

ib., 578-580; - remedia, 581; - quando potest permitti, ib., 583-586; quid si mulier timet mortem ob praecedentia facta, ib., 587; - fert etiam sterilitatem, II, 308.

Operatio porrensis, quid, I, 434; quando licita et quando illicita, ib., 442; - caesarea non decet presbyteris, ib., 445.

Operationes chirurgicae partus, I, 420; et ss.

Osmosis, quid, I, 42.

Ovaria, quid, I, 196; - conficiunt ovula, ib.; absentia, ib. 306; - eorum absentia quoad impotentiam, II, 278; v. *anomaliae, impotentia.*

Ovulatio, quid, I, 201; - et menstrua, I, 203.

Ovulum (feminae) quid, eius natura, officium etc , I, 196; - dimensiones in variis praegnationis mensibus, II, 21; - eius decisio relate ad menstrua, I, 202-203; v. *fecundatio,*

Oxygenum (necessarium ad respirationem), I, 81 et 84; - in sanguine, ib. 52: - in cibis, ib. 24.

Pancreas, quid et ubi iacet, I, 19; - eius officium, ib. 35-36 et 104.

Paralysis progressiva dementium, I, 549; - hystericae, ib., 556.

Paranoia, quid, characteres, I, 564; - quomodo tractandi in Confessione paranoia affecti, ib., 565.

Paraphimosis, I, 292.

Partus, quid, I, 241; - praematurus, ib., 417; - caesareus, ib., 424-433; - p. praematurus artificialis quando licitus et quando illicitus, ib., 447-448.

Pathologia, quid, I, 15.

Pectus, quibus partibus constituitur, I, 19.

Pedunculа cerebralia et cerebellaria, I, 155-156; - physiologia pedunculor. cerebral. ib. 178.

Pellis, structura, I, 98; - productiones (pili, ungues), ib. 99; - aliae functiones, ib. 100.

Penis nimis exiguus, I, 293; - nimis longus, ib., 294; - bifurcatus ib. 290; excessivus eius circuitus, ib. 291; - absentia, ib 284.

Pelviotomia (in partu), quid, I, 436.

Pericardium, quid, I, 53.

Peritoneum, quid, I, 19.

Permutationes gasosae in pulmonibus ob respirationem, I, 82.

Placenta, quid, I, 238; - praevia, II, 26.

Plasma (sanguinis), I, 51; eius gas, ib. 52.

Pleura, quid, I, 19, et 76.

Plexus nervei qui, I, 162, 163.

Phimosis, quid I, 292.

Phonatio, quid, I, 144 et ss.

Physiologia, quid I, 15.

Phthisis pulmonaris (causa vitior. de sexto) I, 542 (v. *usus, haereditas*).

Pollutio quid I, 651; - physiologica (activa, nocturna) ib., 653-654; causae ib., 655; - involuntaria ib. 656-659; - media hygienica ib. 650; - ad eas imminuendas adire mulieres ex consilio medico grave est, ib. 661; - passiva seu diurna, ib. 662; - quomodo tractandi his pollut. laborantes ib. 663-664; - cura hygienica et medica ib. 665; ad diagnosim illicitum est voluntarie expellere semen, ib., 666.

Porta vena, I, 42 et 62.

Pregnatio uterina, quid, I, 237 et ss.; eius indicia, ib. 242, 243; - praeg. extrauterina ib. 244 et 422 (*g*); huius progressus, ib. 247; - ut haec sit, supponit uterum ib. 246; - praeg. falsa, ib. 249; - imaginaria ib. 250; - quid de operationibus in praegn. extrauterinis, ib. 453.

Praeputium, quid, I, 192; - eius smegma, ib.

Processus matrimonialis, quae normae sequendae, II, pag. 307-331.

Priapismus, quid, causa vitior. de sexto 1, 545.

Prostata, quid I, 193.

Pruritus vulvaris, quid I, 682; - eius cura, ib. 683.

Pubertas quando incipit in viro I, 188 et 361; - in muliere ib. 205 et 364; - cura confessarii hoc tempore II, 362.
Puerperium tempus, I, 241 (v. *usus matrim.*
Pulmones, quid I, 19; eorum structura ib. 79.
Pylorus, quid I, 27.
Regulae (muliebres) v. **menstrua.**
Renes, quid, I, 19, et 92.
Respiratio, in quo consistit, I, 73; eius historia, ib. 83 - apparatus, ib. 74; - eius phenomena mechanica, ib. 80; - chemica, ib. 81; - permutationes gasosae. ib. 82; centrum nerveum praecip. ib. 83; - higienes, ib. 84.
Responsio S. O. circa impotentiam et sterilitat. II, 171-173.
Revolutio cardiaca, quid, I, 64.
Rumores cardiaci, quid, I, 64.
Sacramenta Poenitentiae et extremae Unctionis in morte apparente II, 658 et ss.
Salivatio, Saliva quid, I, 38.
Sanguis, eius compositio etc. I, 49-52; - menstruus, ib, 202; textum ib., 14.
Satyriasis, quid, causa vitior. de sexto, I, 546.
Sceletus, (ossa) I, 118-121.
Schenk (hypothesis de sexu), I, 235-236.
Scrotum, quid, I, 186.
Secretiones, quid, I, 90; - pellis, ib. 98; - lactis, ib. 101.
Secundinae, quid, I, 241.
Semen, sperma quid, I, 187.
Seminatio (iaculatio) feminea quid, I, 214.
Sensibilitas, I, 126.
Sensus (organa); v. singulos sensus.
Sexus infantium (de causis) I, 232-236.
Sfenotripsia, quid, I, 422.
Sfincteria, quid, I, 125.
Signa (mortis apparentis) II, 578 et ss.; mortis realis, ibid. 581; - incerta, ib. 582; - certa 588, 584; critices horum signorum, ib. 585-608; signum certum est tantum putrefactio, ib. 609; - hermaphroditismi I, 273 et ss. - eunuchorum I, 287; - praegnationis, ib. 242-243.
Smegma (praeputii) I, 192; - mulierum, ib. 200, not.
Sodomia, quale peccatum I, 635; - perfecta, imperfecta, frequentissima, ib.; - inter feminas, ib., 636; inter viros (paederastia) 637-640; - affert anaphrodisiam, II, 241, nota; - inter diversum sexum, I, 641; - effectus pessimi, ib., 642; - inter ubera, ib., 643; quid de huius peccati confessione, ib., 644.
Specimina causarum matrimonialium apud tribun. ecclesiasticum II, pag. 333 et ss.
Sperma, quid, v. *Semen.*
Splen, I, 19; est glandula vascularis ib., 105.
Spiritismus, eius natura, facta, consequentiae etc. I, 343-359.
Sterilitas, quid II, 167-281; - v. *Gasparri, Ojetti;* - in *viro* habetur; in blenorrhagia, ib., 282; - in syphilide, ib., 288; - in orchite et epidydimite chronica, ib., 284; - in tumoribus et tubercolosi testium, ibid., 285; - in anomaliis seminis, ib., 286; - in coitu nimis frequente, ib., 287; - in anomaliis humorum prostatae et aliorum canalium, ib., 288; - in semine aquoso et colloide, ib., 289; - in aspermatismo, ib., 290; - psychica et debilitatio nervea, ib. 291; - in *muliere:* quae sit sterilis, ib., 292; - in oophorite, ib., 293; - in inflammationibus organor. internor., ib., 294, - in anomaliis tubae et tumoribus ovariorum., ib. 294-296; - in salpingite, ib., 297; - in anomaliis uteri, ib., 298-299; - in tumoribus uteri, ib., 300; - in nonnullis lacerationibus, ib., 301; - in angustia vaginae et eius prolapsu, ib., 302; - in vaginite purulenta, ib., 303; - in diabete, ib., 304; - in

phthisi pulmonari et tubercolosi genitalium, ib., 305-306; - in obesitate, ib., 307; - in onanismo coniugali et aliis causis, ib., 308.

Stomachus, ubi iacet, I, 19 et 27.

Subtractio, cibi (ad castigandum corpus) I, 501.

Sudor, quid, I, 98.

Superfecundatio, quid I, 230.

Superfetatio, quid I, 231.

Symphiseotomia, quid I, 424.

Sympatico (systema nervorum) I, 163; - eius physiologia ib. 182.

Systoles, (cordis) I, 64.

Tactus, (organa, physiologia) I, 127.

Temperamenta, quid I, 324; - eorum momenta, studium, divisio, ib., 325-329; - nerveum ib., 331-332; - eroticum, ib., 333; - biliare, ib., 334-335; - melancholicum, ib. 336-337; - sanguineum, ib., 338-340; - lymphaticum, ib., 341-342.

Terapia, quid I, 15.

Teratologia, quid I, 263; - eius causae ib., 264.

Testes seu testiculi, structura, conficiunt semen I, 186; - eorum ectopia ib.

Testes septimae manus II, pag. 316.

Testiculi, v. *testes;* - contusi, I, 289.

Texta quid, I, 7; - textum hepitheliare, ib. 8; - connectivum, ib. 9; - musculare, ib. 10; - nerveum, ib. 11.

Thymus, quid, officium, I, 106.

Tonus muscularis, quid, I, 180.

Trachea, quid, I, 19 et 77.

Truncus, quid et eius partes I, 19; - ossa I, 120.

Tubae falloppianae, quid I, 197; - t. eustachiana, ib., 135.

Ureter quid I, 19 et 93.

Uretra quid I, 95, 192.

Urina (eius natura) I, 97; mechanismus secretionis. ib. 96.

Urinaria vesicula, eius situs, I. 19, 94.

Uterus quid I, 198; - eius prolapsus ib. 301; - imperforatio, ib., 303; - absentia, ib. 300; - infantilis, fetalis, pubescens, ib., et II, 270-275; absentia eius et vaginae, ib., 302; - duplex, ib. 305; quoad impotentiam, quando abest II, 269; - eius collum et corpus, I, 198; - eius collum, quod fecundationem, II, 276, - antiflexus, retroflexus, eius fibromata, fibromiomata, miomata, II, 299, 300 et nota.

Usus matrimonii, quid vir curare debeat, II, 370; - debet esse rationabilis, ib., 371; - status physicus in usu ib., 373; - tempus melius ad usum, ib., 374; - qua mente usus, ib., 375; apud nobiles et pauperes aliquando damnandus, ib., 376-377; - situs coniugum nullus impedit generationem, ib. 379-384; - tempore menstrui, ib., 385-389; - tempore fluxus extraordinarii, ib., 390; - tempore praegnationis, quando adest periculum abortus, ib., 391-396; - tempore puerperii, ib., 397-402; - tempore lactationis, ib., 403-404; - tempore morbi, ib., 405; - syphilidis; eius effectus, etc. ib., 407-421; relationes syphiliticae inter parentes et fetum, ib., 422; - de usu in syphilide, ib. 423-425; - phthisis, quid sit hic morbus, ib., 426-430; - usus in morbo phthisis, ib., 433; - in morbis non contagiosis, ib., 434; - quando timetur abortus, ib., 435; - in morbis acutis et inflammatoriis, ib., 436; - tempore ebrietatis et post prandium, ib., 437; - quando vagina communicat cum recto intestino, loco vulvae, ib., 440; - in impotentia consequente, ib., 441-468; - cum muliere castrata post matrim, si vir omni vi vult copulari, ib., 469; v. *haereditas.*

Vagina, quid I, 199; - eius communicationes anormales I, 297, 304; - duplex ib., 305; - intus transverse occlusa, ib.; absentia, ib. 296.

Vaginismus, quid, I, 299.

Valvulae (cordis), I, 53; - valvula ileo-coecalis, ib. 42; - venarum, ib. 58; - vasor. lymphaticorum ib. 69, b.
Vasa lymphatica, eorum genesis, I, 69.
Venae, quid, 57-62; - in eis circulatio, ib. 67.
Ventriloquium, quid, I, 146.
Vertebrae, quid I, 120.
Vesiculae pulmonares, quid I, 79; - seminariae, ib., 190.
Vesicula urinaria, quid I, 19, 94; - germinativa, ib., 196; - vesiculae extrophia, I, 285.
Vigiliae (ad castigandum corpus) quomodo faciendae, I. 500.
Villositates intestinales, quid, I, 28; - quoad absorptionem, - ib. 42.
Virgo, quando I, 199.
Virginitatis amissio, quando, I, 199 (cfr. III specim. causar. matrim.).
Visus (organum) I, 137-143.
Vita latens in infantibus, II, 611-624; in adultis, ib. 625 et ss.; - quandiu durat vita latens, ib. 652-656.
Vocales quid, I, 146.
Vox, (organum) I, 144, eius characteres physici, I, 147.
Vulva quid I, 200; eius absentia et impotentia, II, 260.
Vulvites simplex quid, eius cura I, 684.

Errata		Corrige

I. VOL.

pag. 25. lin. 11.	per vasa capillaria intestinorum.	per vasa capillaria stomachi et intestinorum.
» 27. lin. 18.	(fig. 25.)	(fig. 25 et 26)
» 53. lin. 15.	penetrant in renes arterias.	penetrant in renes arteriae.
» » lin. 22.	in ipso parenchyma.	in ipso parenchymate.
» 74. lin. 21.	(fig. 52, 53, 53-a.)	(fig. 52, 52-a, 53, 53-a.)
» 91. lin. 15.	(fig. 41. et 74.)	(fig. 62. et 74.)
» 208. lin. ultima;	reiicintur.	reiiciuntur.

II. VOL.

pag. 221. lin. 11.	intentionem eam copulam.	intentionem incipiendi copulam.

Tabulae anatomicae.

Tabula XXVIII.

In fig. 87. adde 4) sfinctere uretrae; 5) clitoris; 6) sfinctere (muscul. *constrictor*) vulvae; 7) symphisis pubis.

N.B. Cetera alia sphalgmata lector ipse benigne corriget.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Joseph Ceppetelli, Patr. Const. Vicesger.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.A58 C001 V002
MEDICINA PASTORALIS IN USUM CONFESSARIOR

3 0311 00044 1340

WITHDRAWN

46981

BX
1758
.A58 46981 Antonelli, Giuseppe
v.2 AUTHOR MEDICINA PASTORALIS IN
USUM CONFESSARIORUM ET
TITLE CURIARUM ECCLESIASTICARUM

253.3 21,508 A634M2
v.2

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

00044 1340